







CHRISOSTOIS IAVELLI CANAPICI

ordinis Prædica, in omnibus Meta-aitur sy
phica libris *Quæ* sita textua-
lia, metaphysicali modo
determinata. n est
tu si.

In quibus clarissimè resolvuntur dubia *con*
telis & Commentatoris: *Et* que *ut* plurimam
decisa habentur iuxta Tho-
misticum dogma. billior
causa
quis

Quæ omnia multò, quàm antea, sita
à nobis accuratius emendata.



LVGDNI,
Apud Casparem à Portonarijs.

1559.



QVAESTIONES PRIMI LIBRI.



I ens
vr ens
absolu
te vel
vniuer
salissi
me sū
preū est
subie-

ctum in hac scientia mera
physicæ, hic tria aguntur.

Primo declaratur titulus.

Secundo adducuntur tres opi
niones, ex quibus duæ re
linquentur. & tertia susti
nebitur.

Tertio soluntur quædam
dubia, quæ solent verti in
ter Thomist.

2 Si metaphysic. subalternat
sibi alias scientias, hic tria
aguntur.

Primo ponuntur aliquæ di
stinctiones ex quibus appa
ret quid sit proprie subal
ternari.

Secundo ponuntur duæ con
clusiones, ex quibus resol
uitur totum quæsitum.

Tertio soluntur quædam du
bia.

3 Quomodo hæc sit vera, om
nes homines natura scire
desiderant, in hac aguntur
quatuor.

Primo quomodo sumitur Iy
natura.

Secundo distinguendum est
de multiplici appetitu si
ue desiderio.

Tertio ponuntur aliquæ con
clusiones responsiuæ.

Quarto soluntur quædam
dubia.

4 Si sensus visus est nobilior
aliis, & si est magis causa
scientiæ, & si desideratur
ipsum præ aliis, hic qua
tuor aguntur.

Primo probatur, quod visus
est nobilior cæteris sensu
bus.

Secundo quod per se magis
facit scire.

Tertio quod ipsum magis di
ligimus.

Quarto soluntur quædam
dubia.

5 Si in brutis est prudentia,
in hac ponuntur duæ vic.

In prima omnes concordant.

In secunda discordari vide
tur Anton. Andræ. à beato
Thoma.

6 Si, & quomodo ex experi
mento sit ars & scientia, in
hac 5. aguntur.

Primo ponuntur aliquæ di
stinctiones.

Secundo aliquæ conclusiones.



SECUNDI LIBRI

Tercio declaratur in quo discordant Thomaz & Scotistis.

Quarto declarat ad mentem philosophi, quomodo ex experimento generatur ars & scientia.

Quinto soluantur quedam dubia.

7 Si omnis actio est circa singulare, hæc tria aguntur. 17

Primo ponuntur aliquæ distinctiones.

Secundo aliquæ conclusiones.

Tercio soluntur quedam dubia.

8 Si obiectum sensus est vniuersale an singulare, & hic etiam tria aguntur. 19

Primo probatur, quod obiectum primum tam in sensu quam in intellectu est vniuersale.

Secundo declaratur, in quo sita distinctio inter obiectum intellectus & obiectum sensus, licet vtriusque obiectum sit vniuersale.

Tercio soluntur quedam dubia.

9 Si metaphysicus considerat omnes quidditates tantum in vniuersali vel etiam in particulari, hic declaratur quid senserint Comm. & b. Tho. & Scotus, & quatuor aguntur. 20

Primo ponuntur aliqua pro declaratione tituli.

Secundo ponuntur conclusiones decisiuæ.

Tercio declaratur differentia inter metaphysicam & alias particulares sciencias in considerando easdem quidditates.

Quarto soluntur quedam dubia.

10 Si maxime vniuersalia sint difficilima ad cognoscendum, in hac tria aguntur.

Primo ponuntur quedam distinctiones.

Secundo conclusiones resolutiuæ.

Tercio soluntur quedam dubia.

Questiones secundi libri.

1 Si prima principia sunt naturaliter cognita, hic tria aguntur. 25

Primo ponitur distinctio de naturaliter cognito.

Secundo recitantur duæ opiniones, ex quibus secunda est peripatetica, & illa sustinetur.

Tercio soluntur quedam dubia, quæ insurgunt contra determinationem.

2 Si tota difficultas intelligendi est ex parte nostri intellectus, vel ex parte rei, ponuntur duæ opiniones. 28

Primo opinio b. Thomæ, &

METAPHYSICAE.

Commen. qui in hoc concordant.

Secundo opinio Scot. & Ant. Andr.

3 Si possumus quidditatiue intelligere substantias separatas, hic tria aguntur. 30

Primo quæ fuerit mens beati Thom.

Secundo quæ fuerit mens Scoti.

Tercio quæ fuerit mens Cominenta.

4 Si ex tex. philosophi possumus habere esse plura principia producta, hic 3 aguntur. 32

Primo arguitur contra quosdam male hunc textum sibi assumentes.

Secundo exponitur tex. vera expositione, ne sit alicui causa erroris.

Tercio soluitur dubium quod potest oriri ex expositione b. Thom.

5 Si est processus in infinitum in causis efficientibus, & hic etiam tria aguntur. 33

Primo præponuntur quedam distinctiones.

Secundo responderetur per conclusiones.

Tercio soluntur quedam dubia.

6 Si est processus in infinitum in causis materialibus, & hic quoque tria aguntur.

Primo præponitur quedam distinctiones.

Secundo conclusiones resolutiuæ.

Tercio soluntur quedam dubia.

7 Si est processus in infinitum in causis formalibus, pro determinatione huius duo aguntur. 37.

Primo probatur quod sic status in prædicatis quidditatiuis in linea prædicamentali ascendendo & descendendo, ex consequenti in causis formalibus.

Secundo soluntur quedam dubia.

Questiones tertij libri.

1 Si in mathematicis est causa efficiens, & finalis, & hic tria aguntur. 39.

Primo ponitur vnica distinctio.

Secundo ponuntur duæ conclusiones.

Tercio soluntur quedam dubia.

2 Si genus predicatur de sua differentia prædicatione per se, & hic etiam tria aguntur. 40

Primo pertractatur opinio b. Thomæ, cui concordat

† iiij

QVARTI LIBRI

Ano. Andr.
Secundo pertractatur opinio Ianduni, qui tenet oppositum.
Tertio solvuntur quedam dubia.
3 Si propositio per se convertitur in propositionem per se, hic duo aguntur. 43
Primo ponitur opinio quorundam Thomisticorum affirmativa.
Secundo ponitur opinio quorundam Scotistarum.

Questiones quartilibri.

1 Si ens est uniuocum, vel analogum, hic aguntur quinque. 45
Primo quid requiratur ad uniuocum reale.
Secundo quid ad uniuocum logicum.
Tertio ponuntur aliqua conclusiones responsive.
Quarto ostendam quod opinio Scoti non discordat in re ab opinione b. Thom.
Quinto solvuntur argumenta Scoti, & maxime que videntur repugnari contra determinationem quam facimus.
2 Si habet ens veras & proprias passiones, hic tria aguntur. 49
Primo probatur quod ens habet veras passiones demō-

strabiles.
Secundo quod non habet veras passiones reales.
Tertio solvuntur principalia argumenta Scotistarum.
3 Si passiones entis sunt idem cum ente, hic quatuor aguntur. 52
Primo probatur quod unum transcendens est idem realiter cum ente.
Secundo idem probatur de vero.
Tertio idem probatur de bono.
Quarto solvuntur quedam argumenta.
4 Si passiones entis sunt convertibiles cum ente, hic tria aguntur. 55
Primo assignatur triplex convertibilitas, & dicimus, de qua intendimus loqui hic.
Secundo mouetur difficultas circa singulas passion. que sunt hæc, transcendentia, unum, verum, bonum, res, aliquid.
Tertio determinatur difficultas circa vnamquamque earum.
5 Si ens prædicatur quidditative de passionibus suis & de ultimis differentiis, hic tria aguntur. 57
Primo ponitur opinio Thomistica.
Secundo ponitur opinio Sco-

METAPHYSICAE.

tistica.
Tertio solvuntur rationes eorum.
6 Quomodo ordinandæ sunt passiones entis, que sunt transcendentia secundum prius & poster. hic pertractantur duæ viæ. 60
Prima est via beati Thomæ.
Secunda est via Scoti.
7 Si unum transcendens, & unum quod est principium sunt idem, hic 4. aguntur. 62
Primo ponitur quedam distinctio.
Secundo recitatur opinio Auicen.
Tertio arguitur contra ipsum Auic.
Quarto recitantur Auic. rationes, & solvuntur.
8 Si ratio vnius transcendentis & numeralis est formaliter positiua, vel negatiua, hic duo aguntur. 63
Primo pertractatur de vno transcendente.
Secundo de vno numerali.
9 Quod sit primum principium complexi simpliciter primum, hic duo pertractantur. 66
Primo quod est principium primum.
Secundo quod est principium

primo primum.
10 Si principium primum est cognoscibile cognitione sensitiva vel demonstratione, hic duo aguntur. 68
Primo ponuntur tres conclusiones.
Secundo solvuntur quedam dubia.

Questiones quintilibri.

1 Si principium & causa sunt idem conuertibiliter, hic 4. aguntur. 71
Primo declaratur ratio principij & causæ, loquendo absolute & metaphysice.
Secundo declaratur mens philosophi circa hoc propositum.
Tertio ponuntur duæ conclusiones responsive.
Quarto solvuntur quoddam dubium.
2 In quo consistat causalitas siue ratio causæ materialis, hic 3. aguntur. 72
Primo ponitur in quo consistat essentialiter causalitas causæ materialis.
Secundo in quo consistat modus huiusmodi causalitatis.
Tertio solvuntur quedam dubia.
3 In quo consistat causalitas formæ, hic tria aguntur. 75
† iij



QVINTI LIBRI

Primo ponitur in quo consistat causalitas formæ, siue causæ formalis.

Secundo in quo consistat modus siue proprietates huius causalitatis.

Tertio solvuntur quædam dubia.

4 In quo consistat causalitas causæ efficientis, hic tria aguntur. 74

Primo ponitur quædam opinio, quam non credo veram.

Secundo ponitur opinio, quam credo esse de mente beati Thomæ.

Tertio solvuntur quædam dubia.

5 In quo consistat causalitas causæ finalis, hic etiam 3 aguntur. 75

Primo præponitur quædam distinctio.

Secundo ponuntur duæ conclusiones responsivæ.

Tertio solvuntur quædam argumenta.

6 Si finis est causa vt habet esse in anima, vel extra animam, hic tria aguntur. 77

Primo ponuntur tres opiniones.

Secundo secundum tertiam opinionem determinatur.

Tertio solvuntur quædam argumenta.

7 Si idem effectus numero

potest produci à pluribus causis perfectis eiusdem ordinis, huius duo ponuntur sensus, & quo ad primū sensum 2 aguntur. 78

Primo declaratur titulus que sit.

Secundo ponitur cōclusio responsiva.

Quantum autem ad secundū sensum præponitur quædam distinctio. Deinde cōclusio responsiva.

8 Si causæ sunt sibi inuicem causæ circa hanc ponuntur, quædam inconuenientia, quæ afferunt difficultatem in text. & sol. 80

9 Si causa in actu & effectus in actu simul sunt & non sunt, hic tria aguntur. 81

Primo declaratur sensus philosophi, ex quo apparet cōclusionis affirmatiuæ veritas.

Secundo declaratur quomodo ex dicta conclusione verificatur alix duæ maximæ.

Tertio solvuntur quædam argumenta.

10 Si materia prima est proprie elementorum, tria aguntur. 82

Primo quid sentiat Commentator.

Secundo quid sentiat beatus Thomas.

METAPHYSICÆ.

Tertio si beatus Thomas realiter dissentit à Commentatore.

11 Si philosophus sufficienter enumerauit omnes modos nature, hic enumerantur omnes modi, quibus solet dici natura. 83

12 Si necessaria habent causam efficientem, hic tria aguntur. 84

Primo ponuntur aliquæ distinctiones & Heruei sensum, vt Thomisticum sequimur.

Secundo responderetur per conclusiones.

Tertio solvuntur rationes Pauli Soncinatis contra Herueum.

13 Si diuisio secunda vnius est logica, hic tria aguntur. 87

Primo declaratur quomodo prima diuisio est realis.

Secundo quomodo secunda est logica.

Tertio soluitur quoddam dubium.

14 Si hæc vnum numero sunt quorum est materia vna, est vera vniuersaliter vel tantum particulariter, & hic tria aguntur. 88

Primo ponitur via Commentator.

Secundo ponitur via beati

Thomæ.

Tertio ponitur via Scoti.

15 Si materia signata vel hecitas est princip. indiuiduationis in rebus materialibus, hic 4 aguntur. 91

Primo declaratur titulus que sit.

Secundo pertractatur opinio b. Thom.

Tertio opinio Scoti.

Quarto soluitur quoddam dubium.

16 Si prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos prædicandi, hic tria aguntur. 97

Primo præponuntur quædam distinctiones.

Secundo quædam conclusiones responsivæ.

Tertio solvuntur argumenta Ant. And. & Heruei.

17 Quæ substantia sit genus generalissimum, & quæ sit ratio sua, hic duo aguntur. 100

Primo inuestigatur per diuisiones genus generalissimum substantiæ.

Secundo quæ sit sua formalis ratio.

18 Si plura accidentia quæ sunt eiusdem speciei possunt esse simul in eodem, hic tria aguntur. 101

Primo declaratur mens beati Tho. in hoc quæstro.

Secundo quæ sit mens scoti.

SEXTI LIBRI

starum, & si quæ rationes eorum sicut contra beatum Thomam solvuntur.

Tertio quæ sit mens Landun. sequen. viam Commen.

19 Si cuiuslibet potentie actiue correspondet aliqua potentia passiva, hic 4. aguntur. 104

Primo quid sit potentia actiua vniuersalissime sumpta, & similiter quid sit potentia passiva.

Secundo quotuplex est potentia actiua.

Tertio ponuntur conclusiones responsiue.

Quarto solvuntur quedam dubia.

20 Si diuisibilitas est formalis ratio quantitatis, hic quatitur aguntur. 107

Primo declaratur titulus.

Secundo tractatur opinio be Thom.

Tertio opinio Scotistarum.

Quarto solvuntur dubia.

21 Si moti relationum sunt sufficienter assignati, & hic septem pertractantur. 109

Primo si relatio est ens reale.

Secundo si relatio realis sufficienter diuiditur per mutuum & non mutuum.

Tertio quid requiratur ad mutuum, & non mutuum.

Quarto quotuplex sit funda-

mentum relationis realis.

Quinto si predicamentum ad aliquid continet in se omnem relationem reale.

Sexto ponitur conclusio responsiua quaesita.

Septimo solvuntur quedam argumenta.

22 Si relatio distinguitur realiter à fundamento, hic 5. aguntur. 114

Primo præponuntur de hoc variae opiniones.

Secundo ponitur opinio Heruei, vt de mente philosophi & Commenta. & beati Thomæ.

Tertio solvuntur rationes quæ sunt contra Herueum.

23 Si vltima predicamenta dicuntur rem absolutam vel respectum, hic tria aguntur. 117

Primo ostenditur quæ varie super id locutus est beatus Thomas.

Secundo quid tenendum est.

Tertio solvuntur quedam argumenta.

Questiones sexti libri.

1 Si ens in quantum ens habet principia & causas, in hac qd. quatitur aguntur. 120

Primo declaratur quid in eadem philosophus per prin-

METAPHYSICAE

cipia & causas.

Secundo in quo sensu ens in quantum ens habet principia & causas.

Tertio ponitur conclusio responsiua.

Quarto solvuntur argumenta quedam.

2 Si solus metaphysicus considerat quodquid est subiectorum scientiarum specialem, hic quinque aguntur. 121

Primo declaratur titulus.

Secundo ponitur distinctio de prædicatis quæ ingrediuntur ipsum quodquid est.

Tertio ponuntur conclusiones responsiue.

Quarto extrahitur quoddam corollarium.

Quinto solvuntur quedam argumenta.

3 Si textus secundum translationem arabicam potest saluari, in quo sic habetur, & ipsa, scilicet physica, speculatur de ente, quod impossibile est moueri, textu primo. Textus autem noster sic habet, physica Theorica quedam est, sed theorica circa tale ens quod est possibile moueri. 123

4 Si aliquis actus intellectus potest dici praxis, hic quatitur aguntur. 123

Primo declaratur quid sit praxis proprie dicta, & speculatio.

Secundo respondetur quaesito secundum viam nostram.

Tertio defensatur via nostra contra impugnantes.

Quarto assignatur numerus scientiarum speculatiuarum, vt distinguuntur à practicis.

5 Si scientia est practica ex obiecto vel ex fine, hic tria aguntur. 125

Primo præponitur quedam distinctio.

Secundo ponuntur duæ conclusiones responsiue.

Tertio defensatur determinatio nostra.

6 Si omnis scientia est practica, vel speculatiua, & hic tria aguntur. 128

Primo inquiritur si practicum & speculatiuum sunt differentie essentielles habitus scientifici in communi.

Secundo respondetur ad quaesitum.

Tertio soluenda sunt quedam argumenta.

7 Si sunt tantum tres scientie speculatiue, & hic tria aguntur. 129

Primo ponuntur quedam distinctiones.

Secundo ponitur conclusio

SEXTI LIBRI

responsiva.
 Tertio solvuntur quaedam argumenta.
 Vtrum speculatiue sint nobiliores practici, & hic tria aguntur. 131
 Primo ponitur quaedam distinctio.
 Secundo quaedam conclusiones responsivae.
 Tertio solvuntur quaedam argumenta.
 9 Si de ente per accidens est scientia, hic duo aguntur. 132.
 Primo praeponuntur duae distinctiones.
 Secundo duae conclusiones responsivae.
 10 Si secundum doctrinam Aristotelis potest saluari ens per accidens quareo modo, quid est effectus contingens per respectum ad causam suam proximam, hic 3. aguntur. 133
 Primo si est tenendum ad mentem Aristotelis. prima causam agere de necessitate naturae.
 Secundo supposito quod sic, vtrum cum hae sustinere possumus, non omnia euenire de necessitate, sed seruari contingentiam effectus per respectum ad causam proximam.
 Tertio solvitur ratio Scottiarum tenentium opposi-

tum determinationis, quae facturi sumus.

11 Si effectus contingens habet contingentiam à causa prima, vel à causa proxima, hic 3. aguntur. 135
 Primo ponitur distinctio de effectu contingente.
 Secundo de effectu contingente in primo sensu, probatur quod habet contingentiam à causa proxima.
 Tertio de effectu contingente in secundo sensu, ponitur opinio beati Thomae & Scoti, & determinatur secundum mentem beati Thomae.
 12 Si effectus contingens dum est, est contingens, hic duo aguntur. 137
 Primo ponuntur duae conclusiones.
 Secundo solvitur quoddam dubium.
 13 Si ens verum excluditur à metaphisico, hic quatuor aguntur. 138
 Primo assignantur tres modi veritatis.
 Secundo relictis duobus modis, prosequitur tertium de quo proprie Philosophus intendit, quando dicit ens verum praetermittendam.
 Tertio pro decisione quaesiti, ponuntur tres conclusiones responsivae.

METAPHYSICAE.

Quarto solvuntur quaedam argumenta.

Questiones septimi libri.

1 Si inherencia est essentia accidentis, hic duo aguntur. 141
 Primo praeponuntur quaedam distinctiones.
 Secundo tractantur tres opiniones famosae, & tertia rationabiliter sustentatur.
 2 Si accidentia in abstracto sunt entia vel non entia, hic tria aguntur. 143
 Primo declaratur in quo differant accidens in concreto, & accidens in abstracto.
 Secundo ponitur vocis distinctio de ente.
 Tertio duae conclusiones responsivae.
 3 Si substantia est prior tempore accidente, hic quatuor aguntur. 144
 Primo inuestigatur quomodo substantia est prior accidente tempore.
 Secundo quomodo distinctione.
 Tertio quomodo natura.
 Quarto quomodo cognitio.
 4 Si forma est prior & magis ens quam materia & compositum, hic duo aguntur. 150
 Primo ponuntur tres conclusiones responsivae.

Secundo solvuntur quaedam dubia.

5 Si materia est ens quod est substantia, ita tamen quod sit ens in pura potentia, hic duo aguntur. 152
 Primo ponuntur aliqua conclusiones responsivae.
 Secundo solvuntur aliqua dubia.
 6 Si praedicata tantum essentialia constituunt quodquid est substantiae compositae, ita quod excludantur omnia praedicata accidentalialia, tam communia, quam propria, hic tria aguntur. 153
 Primo declaratur quid Philosophus intendit per quodquid est.
 Secundo ponitur conclusio responsiva.
 Tertio solvuntur quaedam argumenta.
 7 Si dicendo natus sumus committitur negatio, hic tria aguntur. 154
 Primo probatur quod non committitur negatio.
 Secundo assignatur ratio quare non committitur.
 Tertio solvuntur quaedam argumenta.
 8 Si quodquid est, est idem cum eo cuius est, hic tria aguntur. 155
 Primo ponuntur tres distinctiones.

SEPTI LIBRI

- Secundo ponuntur nonnullae conclusiones.
- Tertio solvuntur duo argumenta.
- 9 Si materia est pars quidditatis substantiae compositae, hic tria aguntur. 156
- Primo ponitur opinio Commentatoris.
- Secundo opinio beati Thomae & Scoti.
- Tertio solvuntur rationes & fundamenta Comment. & sequentium.
- 10 Si genita ex putrefactione possunt dici genita à causa, hic tria aguntur. 158
- Primo ponitur opinio beati Thomae.
- Secundo opinio Ianduni & solvuntur rationes suae.
- Tertio declaratur quomodo vane & extorretur exponitur praepositum textum philosophi.
- 11 Si omnia producta ex semine possunt produci sine semine, & si producta sine semine sunt eiusdem speciei cum productis ex semine, hic ad evidentiam primae partis tria ponuntur. 159
- Primo pertractatur opinio Auicennae.
- Secundo opinio contraria Avicennae.
- Tertio opinio philosophi & Commentatoris quam sequitur b. Tho.
- 12 Si unumquodque generatur à suo simili, hic tria aguntur. 162
- Primo ponuntur quaedam distinctiones.
- Secundo conclusiones responsivae.
- Tertio, solvuntur quaedam argumenta.
- 13 Si forma generanda, vel aliqua pars eius praexistit in materia, ut cooperetur agenti ad productionem eius, hic quatuor aguntur. 163
- Primo ponitur quaedam opinio, quam non admittit Commentator, nec beatus Thomas, nec Scotus.
- Secundo pertractatur opinio Commentatoris & b. Tho.
- Tertio declaratur in quo sensu debeat intelligi textus philosophi praepositus.
- Quarto solvuntur quaedam argumenta.
- 14 Si agens naturale solum disponit materiam, & agens separatum inducit formam, vel si ad haec solum sufficit agens naturale, hic tria aguntur. 164
- Primo pertractatur via Scoti, cum rationibus suis.
- Secundo pertractatur via Commentatoris & b. Tho.
- Tertio solvuntur rationes Scoti.

METAPHYSICAE.

- 15 Si omnis definitio habet partes, quae respondeant partibus rei definitae, hic duo aguntur principaliter. 167
- Primo si est necesse omnem definitionem constare ex partibus.
- Secundo si quaelibet pars definitionis totam naturam distincti significat, vel si pars partem.
- 16 Si singulare est diffusibile & per se intelligibile, hic duo ventilantur. 168
- Primo si singulare potest diffiniri.
- Secundo si est per se intelligibile.
- 17 Si in solis substantiis separatis quod quidem est, est idem eum eo cuius est, hic tria aguntur. 171
- Primo ponitur haec conclusio, in solo primo principio, id est, in Deo sunt omnino, idem quod quidem est, & id cuius est.
- Secundo declaratur, in quo sensu tam substantiae separatae quam materiales non sunt idem cum suo quod quidem est.
- Tertio solvuntur quaedam argumenta opinantis, quod absolute omnis substantia siue materialis, siue immaterialis est idem cum suo quod quidem est.
- 18 Si ex genere & differentia sit unum per se, hic tria aguntur. 173
- Primo declaratur secundum beati Thomae quae est ratio, quod ex genere & differentia sit unum per se, non autem ex subiecto & accidente.
- Secundo examinatur ratio, quam ad idem adducit Iand.
- Tertio solvuntur quaedam argumenta.
- 19 Si in animali plurificatur formae substantiales, secundum partes organicas, hic duo aguntur. 174
- Primo ponitur opinio beati Thomae & eorum qui concordant cum eo.
- Secundo pertractatur opinio opposita, & solvuntur rationes.
- 20 Si eorum distinguitur à partibus simul sumptis, hic duo aguntur. 176
- Primo pertractatur opinio beati Thomae & Hervaei.
- Secundo opinio Commentatoris & solvuntur rationes quae induci solent pro ea.
- Quaestiones octavi libri.
- 1 SI materia potest esse actu & cognosci sine forma, hic tria aguntur.



OCTAVI LIBRI

Primo ponitur opinio b. Tho.
Secundo opinio Scot. & Anto.
Andr.

Tertio opinio Gregor.

1 Si materia prius recipit
quantitatem, vel habet eam
inseparabiliter antequam
recipiat qualitates, ut di-
spositiones ad formam sub-
stantialem, hic tria agun-
tur. 181

Primo declaratur via Com-
cum fundamentis suis.

Secundo ponitur consequen-
tia Thomistica contra Com-
ment. & probatur rationi-
bus b. Tho.

Tertio recitantur rationes
Greg. in favorem Comm.
& solvuntur.

3 Si aliqua qualitas quae sit
dispositio ad formam in-
troducendam praecedit for-
mam, ita quod non corrū-
patur in aduentu formae,
haec tria aguntur. 184

Primo ponitur conclusio pro
parte negativa.

Secundo declaratur, quomo-
do stat materia disposita,
posito quod omnes dispo-
sitiones corrumpantur in
aduentu formae.

Tertio solvuntur quaedam quae
insurgunt contra determi-
nationem.

4 Si materia potest simul
informari pluribus formis
substantialibus, hic poni-

tur quaedam divisio, & de
quolibet divisionis mem-
bro est particularis confi-
deratio. 187

5 Si forma est separabilis à
materia secundum esse vel
secundum conceptum, hic
duo aguntur. 194

Primo an sit separabilis à ma-
teria secundum esse, vel sal-
tem secundum conceptum.

Secundo an esse intensibilem
& remissibilem, ita con-
veniat formae accidentali,
quod repugnet formae sub-
stantiali.

6 Si intenso & remissio ita
convenit formae acciden-
tiali, quod repugnet sub-
stantiali, hic quatuor agun-
tur. 195

Primo investigatur unde ha-
bet forma quod possit in-
tendi & remitti, & per op-
positum, quod non possit
intendi & remitti.

Secundo per quem modum
forma intenditur & remit-
titur.

Tertio ponitur conclusio re-
sponsiva.

Quaeritur, quod repu-
gnat formae substantiali
intendi & remitti, investi-
gatur, si repugnat duabus
iornis substantialibus quae
sunt eiusdem speciei inae-
qualitas essentialis perfe-
ctionis.

Si ex

METAPHYSICAE.

7 Si ex materia & forma sit
vnum per se, & propter
quid, & an immediate, hic
tria aguntur. 203

Primo declaratur quid sit sic
ri vnum per se.

Secundo ponuntur duae con-
clusiones responsivae.

Tertio assignatur ratio quod
ex subiecto & accidente com-
muni non sit vnum per se.

8 Si nomen speciei in substā-
tiis compositis significat so-
lam formam, & dato quod
non, si prius significat for-
mam quam compositum,
hic 4 aguntur. 204

Primo probatur, quod no-
men speciei in substantia
composita ut homo, non si-
gnificat formam, sed com-
positum.

Secundo ponuntur aliquae di-
stinctiones declarantes, quod
prius significat compositum
quam formam.

Tertio responderetur quaesito
scilicet an prius significet
formam quam compositum.

Quarto solvitur ratio tenen-
tium oppositum.

9 Si numerus habet esse rea-
le extra intellectum, & si
est vnum per se, & entitas
distincta à rebus numera-
tis, hic tria aguntur. 206

Primo pertractatur, si nume-
rus habet esse reale extra

animam, & si est quid vnum
per se, & si est entitas di-
stincta à rebus numeratis.
Secundo quaeritur de forma
numeri.

Tertio si numerus de praedi-
camento quantitatis inveni-
tur in abstractis.

10 Si vltima unitas est for-
ma numeri hic tria agun-
tur. 210

Primo ponitur distinctio de
forma.

Secundo duae conclusiones
responsivae.

Tertio solvuntur quaedam
argumenta, quibus vide-
tur posse apparere oppositum.

11 Si numerus quantitativus
reperitur solum in rebus
corporeis, an etiam in ab-
stractis, hic ponuntur duae
opiniones b. Thom. vna, &
altera Gregorij, pro cu-
ius resolutione tria agun-
tur. 212

Primo declaratur mens sua.
Secundo solvuntur rationes
suae, pro quanto sunt con-
tra b. Tho.

Tertio sustinetur fundamen-
tum b. Tho. quod Greg. co-
natur destruere.

12 Si materia quae est pars co-
positi est in caelo, hic tria
aguntur. 213

Primo probatur quod secun-
dam philosophum & veri-
tatem materia quae est pars

††



OCTAVI LIBRI

compositi est vere in celo.

Secundo solvuntur rationes tenentium oppositum.

Tertio declarantur quedam dicta philosophi, quæ videntur favere tenentibus oppositum.

13 Si materia cæli & horum inferiorum sunt ejusdem rationis, hic quatuor aguntur. 218

Primo declaratur quid importat materiam cæli & horum inferiorum esse ejusdem rationis, vel diversarum.

Secundo ponitur mens beati Thomæ, cum fundamentis suis.

Tertio ponitur mens Egidij cum declaratione sua.

Quarto ponuntur rationes Egidij, Durandi & Aureolij, & solvuntur.

14 Vtrum si forma cæli videretur materiam horum inferiorum, cælum esset incorruptibile, hic tria aguntur. 221

Primo ponitur distinctio de incorruptibili.

Secundo ponuntur duæ conclusiones.

Tertio solvitur quoddam argumentum contra primam conclusionem.

15 Si materia omnium corporum cælestium est ejusdem

rationis, sicut materia omnium inferiorum, hic tria aguntur. 122

Primo tractatur qui sensus esset Commen. si poneret materiam in celo.

Secundo quid dicendum secundum b. Tho.

Tertio solvitur argumentum in oppositum cum replica.

16 Si accidentia componuntur ex materia & forma, hic tria aguntur. 223

Primo ponitur distinctio de compositione.

Secundo ponuntur duæ conclusiones.

Tertio solvuntur duo argumenta.

17 Si mater concurrat activè ad generationem, hic tria aguntur. 224

Primo ponitur opinio Aristoteli, Secundo opinio Galeni.

Tertio solvuntur rationes Galeni & Scoti.

Questiones noni libri.

I SI divisio entis in potentiam & actum est realis, hic quatuor aguntur. 227

Primo declaratur imaginatio Scoti.

Secundo ponitur conclusio contra Scotum.

Tertio solvuntur rationes Scoti.

METAPHYSICAE.

Quarto declaratur in quo sensu hæc est vera. Actus & potentia sunt in eodem genere, & solvuntur instantia Scoti.

2 Si potentia sufficienter dividitur in activam & passivam, hic quatuor aguntur. 229

Primo declaratur quid sit potentia obiectiva ad mentem Scoti.

Secundo declaratur, quod nulla est necessitas ponendi talem potentiam distinctam realiter ab activa & passiva.

Tertio declaratur, quod Aristoteli in tota sua doctrina nullam fecit mentionem de tali potentia.

Quarto solvuntur motiva Scoti.

3 Si potentia activa & passiva requirant distinctam subiectivam, hic tria aguntur. 231

Primo declaratur quantum ad distinctionem requirant potentia activa & passiva in in iis in quibus sunt.

Secundo ponitur conclusio responsiva.

Tertio solvuntur quedam argumenta, & declaratur quedam dicta philosophi.

4 Quod sit potentia rationales ac liberae, hic quatuor aguntur. 232

Primo declaratur, quod libertas radicaliter & originarie est in intellectu.

Secundo, quod formaliter & complete non est in intellectu sed in voluntate.

Tertio, quod voluntas est liberior intellectu.

Quarto solvuntur rationes contradicentium.

5 Si potentia rationales possunt in opposita, irrationalis vero non, hic 5. aguntur. 235

Primo declaratur, unde sumatur vera differentia inter potentiam rationalem & irrationalem.

Secundo declaratur unde habent potentia rationales quod possint in opposita, naturales autem non.

Tertio an possint in opposita pro eodem instanti.

Quarto a quo determinatur potentia rationalis ad alterum oppositorum.

Quintum solvitur quoddam dubium.

6 Si potentia rationales sunt activæ, vel mere passivæ, hic tria aguntur. 240

Primo ponuntur duæ conclusiones.

Secundo declaratur quod requiratur notitia obiecti voluntati, quum sit ipsa activa volitionis.

Tertio solvuntur quedam dubia.



NONI LIBRI

7 Si potentia rationalis pro
ducit actum suum in in-
stanti, vel in tempore, hic
4. aguntur. 242
Primo ponitur conclusio, qd
actio potentiae rationalis
est in praedicamento quali-
tatis.
Secundo ponitur conclusio, qd
sic in instanti.
Tertio declaratur quod tan-
tum laboramus, & mul-
tum temporis expēdimus
in speculatione, si sic in in-
stanti.
Quarto solvuntur quaedam
argumenta.
8 Si potentia activa praece-
dit actum suum, hic tria
aguntur. 245
Primo ponitur vna distinctio
de precedentia.
Secundo conclusio responsi-
ua cum sua probatione.
Tertio solvuntur duo argu-
menta.
9 Si definitio possibilis est
bene assignata à philoso-
pho, sumendo possibile vt
distinguitur praecise con-
tra impossibile hic tria a-
guntur. 247
Primo ponuntur duae distin-
ctioes.
Secundo conclusio responsiua
cum sua probatione.
Tertio solvuntur duo argu-
menta.
10 Si aliquid est possibile,
quod tamen nunquam

fuit, nec erit, hic tria agun-
tur. 248
Primo declaratur, quomodo
Commenta. tenet partem
negatiuam.
Secundo declaratur, quomo-
do b. Th. tenet partem af-
firmatiuam.
Tertio solvuntur rationes
Iand. quas facit per Com-
mentato.
11 Si in consequentia possi-
bilitium vel impossibilitium
antecedens & consequens
debent esse similia, hic 3.
aguntur. 250
Primo ponitur distinctio de
possibili.
Secundo ponuntur tres con-
clusiones.
Tertio soluitur dubium.
12 Si actus est prior potentia
ratione & cognitione, hic
duo aguntur. 251
Primo ponuntur duae conclu-
siones responsivae cum pro-
bationibus suis.
Secundo solvuntur dub. insurgē-
tia contra determinatio.
13 actus est prior tempore po-
tentia, hic tria aguntur. 252
Primo declaratur quor mo-
dis potest comparari actus
ad potentiam.
Secundo ponitur 4. conclusio
nes responsi.
Tertio soluitur dubium.
14 Si in potētis actiuis quae
acquiruntur exercitio actus

METAPHYSICAE.

1 Operatio, est prior tēpore
etiam respectu eiusdē po-
tētia secundum numerum,
hic 4. aguntur. 253
Primo ponitur conclusio res-
ponsiva.
Secundo formatur difficultas
quam Plato induxit ad pro-
bandum qd nostrum addi-
scere, nō est nisi reminisci.
Tertio soluitur ipsa difficul-
tas.
Quarto mouetur dubiū con-
tra praedictam solutio-
nem.
15 Si actio transiens est subie-
ctiue in passio, hic 3. agun-
tur. 255
Primo ponitur distinctio de
agente, & distinctio de a-
ctione transeunte.
Secundo ponuntur conclusio-
nes responsi.
Tertio solvuntur fortiora
argumenta contradicen-
tium.
16 Si actio immanens est
subiectiue in agente, &
in quibus differt à tran-
seunte, hic duo aguntur.
257.
Primo pertractatur triplex
opinio.
Secundo solvuntur quaedam
dubia.
17 Si omne quod habet po-
tentiam passiuam est cor-
ruptibile, hic duo agun-
tur. 260

Primo ponitur distinctio po-
tētia passiuar.
Secundo ponuntur duo corol-
laria.
18 Si materia prima princi-
palior causa corruptio-
nis, hic tria aguntur.
261
Primo ponitur vna distin-
ctio.
Secundo duae conclusiones po-
nuntur.
Tertio soluitur dubium.
19 Si ad hanc qd de aliquo ha-
beat scicntia, necesse est
vt sit actu, vel reducatur
de potentia ad actum, hic
tria aguntur. 262
Primo ponuntur aliqua di-
stinctiones.
Secundo ponuntur conclusio-
nes responsivae.
Tertio solvuntur 2. dubia.
20 Si compositioni & diu-
sioni intellectus correspon-
det compositio & diuisio
realis in re, hic 2. agun-
tur. 264
Primo exponitur mens phi-
losophi.
Secundo ponuntur duae con-
clusiones pro decisione
quaesiti.
21 Si contingit deceptio cir-
ca quodquidest, & circa
substantias incompositas
siue abstractas, hic tria a-
guntur. 266
Primo declaratur quid sit de-

DECIMI LIBRI

elpl.
Secundo ponuntur conclusio-
nes responsiuar.

Tertio declaratur de igno-
rancia per quam cōingit
nos errare circa substan-
tias in compositas.

Quæstiones decimi libri.

1 **S**I ratio vnius est positi-
ua vel negatiua, hic
duo aguntur. 269

Primo ponitur Ioan. Bacho.
positio.

Secundo soluntur rationes
suar.

2 Si ratio mensuræ conue-
nit primo vni, quod est
principium numeri, & per
quid competit ei, hic 5. a-
guntur. 271

Primo assignatur ratio men-
suræ vniuersalissime sum-
ptæ.

Secundo quot conditiones re-
quirit mensura quantita-
tiua.

Tertio declaratur per quid
competit vni esse mensura.
Quarto ponuntur conclusio-
nes respon.

Quinto soluntur quædam
dubia.

3 Si quod est mensura in ali-
quo genere, est primum
& causa omnium quæ sunt
illius generis, hic 2. agun-
tur. 273

Primo declaratur hi termini
positi in principio tituli.
mensura, primum, causa.

Secundo ponuntur conclusio-
nes responsiuar cum pro-
bationibus suis.

4 Si prima substantia, id est,
prima causa est mensura
omnis substantiæ, hic tria
aguntur. 275

Primo poni. dist. de mensura
perfectionali extrinseca.

Secundo ponuntur conclusio-
nes responsuar.

Tertio soluntur rationes
Ant. Andr.

5 Si vnum & multa opponū-
nuntur, & in quo genere
oppositionis, hic 2. agun-
tur. 276

Primo declaratur an oppo-
nantur.

Secundo quo genere opposi-
tionis.

6 Si multitudo est prior vno,
hic tria aguntur. 278

Primo ponuntur duæ conclu-
siones responsuar.

Secundo declaratur, quomo-
do non committatur cir-
culus in diffiniendo vnum
per multitudinem.

Tertio soluntur rationes Io.
Bacho.

7 Si identitas absoluta & re-
latiua sunt eadem identi-
tas, an realiter distinctæ,
hic 4. aguntur. 280

Primo declaratur quid Scot.

METAPHYSICAE.

Intendat per identitatem
absol. & relat.

Secundo ponuntur funda-
menta & rationes Scoti.

Tertio ponitur cōclusio con-
tra Scot.

Quarto soluntur rationes
Scot.

8 Si inter idem & diuersum
darur medium, hic quin-
que aguntur. 275

Primo declaratur quomodo
sumitur ly diuersum.

Secundo, quid dicendum ad
quæsitum secundum viam
Scoti.

Tertio quid dicendum secun-
veritatem.

Quarto ostenditur, quod via
Scoti non est ad mentem
philosophi.

Quinto soluitur quoddam
dubium.

9 In quo differt oppositio
relat. ab aliis oppositioni-
bus. 283

10 Quomodo se habet priua-
tio ad cognoscibilitatem
& ad esse extra animam,
hic duo aguntur. 283

Primo declaratur, an priua-
tio sit cognoscibilis per
propriam speciem, vel tan-
tum per speciem habitus.

Secundo inuestigatur, an pri-
uatio habeat esse extra a-
nimam, vel solū per opus
intellectus.

11 Si oppositio contradicto-

ria est prima & maxima,
& si potest habere mediū,
hic duo aguntur. 285

Primo declaratur, quod op-
positio contradictoria sit
prima & maxima.

Secundo quod non habet me-
diū.

12 Si contrarietas est maxi-
ma differentia vel distan-
tia, hic tria aguntur. 288

Primo præponuntur duo no-
tabilia.

Secundo ponitur cōclusio re-
sponsiua.

Tertio soluntur quædam ar-
gumenta.

13 Si contraria habent fieri
circa idem subiectum, &
ita quod se compatiuntur
in eodem in gradibus sal-
tem remissis, hic duo a-
guntur. 280

Primo declaratur prima pars
conclusionis.

Secundo pertractatur secun-
da pars quæ difficilior vi-
detur diffusius propter so-
lones opiniones oppositas.

14 Si tantū vñ vni est cōtra-
rium, hic tria aguntur. 292

Primo ponitur distinctio de
contrarietate.

Secundo ponuntur duæ con-
clusiones responsuar.

Tertio ponitur quoddam no-
tabile.

15 Si multitudo est genus ad
numerum, ita quod sit ma-

DVODECIMI LIBRI

- gis commune quam numerus, hic tria aguntur 293
- Primo fit distinctio de numero.
- Secundo ponuntur conclusiones responsivae.
- Tertio soluitur quoddam dubium.
- 16 Si omnia media sunt eiusdem generis cum extremis, hic tria aguntur. 294
- Primo ponitur distinctio de medio.
- Secundo ponuntur conclusiones responsivae.
- Tertio soluntur dubia.
- 17 Si media contrariorum componitur ex extremis virtualiter vel formaliter hic tria aguntur. 295
- Primo ponitur conclusio affirmativa & probatur.
- Secundo soluntur rationes Pauli Soncina & Ant. Ant. tenentes partem negativam.
- Tertio mouetur dubium contra conclusionem in se, & soluitur.
- 18 Si inter species cuiuscunque generis est vera contrarietas, praecipue in predicamento substantiae similiter inter differentias, hic tria aguntur. 298
- Primo ponitur distinctio de contrarietate.
- Secundo ponuntur duae conclusiones responsivae.
- Tertio soluntur duaedam dubia.
- 19 Si genus & species generis sunt eadem, aut diuersa genere vel eadem, aut diuersa specie, hic duo aguntur. 299
- Primo ponuntur duae conclusiones responsivae.
- Secundo soluntur 2. dubia.
- 20 Si omnis contrarietas facit diuersitatem in specie, hic tria aguntur. 300
- Primo ponuntur distinctiones de contrarietate.
- Secundo conclusiones responsivae ponuntur.
- Tertio soluntur quaedam dubia.
- 21 Si corruptibile & incorruptibile differunt genere. 302
- Primo declaratur quid sit conuenire aut differre genere physico, & genere logico.
- Secundo ponuntur conclusiones responsivae.
- Tertio soluitur rationes Iandun. contra b. Tho.
- 22 Si materia est principium distinctionis secundum genus, hic duo aguntur. 303
- Primo ponuntur quaedam distinctiones de distinctione generum, & de materia.
- Secundo ponuntur conclusiones responsivae.

METAPHYSICAE.

Questiones duodecimi lib.

- 1 Si metaphysicus habet considerare de substantia, hic duo aguntur. 306
- Primo ponuntur duae conclusiones.
- Secundo ponitur vnum notabile.
- 2 Quomodo philosophus intendit ens in quantum ens esse quoddam totum, hic quatuor aguntur. 306
- Primo declaratur triplex totum, in quo inuenitur vna pars prima, & aliae subsequentes.
- Secundo ponitur conclusio philosophi, & formatur pro ea ad mentem b. Tho. & Themistij.
- Tertio ponitur exposito Commentar.
- Quarto ponuntur obiectiones Comment. contra bea. Thom. & Themistium & soluntur.
- 3 Si ad metaphysicum spectat probare substantias separatas esse, an ad physicum, hic quatuor aguntur. 307
- Primo praeponuntur quaedam distinctiones.
- Secundo ponuntur conclusiones responsivae.
- Tertio declaratur b. Thom. concordari cum Comment. aliquando, & aliquando no,

similiter cum Auic.

- Quarto soluntur rationes Scoti, vbi discordat a nob.
- 4 Si omnes substantiae separatae sunt ponitur immobiles, hic duo aguntur. 310
- Primo inuestigatur quid circa hic senserit philosophus & Comment.
- Secundo quid veritas habeat.
- 5 Si datur creatio secundum philosophum & Comment. hic quatuor aguntur. 311
- Primo ponitur distinctio de creatione.
- Secundo conclusiones responsivae ad mentem philosophi.
- Tertio consideratur in hoc via Comment.
- Quarto soluntur dubia.
- 6 Si ex text. 16. potest concludi animam intellectiuam esse formam dantem esse homini, & esse incorruptibile, hic tria aguntur. 313
- Primo pertractatur in hoc text. philosophi.
- Secundo si ex hoc potest concludi animam nostram esse incorruptibilem.
- Tertio si posito quod sit forma & incorruptibilis possumus sustinere quod homo generat hominem.
- 7 Si omnium rerum sunt eadem principia, hic duo aguntur. 315
- Primo ponuntur duae distinctiones.

DVODECIMI LIBRI

Secundo quinque conclusiones responsivae.

8 Si omne repositum in predicamento siue sit substantia, siue accidens est copositum intrinsece ex propria potentia & proprio actu tanquam duabus partibus essentialibus, hic duo aguntur. 316

Primo ponitur quedam conclusio affirmatiua de potentia substantiae receptivae.

Secundo quod licet talis potentia sit in eodem predicamento cum accidente receptibili non tamen est pars intrinseca composita accidentis.

9 Si est necesse dare aliquam substantiam aeternam secundum philosophum & secundum veritatem, hic tria aguntur. 317

Primo, si est necesse dare aliquam substantiam aeternam secundum philosophum & secundum veritatem.

Secundo supposito quod sic, si Aristot. intendit solum de prima substantia abstracta, quam dicimus Deum, an de omnibus in genere.

Tertio supposito quod de omnibus intendat in genere, inuestigandum est qua via procedendum est ad probandum Deum esse.

10 Si substantia aeterna est sem-

per actu mouens & de necessitate naturae, hic duo aguntur. 318

Primo consideratur si substantia aeterna est semper actu mouens.

Secundo si mouet & agit de necessitate naturae.

11 Si substantia aeterna mouens ita est actus, quod nullo modo sit in potentia, hic duo aguntur. 321

Primo discutitur mens philosophi & commentatoris iuxta eorum verba.

Secundo videtur quid dicendum secundum veritatem.

12 Si substantiae mouentes abstractae sunt, siue materia, hic duo aguntur. 323

Primo ponitur distinctio de materia.

Secundo ponuntur conclusiones responsivae.

13 Si caelum agit in haec inferiora, & quo modo, hic tria aguntur. 325

Primo quod modis agit in haec inferiora.

Secundo quo medio.

Tertio adducuntur quaedam dubia, & soluntur.

14 Si Arist. demonstrauit mundum esse aeternum, hic tria aguntur. 332

Primo si philosophus putauit se demonstrasse aeternitatem mundi,

Secundo si vere demonstrauit.

METAPHYSICAE.

Tertio posito quod non, si possumus saltem probare, quod mundus potuit produci ab aeterno.

15 Si primum mouens mouet caelum ut suis amatus, hic 3 aguntur. 337

Primo, queritur si primum mouens mouet caelum ut finis amatus & intellectu apprehensus.

Secundo si mouet caelum solum in genere cause finalis, an etiam in genere cause efficientis.

Tertio supposito quod etiam in genere cause efficientis, verum sit applicatus primo mobili, ut motor eius appropriatus.

16 Si caelum est animatum & quomodo, hic quatuor aguntur. 345

Primo, queritur quid dicendum de animatione caeli secundum philosophum, sequendo viam Comment.

Secundo, quid dicendum de eodem, sequendo viam b. Thomae.

Tertio quid dicendum de eodem sequendo viam Auic. Quarto quid dicendum secundum veritatem.

17 Si intelligentia mouens caelum potest esse forma vera dans esse caelo, hic duo aguntur. 348

Primo duae ponuntur conclu-

siones responsivae.

Secundo soluntur quaedam dubia.

18 Si in primo principio est delectatio & vita excellentissimo modo, hic 3 aguntur. 350

Primo declarantur cause delectationis, deinde ponuntur conclusiones responsivae.

Secundo inuestigatur radix prima, qua dicitur aliquid viuere & iuxta illam assignantur gradus vitae secundum excellentiam minorem & maiorem.

Tertio ponitur conclusio responsiua.

19 Si dispositiones Dei, quas dicimus perfectiones diuinas, distinguuntur realiter vel solum ratione, hic quatuor aguntur. 352

Primo declaratur quod haec quatuor, dispositio, secundum Comment. proprietas, secundum Auic. designatio, secundum Algazel. attributum, secundum Theologum, significat in Deo perfectionem simpliciter.

Secundo manifestatur an secundum viam Comment. & b. Thomae inter has diuinas perfectiones aliqua distinctio seruari potest.

Tertio pertractatur via Scoti in quo discordet vel concordet cum via nostra.

DVODECIMI LIBRI

- Quarto soluitur dubium insurgens contra determinationem nostram.
- 20 Si primum principium est vigoris infiniti, & entitatis infinite secundum philosophum, hic quatuor aguntur. 356
 Primo declaratur, quid importatur per vigorem infinitum & entitatem infinitam.
 Secundo quid super hoc senserit Comment.
 Tertio quid super hoc senserit Arist.
 Quarto quam efficaces sunt rationes philosophi ad id probandum.
- 21 Si philosophus opinatus est omnes intelligencias esse vigoris infiniti, hic 3 aguntur. 362
 Primo ponitur distinctio de infinito perfectionali.
 Secundo ponuntur conclusiones responsive.
 Tertio declaratur mens philosophi.
- 22 Si in intelligentiis est ordo nobilitatis iuxta ordinem suorum mobilium secundum situm, hic tria aguntur. 364
 Primo ponitur conclusio responsiva secundum philosophum.
 Secundo declaratur quomodo nobilitatis gradus inter intelligentias potest considerari in duplici ordine.
 Tertio mouentur & resoluitur duo dubia.
- 23 Si est necesse ponere eccentricos & epicyclos, hic quatuor aguntur. 368
 Primo declaratur quid sint eccentricus & epicyclus.
 Secundo quid circa hic senserit beatus Thomas & Commentator.
 Tertio determinatur questum secundum mentem Ptolomei.
 Quarto solvuntur precipue rationes destruentium eccentricos & epicyclos.
- 24 Si in separatis possunt esse plura individua sub eadem specie, hic duo pertractantur. 370
 Primo si in abstractis de mente philosophi potest feluari pluralitas individuum eiusdem speciei specialissima.
 Secundo posito quod non investigatur per quid indiuiduentur intelligentia.
- 25 Si Deus de mente philosophi intelligit tantum simplicem, an aliquid extra & quid in hoc sentiat Comment. hic 4 aguntur. 373
 Primo ponitur opinio Greg.
 Secundo opinio b. Thomae.
 Tertio opinio Ioan. Bac. pro sensu Comment.
 Quarto opinio b. Thomae declaratur probabilior.
- 26 Si in abstractis sunt idem intellectus, intellectio, &

METAPHYSICAE.

- res intellecta, hic duo principaliter aguntur. 375
 Primo quid in hoc senserint philosophus & Comment.
 Secundo quid tenendum secundum veritatem.
- 27 Si omnia sunt ordinata & prouisa à primo principio, hic tria aguntur. 277
 Primo quid circa hoc senserint philosophi primi.
 Secundo quid senserint philosophus & Comment.
 Tertio quid tenendum secundum veritatem.
- 28 Si primum principium est causa effectiua omnium entium, hic etiam tria aguntur. 280
 Primo de causalitate primi principij.
- Secundo de unitate.
 Tertio de necessitate in esse.
- 29 Si est tantum vnus Deus, ita quod non possint esse plures. 385
- 30 Si solum primum principium est ens necessarium, ita quod omne ens productum sit ens cõtingens, hic quatuor aguntur, 387
 Primo declaratur quid Auic. Cõment. senserint in hoc.
 Secundo quomodo b. Thom. in aliquo tenet Comment. & in aliquo non.
 Tertio quomodo via b. Thomae continet veritatem.
 Quarto quomodo Scot. cum sequacibus nihil concludit aduersus b. Thomae qui Scot. sequitur Auic.

Explicit tabula questionum metaphysicarum quae in hoc opere continentur, & sunt numero 176.



22

FRATRIS CHRIS-
TOSTOMI IAVELLI
CANAPICII ORDIN.

Prædica, Philosophia, & Theolo-
giæ Doctoris, Quæstiones
metaphysicales.

QVAESTIONES PRIMI LIBRI.



QVONIAM primus liber versatur tan-
tùm circa recitationes & reprobationes
sententiarum antiquorum de primis cau-
sis & principiis entium, ideo pertractabi-
mus solum illa quæ sita, quæ fundamen-
tum habent in proœmio Arist. antè, quæ
pertractabimus illa duo quæ sita famosa.
Quorum primum est de subiecto huius
scientiæ. Secundum est de subalternatione aliarum scientiarum
huic scientiæ. Erunt igitur numero decem.

- 1 Si ens ut ens absolute & uniuersalissime sumptum, est
subiectum in hac scientia.
- 2 Si metaphysica subalternat sibi alias scientias.
- 3 Quomodo hæc est uera, Omnes homines natura scire de-
siderant.
- 4 Si sensus uisus, est nobilior alijs, & si est magis causa
scientiæ, & si desideramus ipsum præ alijs sensibus.
- 5 Si in brutis est prudentia.
- 6 Quomodo ex experimento generatur ars & scientia.
- 7 Si omnis actio est circa singulare.
- 8 Si obiectum sensus, est uniuersale uel singulare.
- 9 Si metaphysicus considerat omnium quidditates tantum
in uniuersali, an etiam in singulari.
- 10 Si maxime uniuersalia sunt difficilissima cognitione.

PRIMI METAPHY.

Quæstio 1. Si ens ut ens absolute & vniuersalissime sumptum, est subiectum metaphysicæ.

CIRCA hanc quæstionē, ante determinationem, aduerte duo. Primò hæc quæstio habet fundamentum in 4. lib. in tex. 1. vbi inquit Aristor. Est autem quædam scientia, quæ speculatur ens in quantum ens. vbi Commēt. dicit, q̄ prima pars quarti libri est in diffiniendo. i. determinando subiectum huius artis. verum quia ex 1. posterio. in omni sciētia de subiecto, præcognoscere oportet quid & quia. idē noticiam subiecti huius scientiæ extimamus necessariam, vt in primis immoremur circa ipsum. Secundo aduerte, q̄ præsens quæstio præponēda est sub tali titulo. Verum ens in quantum ens simpliciter sumptum, sit subiectum primum primitate adæquationis in metaphysicæ.

Ad huius igitur quæstionis resolutionem, tria agenda sunt. Primò declarabitur titulus. Secundo adducentur tres opiniones, ex quibus duæ relinquētur, & tertia sustinebitur. Tertio soluētur quædam dubia, quæ solent verti inter Thomistas.

Igitur pro declaratione tituli, aduerte primò, q̄ ly in quantum potest teneri reduplicatiuē, & specificatiuē. Reduplicatiuē tenetur, quando reduplicat rationem formale terminū, cui apponitur: vt homo in quantum homo intelligit. i. homo sub ratione, qua homo intelligit. Si autem dicatur homo in quantum homo sentit, falsum est: quoniam non in quantum homo, sed in quantum animal sentit. specificatiuē tenetur, quādo modificat terminū, cui apponitur: vt homo in quantum bipes ambulat, & vt specificat non relinquit terminū, cui apponitur in sua ratione formali absolute sumptis restringit. Aduerte secundo, q̄ ly simpliciter. stat pro non contracte. vt sit sensus. vtrum ens ratione, qua ens simpliciter. i. non contractum per aliquā diuisionem, sed vniuersalissimo modo sumptum, vt se extendit ad ens reale & rationis, ad ens per se & per accidens, ad ens finitum & infinitum, ad ens diuisum in 2. prædicamenta, sit subiectum &c.

Aduerte tertio circa ly primum primitate adæquationis: quoniam duplex primitas potest assignari in subiecto scientiæ: scilicet perfectionis & adæquationis, primitas perfectionis dicit nobiliorem entitatem in aliquo considerato in scientia, quod excedit quodcumque aliud consideratum in illa scientia,

QVAESTIO I.

2

vt cõlum est primum hac primitate in scientia naturali. Primitas adæquationis dicit præcisam æqualitatem subiecti ad scientiam, & e conuerso, ita q̄ omne consideratum in scientia, cadit sub ratione formali ipsius subiecti: & quicquid participat rationē formale subiecti consideratur in illa scientia, est ergo titulus talis, vtrum ens sub ratione entis sumptū vniuersalissime, sit subiectum adæquatum metaphy. ita q̄ nullum participans rationem entis subterfugiat considerationem metaphysicam, & metaphysicus nihil consideret, nisi ratione qua ens.

Posita declaratione tituli, aduerte circa hoc quæsitum tres opiniones. Vna dicit, q̄ ens nō est subiectum, sed genus substantiarum separatū. & hanc opinionem aliqui attribuunt Cōmētatori, eò q̄ in 1. phyſi. commen. vlt. arguens contra Auic. qui posuit ens in quantum ens subiectum huius scientiæ, sic dicit. Qui dicit, q̄ prima philosophia nititur probare entia separabilia esse, peccat. Genus enim entiuū separatorū esse, nō demonstratur nisi in scientia naturali. Hæc enim entia sunt subiectū primæ philosophiæ & impossibile est aliquā scientiā demonstrare suū subiectum esse, sed concedit ipsum esse, aut quia est manifestū per se, aut quia probatū est in alia scientia, vnde peccauit Auic. qui dicit primū philosophum demonstrare primū principium esse. Hæc Cōmēt. vltra autoritatē Cōmēt. tenentes hanc cõclusionem, sic arguunt ad eū, Totum negotiū metaphysicū videtur apud Arist. ordinari ad li. 12. in quo de separatis agit: cum ergo tota hæc scientia ad entiuū abstractorū cognitionem ordinetur, videntur huiusmodi separata esse, hic subiectum. Præterea dicit Arist. in prologo huius scientiæ, q̄ hæc scientia considerat primas & vniuersales causas entiuū, & q̄ est maxime diuina & honorāda, quoniam est consideratiua diuinorum entiuū, & in lib. 6. tex. 2. inquit, primò verò scilicet philosophia circa separabilia & immobilia &c. videtur ergo quòd entia separata sunt subiectum in hac scientia.

Sed hæc opinio falso attribuitur Cōmēt. nō si sic esset, sibi ipsi cõtraderet, quoniam in 3. lib. metaphy. commen. 64. & in 4. lib. cōmēt. 1. & 12. li. cōmēt. 1. etiā autoritate Alex. dicit, metaphy. esse de ente in quantum ens, & de his que cõsequuntur ens, nec obstat dictum suum allegatū in 1. phyſ. cõtra Auic. non enim illic intendit entia separata esse in hac scientia subiectum adæquatum, primò, quia in eodem commen. præmiterat hanc scientiam esse de ente simpliciter, secundo, quia



loquitur de separatis in plurali, vna autem scientia qualis est metaphy. debet esse vnius & non plurium subiectorum. Intendit ergo cum dicit, qd sunt subiectum, qd sunt principales & perfectiores partes sui adequati subiecti, quod est ens, & hoc sufficiebat Commēt. Contra Auic. Opinatur enim Commēt. qd sicut nulla scientia probat suum subiectum adequatum esse, sic nec probat suas principales partes. Quod autē dicit hęc opinio, totum negotium metaphy. ordinari ad cognitionem entium separatorum, non concludit intentum, nam hoc admisso, aliud non probat, nisi qd ens separatum, est primum subiectū, primitate perfectionis, idem concludunt dicta allegata Arist. in proemio, & in lib. 6. huius scientiæ, nos autem querimus de subiecto adequato, quod necesse est esse vniuersale consideratum, & hoc, vt sustinebimus infra, est ens in quantum ens cum proprietatibus suis conuertibilibus & disiunctis.

Secunda opinio est, quæ tenet subiectum huius scientiæ esse ens, non quidem simpliciter sumptum, sed ens reale finitum diuisum in x. prædicamenta, quod solet dici ens prædicamentale, & hanc opinionem sequitur Dominicus Flandrensis in questionibus suis metaphy. & dicit eam esse ad mentem b. Tho. & quoniam peritiores Thomistæ reputant id esse falsum, ideo adducam rationes suas, & solvam, sed prius aduerte, qd aliqui tenent hanc opinionem, esse etiam ad mentem Commentato. Quod tamen patet esse falsum, inspectis principiis Commenta. Certum est enim, vt allegatum est in 1. phys. comment. vlt. qd metaphy. considerat entia abstracta, quæ tamē apud Commenta. non sunt in prædicamento substantiæ, quoniam arbitrarè sola corruptibilia reponi in prædicamento. Præterea, entia abstracta apud Cōmenta. non componuntur ex potētia & actu, sed sunt purus actus, vt declarabitur de intentione sua in lib. 12. Hęc autem opinio dicit, qd substantia prædicamentalis cōponitur ex potētia & actu, ergo non est ad mentem Cōmenta. Quantum igitur ad rationes Flandrensis aduerte, qd modicæ sunt efficacix, & sunt istæ,

Prima, subiectum in metaphy. est illud cuius principia & causas querimus. Sed in ea querimus principia & causas solius entis prædicamentalis, eo quod ens vt ens, non habet principia & causas, aliter omne ens haberet principium, & sic non esset deuenire ad primum ens, cuius oppositum demonstrabitur in lib. 12.

Respondeo, negatur minor, nā manifestabitur in lib. 6. quomodo hęc præpositio est vera, ens vt ens habent principia, & declarabitur tam de principiis complexis, quā incomplexis, & tu sustine, donec in lib. 6. resoluamus, quæ illic formabuntur qualita.

Secunda, si ens cōmune Deo & creaturis, est subiectū in hęc scientia, pari ratione, ens cōmune enti reali, & enti rationis, quoniam vtrunq; sub ente, vt ens est, cōtinetur, & tamē hoc est falsum, quoniam logica tantū cōsiderat de ente rationis, cū sit subiectū in ea, & quoniam Arist. in li. 6. excludit ipsum à metaphy.

Respondeo, negatur consequentia, non enim est eadem ratio, quoniam cū metaphy. sit scientia realisissima, conuenit ei subiectum reale, ens autem cōmune enti reali & enti rationis, non est quid reale, sed ab vtroque abstrahit.

Tertia, omnes conditiones subiecti adequati, ita possunt attribui enti prædicamentali, sicut enti communi Deo & creatura, ergo &c.

Respondeo, negatur antecedens, quod nec ipse probat, falsitas autem eius constat ex hoc, quoniam ens prædicamentale non adequat considerationem metaphy., considerat enim de passionibus entis, vt declarabitur in lib. 4. quæ non conuertuntur cum ente prædicamentali, immo præcedunt ens diuisum in x. prædicamenta, vt declarabitur in lib. 4.

Tertia opinio, quam reputamus ad mentem Arist. & Commenta. & Auic. in 1. sue metaphy. & Algazelis, & domini Albert. & b. Tho. & Scoti est hęc, Ens reale per se cōmune finito & infinito. i. creato & increato, est subiectum adequatum in hęc scientia. Declaro primò titulum, deinde probō cōclusionem, dicitur ens reale, ad differentiam entis communis enti reali & rationis, quoniam vt sic in nulla sciētia est subiectum, nullam enim dicit vnitatem, sed tantū vnitatem vocis, ens autē reale dicit vnitatem vniucationis, secundū Scotum, vel analogiæ, secundū b. Tho. & propterea, potest esse subiectum in metaphy., sicut & in logica subiectum est ens rationis, quod Arist. in lib. 6. tex. 8. dicit prætermittendum à metaphy. vbi dicit Cōment. vtrunq; scilicet ens per accidens & ens verū numeratur in genere entis diminuti, & ideo perferuntur de ente perfectio, quod est ens extra animam, hęc Commentator.

Nec obstat qd dicit philosophus in 4. lib. tex. 5. qd metaphy. & logicus loquuntur de omnibus, & sic cōueniunt in ente, vbi

PRIMI METAPHY.

& Cōmen. ait, q̄ conueniunt in subiecto. illud enim intellige-
dum est de subiecto materialiter, & nō formaliter sumpro. nā
alia ratione cōsiderat metaphys. de ente, & de quolibet ente,
& alia ratione logicus. metaphysicus quidē scrutatur verā enti-
tate cuiuslibet entis, vt entitas est: logicus autē ideō cōsiderat
de omnibus, prout cuiuslibet enti attribuit aliqua ex intentioni-
bus secundis, vel cōsiderat de omnibus, procedendo ex aliqui-
bus cōmūnibus, metaph. autē procedendo ex propriis, & ideō
discursus metaphys. scientiam generat, logicus autē opinionē
tantū: loquendo ergo de subiecto aduquato, & secundū suā ra-
tionē formale, non cōueniūt metaph. & logicus, & tu aduerte,
q̄ aliqui breuius respondētes dicunt Arist. & Cōmen. intelli-
gere de subiecto cōmūnissimo, & non de aduquato, sed id non
videtur cōsonū, quoniā Arist. in 1. tex. eiusdē libri, iā proposue-
rat q̄ est aliqua scientia, quæ speculatur ens inquantū ens, & se-
cundū Cōmen. illic agit de subiecto proprio huius artis, vt di-
stinguitur à subiectis aliarū scientiarū, ergo continuādo text.
philosophi, rationabile est, q̄ in sensu eodē loquatur de subie-
cto in text. 5. Ideo tu tene primam responsionem, quæ etiam
consonat b. Tho. illic exponenti.

Dicitur ens reale per se, quoniā Arist. in lib. 6. in tex. 8. exclu-
dit ens per accidens, de quo probat illic Arist. q̄ non potest sci-
ri, sicut nec ens fortuitum, vnde in fine sexti libri, quasi purifi-
cans subiectū huius scientiæ inquit. Quapropter dimittantur
scilicet ens per accidens, & ens verum, vbi Commenta. inquit,
dimittamus ergo perscrutari ens per accidens, & ens quod est
in anima, quoniā vtrunque numeratur in genere entis di-
minuti, & ideō perscrutandum est de ente perfecto, quod est
ens extra animam.

Dicitur commune enti finito & infinito, qd tu nō intelliges
quæritatiuē, sed essentialiter, quod exponitur per creatū & in-
eratum, siue per productum & improductum, quoniā (vt ra-
tiones pro conclusione probabunt) metaphysicus non solum
versatur circa ens prædicamentale, sed circa ens reale, prout
verificatur de quolibet ente reali per se. constat autem quod
non solum ens finitum, est ens reale per se, sed & infinitum, vt
Deus, est ens reale per se, immo realissimū, cū sit pfectissimū.

Sed dices, ergo tu tones ly inquantum specificatiuē, & sic co-
incidit cum opinione secunda.

Respondēo, non inconuenit specificare ly ens, non tamen si-

QVAESTIO I.

4

cut secunda opinio, nam illa contrahit ens ad x. prædicamen-
ta, quæ dicunt speciales modos essendi, vt declarauimus in tra-
de transcendentibus: nos autem non sic cōtrahimus, sed relin-
quimus ipsum in sua maxima vniuersalitate, tractum ad ens
reale per se, quod est longē maioris ambitus, quā ens prædica-
mentale, vnde pro nostra opinione, sic formetur conclusio, ens
reale per se inquantum tale, est subiectum in hac scientia.

Sic declaratā conclusionem probamus duplici ratione, pri-
mō sic, illud est subiectū in metaphys. cuius passiones primō
& per se conuenientes ei cōsiderantur in metaphys. Hæc patet,
quoniā est cōditio requisita in subiecto cuiuslibet scientiæ,
sed entis realis per se passiones primō & per se ei cōnuenientes
cōsiderantur in metaphys. Hæc patet quoniā, vt declarabi-
tur in 4. lib. passiones primō & se entis, sunt transcendentia,
& actus & potentia, & finitum, & infinitum entitatiuē, & istæ
cōsiderantur in metaphysic. vt patet in libr. quarto & 9. & 10.
ergo &c.

Sed aduerte, q̄ Flandrensis conatur hanc rationem soluere:
dicens, quod metaphys. non cōsiderat passiones entis, nisi vt
diuiditur in x. prædicamenta, similiter nec ipsum ens, cuius si-
gnum dicit esse, quod philosophus in li. 5. in cap. de ente, diui-
dit ens quod posuerat in 4. lib. subiectum metaphys. in x. præ-
dicamenta.

Sed hæc responsio rudis est, quoniā philosophus in lib. 4.
tex. 1. dixit, q̄ est quædā scientia, quæ speculatur ens inquantum
ens, & quæ huic insunt secundum se, exemplificans autē in tex.
3. de his quæ per se insunt enti, nominat vnū, & infra nominat
spēs vnius, & dicit ad eandē scientiam pertinere cōsiderare de
ente & vno, sed vnum & alia transcendentia non cōsequuntur
per se, sumendo per se conuertibiliter ens prædicamentale: im-
mō ens reale. Aliquod enim est ens & vnum & bonum, & verū
quod tamen non est in prædicamēto, puta prima causa, falsum
est etiam, q̄ philosophus in 5. lib. c. de ente, diuidat ens solum
in x. prædicamēta, quoniā in eodē c. diuidit per potentiam & a-
ctū & constat q̄ veranq; diuisionem prosequitur, eam quidem
quæ est in x. prædicamen. in lib. 7. & 8. reliquam autē in lib. 9.
Stat igitur ratio adducta pro conclusione in robore suo.

Secundō sic arguitur, cū ens inquantum ens habeat pas-
siones de ipso demonstrabiles, vt declarabitur in 4. lib. est ve-
rē scibile: ergo in aliqua scientia debet esse subiectum, non in



PRIMI METAPHY.

physica, nec in meta, quoniam vt inquit Arist. in 4. libr. tex. t. cum sint scientiæ particulares, partem entis considerant. si ergo non est subiectum in hac scientia, oportet dare aliam scientiam vniuersalem, distinctam ab hac scientia, quod est falsum: quoniam tunc essent 4. philosophiæ speculatiuæ. quod est contra Arist. in lib. 6. tex. 2. & illa quarta esset prima & vniuersalissima subiecto, ex consequenti falsò attribuisset Arist. huic scientiæ nomen primæ philosophiæ. & nomen sapientiæ. cum igitur hæc sit apud Arist. prima philosophia, eius est de ente in quantum ens speculari, & non solum de ente prædicamentali.

Probata conclusione aduerte, q̄ inter Thomistas est discrepancia: quoniam aliqui tenent cū Flandrensi, aliqui autē cū tertia opinione, quā credo esse ad mentē b. Tho. Qui tenent cū Flandrensi, fundat se super duo dicta b. Tho. Primū est super Boetium de tri. in q. qua querit, de distinctione scientiarū speculatiuarū, illic sic dicit, theologia siue scientia diuina est duplex, vna in qua cōsiderantur res diuinae, non tanquā subiectū scientiæ: sed tanquam principia subiecti. & talis est theologia, quā philosophi profecūtur, quæ alio nomine metaphy. dicitur. alia verò, quæ res diuinas cōsiderat propter seipsas, vt subiectū scientiæ. & hæc est theologia, quæ sacra scriptura dicitur. Theologia ergo philosophia determinat de separatis, sicut de principiis subiecti. Theologia verò sacra scriptura considerat de separatis, vt de subiecto. Hæc b. Tho. Tūc isti sic arguūt, Principia subiecti nō cōtinentur sub subiecto, aliter causa cōtineretur sub suo effectu secundū b. Tho. substantiæ separate cōsiderantur à metaphyico, vt principia entis, quod est subiectū in metaphy. ergo nō cōtinentur sub subiecto metaphy. tex. cōsequenti ens reale per se acceptum in sua maxima vniuersalitate, non est subiectum in hac scientia.

Secundum dictum b. Tho. est in prologo, quem præponit in principio metaphy. vbi circa finem sic inquit, ex quo apparet q̄ quantum ista scientia, prædicta tria consideret, non considerat quodlibet eorum vt subiectum, sed ipsum solum ens commune. Hoc n. est subiectum in scientia, cuius causas & passiones querimus, non autem ipsæ causæ generalis querit. Hæc b. Tho. & parum ante præmiserat, quod substantiæ separate sunt omnes & vniuersales causæ entis cōmunis, q̄ est genus à subiectum in hac scientia. Tunc isti sic arguunt, illud ens commu-

QVAESTIO I.

5

ne est subiectum in metaphy. cuius causæ & principia sunt substantiæ separate. hæc est b. Tho. sed ens cōmune Deo & creaturæ substantiæ separate, non sunt causæ & principia, aliter & Dei & sui essent causæ, ergo secundum b. Tho. ens commune Deo & creaturæ, non est subiectum in hac scientia.

Ad primū dictū b. Tho. rñdeo, & dico, q̄ ex eo nō intēdit negare, quin separate cōtineantur sub subiecto metaphyico, sed innuit modū, quo cognoscitur ab ea, vnde aduerte, q̄ licet omnia entia realia per se considerentur à metaphyico, & vt sic cōtineantur sub suo subiecto, nō tamē eodē modo omnia considerantur, sed quædā à priori & per essentias suas, vt pote proportionata intellectui nostro, quædā à posteriori & per effectū, quorū sunt principia, vt entia separate & immaterialia cū ergo dicit b. Tho. q̄ metaphyico cōsiderat separate, vt principia entis, dedit modū cognitionis. q. d. per effectus, ex quibus ascendimus ad cognoscendū hæc prædicata de illis. s. principia causæ, primi motores, æterni, immateriales, intellectuales, &c. Tunc ad argumentum distingo Maiorem. Principia subiecti contineri sub subiecto, potest esse dupliciter, primò in ratione productiua, vel causalitatis, & sic est vera, aliter effectus esset productiuus sui principij, secundo in ratione cognoscitiua, vel cognoscibilitatis, & sic nego ipsam maiorem, nam quādo cognosco causam per effectum, effectus, in ratione cognoscitiua, habet rationem principij, & causæ, & vt sic cōtinet sub se principium & causam suam productiuam, & sic patet q̄ non inconuenit substantiæ separate esse realia principia entium, & tamen contineri sub ente, vt principia sub suo effectu in ratione cognoscitiua.

Ad dictū secundū, dico q̄ minus eis suffragatur, quoniam licet quodlibet horū triū, substantiæ separate, ens cōmune, passiones & partes entis, nō sit subiectū in hac scientia, eò q̄ vna scientia est vnus subiecti, ex hoc tamē nō sequitur, quin ens cōmune Deo & creaturæ sit subiectū adæquatum, & ad argumentū nego minorē, ad probationē nego consequentiā, quoniam ista propositio, substantiæ separate sunt causæ entis cōmunis, nō est necesse q̄ verificetur vniuersaliter, sed parti aliter sufficit. n. q̄ ali qua pars entis subiectiua, puta ens corruptibile, sit causatū ab eis. Et præterea, hoc argumentū est contra arguentes, nā ex eo sequitur, q̄ nec ens prædicamentale sit subiectum, cum n. substantiæ separate excepta prima, cōtineantur in prædicamento, & se-

PRIMI METAPHY.

cundū ipsos solū illud ens commune, cuius sunt principia substantiæ separatae, sit subiectū in hac scientia, sequitur q̄ vel illa substantiæ producāt seipsas, vel q̄ subiectū metaphy. nō se extendat ad omne ens prædicamentale, quod est contra sic arguentes. Patet ergo q̄ dicta b. Tho. non eis suffragantur. Et aduerte laqueū eorū fuisse, quia nescierūt intelligere, quomodo sit verū, q̄ ens, inquantū ens, habet principia, & tamē Deus qui continetur sub ente, nō habet principia. Id autē nos resolueimus in lib. 6. & tu sustine vsq; illic, nec inutilis fiat repetitio. Hæc pro presenti questione sufficiat. In recitandis autē argumentis & soluendis, quæ solent adduci contra huiusmodi determinationē, non est vile nobis immorari, quoniam apud Ant. And. & Paulum Socinatem, & Io. Iandunum, & plures alios, quæstiones formantes in hac scientia, videri possunt, & idem modus seruari bitur à nobis in quæstionibus sequentibus.

Quæstio 2. si alia scientia subalternatur metaphysicæ.

Circa hanc quæstionē aduerte q̄ oritur à precedenti, nam qui tenet ens cōmune Deo & creaturæ esse subiectum in hac scientia, videtur cōpelli ad talent subalternationē, eō quod alia scientia cōtrahat subiectū metaphysicæ per differentiā additā, licet nō sit dīa propriè sumpta, ut ens non sit genus, vn de sicut linea visualis cōtrahit lineā, & propterea prospectiua subalternatur geometriæ, sic videtur ens mobile contrahere ens, & ideo videtur physica subalternari metaphysicæ. Idem videtur de mathematica, cuius subiectum est ens quantum. Vt igitur id resoluetur, & appareat, quod ad id nō compellimur, agemus tria. primò ponemus aliquas distinctiones, ex quibus apparebit quid sit propriè subalternari, secūdo ponemus duas conclusiones, ex quibus resoluetur totum quæsitum, tertio soluentur quædam dubia.

Prima distinctio est de contractione subiecti. Aduerte igitur q̄ contractio fit dupliciter, primò per contractiuium per se, secūdo per contractiuium accidentale. Secundum primum sensum ex contractiuiō & contractio fit vnum per se, in primo vel secundo modo per se. Et hæc contractio seruetur inter differentiam essentialē, & suum genus, vt animal rationale vel inter genus, & speciem, vt animal homo, & habetur inter superius & inferius in ordine prædicamentali. Similiter inter subiectum & propriam passionem, & præcipuè disunctam, vt numerus par, vel numerus impar. In secundo sensu ex contra-

QVAESTIO II.

6

ctiuiō & contractio fit vnum per accidens, vt ex linea & visuāli. nō. n. visuāle est differētia, vel propria passio lineæ, nec vnū est de ratione alterius. Secus autē esset, si differerentur linea longa, vel linea breuis, quoniā esset cōtractio iuxta primum sensum.

Secunda est de varia subalternatione. Aduerte igitur quod vna scientia potest dici subalternari alteri dupliciter, primò denominatiue, & quasi extrinsecè tantum, & fit, q̄ finis inferioris ordinatur ad finem superioris: vel quando subiectum inferioris continetur sub subiecto cōmunitioris. Primo modo, omnes scientiæ vel artes subseruientes, possunt dici subalternari principali, iuxta quem modum dicit philosophus in 1. Ethicorum, frenesactiua equestrem, & militarem ordinari ad politicam. Secundo modo, omnes scientiæ quæ sunt de partibus subiectiuis alicuius subiecti communis, possunt dici subalternari scientiæ, quæ est de subiecto communi, puta quod scientia de celo, de elementis, de mixtis, de animatis subalternatur physicæ, iuxta eūdem modū, scientiæ de subiecta, de accidente, de actu, de potentia, de vno, de multis, possunt dici subalternari scientiæ, cuius subiectum est ens. Sed hæc subalternatio est cōmuniter dicta & impropria, nec iuxta eam formatur presens dubiū. Secundo dicitur vna alteri subalternari intrinsecè & essentialiter, ita q̄ si non subalternaretur alteri, non esset scientia, nec haberet viam ad probandum conclusiones suas. Et hæc est vera & propria subalternatio, quæ tria requirit. Primò quod subiectum subalternatæ contineatur sub subiecto subalternantis, & defectu huius, physica non subalternatur geometriæ. Secūdo quod subiectum subalternatæ addat super subiectum alternantis aliquod accidentale & extraneum, & non aliquod per se, & defectu huius, scientia specie non subalternatur scientiæ de genere, nec scientia de passione, scientiæ de subiecto. Tertio quod scientia subalternans dicat quid de proximis principiis subalternatæ, ita quod non potest reducere conclusiones in principia sua, nisi auxilio scientiæ subalternantis. Vel sic, q̄ de principiis suis proximis nullam habet euidentiā: nisi probata sint in subalternatæ, & vt probata recipiat. & hæc est perfectissima subalternatio, de qua locutus est philosophus in 1. poste. & potest sic describi: Subalternatio est suppositio vniū scientiæ alteri scientiæ, cuius subiectum contrahitur per differentiam accidentalem, & extraneam, & probat principia proxima scientiæ sibi suppositæ.

PRIMI METAPHY.

His præmissis, pro determinatione quarum, proponuntur duæ conclusiones. Prima est, subalternatione denominatiua, siue extrinseca, aliarum scientiarum subalternatur metaphysicæ: nam aliarum sunt de aliqua parte entis, vt patet in 4. li. huius scientiæ, tex. 1. Quilibet autem pars entis contrahit, vt ens mobile, ens, quantum continuum, ens, quantum discretum, cum ergo subiecta aliarum scientiarum contineantur sub subiecto metaphysicæ, & addant super ipsum, possunt vt sic dici subalternari metaphysicæ. Præterea videntur omnes ordinari ad eam, vt ad nobilitate remideo appellatur sapientiæ ergo vt sic subalternat sibi alias:

Secunda conclusio, subalternatione propria dicta, non subalternatur: nam substantia earum non addunt supra ens ali quod extraneum ab ente, licet. n. additum non sit de ratione entis, tamē ens est de ratione additi quoniam nihil subterfugit rationē entis: aliter esset nō ens. Ad verā autē subalternationē ratione illius, quod addit subiectū subalternatæ, super subiectū subalternantis, requiritur, quod vnū nō sit de ratione alterius, nec e conuerso. nam linea nō est de ratione visualis, nec e conuerso. Præterea, aliarum scientiarum habent sua principia proxima sibi euidentiæ, aut ex sensu, aut notitia suorum priorum terminorum, vt prima principia mathematica, & plura principia. s. physica, vt motus est, natura est, plura entia sunt. Hæc & plura alia sunt sufficienter nota in scientia, in qua sunt principia, ita quod mathematicus & physicus possunt ex eis deducere conclusiones suas, absq; hoc quod imitantur superiori scientiæ: ergo constat, quod aliarum scientiarum non subalternatur metaphysicæ.

Vltimo aduerte duo dubia contra prædictam determinationem. Primum est, quod metaphysica probat principia omnium scientiarum, & habet firmare, vt patet in 4. lib. huius scientiæ, & Arist. dicit in 1. phys. tex. 8. & 12. quod si quis negat geometriæ, non est geometra, sed primi philosophi probare: ergo videntur aliarum scientiarum subalternari huic.

Respondetur dupliciter, primo, quod primus philosophus non probat principia proxima aliarum scientiarum, quoniam illa supponuntur vt manifesta in illa scientia, pro tanto autē dicitur probare principia aliarum scientiarum, quia probat prima & vniuersalissima principia complexa, quibus videntur scientiæ particulares, non quidem in sua communitate, sed vt eis opus est vt declarauimus in 4. lib. Ad hoc autem quod vna scientia subalternetur alteri, necessesse est vt principia proxima subalternatæ, sint conclusiones pro-

QVAESTIO II.

7

batæ in subalternante, quibus deducuntur conclusiones in subalternata: aliter scientia subalternata non esset scientia. Dico secundò, quod dato & non concesso, quod metaphysica probaret principia proxima aliarum scientiarum, adhuc non esset verè subalternans: quoniam subiecta aliarum scientiarum nō addunt differentiam extraneam ab ente: quoniam ens est de ratione differentie additæ. Quare &c.

Secundū dubium est quia b. Tho. in opusculo de natura generis, dicit in ca. 5. quod incipit de metaphysica, & logica & c. quod physica subalternatur metaphysicæ, & videtur loqui de subalternatione proprie dicta, nam si legis dictum opusculum, inuenies, quod eo sensu, quo prospectiua subalternatur geometriæ, physica subalternatur metaphysicæ.

Ad hoc dicitur ab aliquibus Thomistis, illud opusculū non esse b. Tho. & præcipue, quia ratio quam adducit ad hoc, non valet. Dicit. n. isto modo naturalis scientia quæ applicat naturam entis ad naturam sensibilem, est sub metaphysicæ, quæ considerat de ente absolute: quia ens mobile non est species entis, cum ens non sit genus: patet autem quod hoc non valet, non. n. ad veram subalternationem sufficit, quod non sit species, sed est necesse, vt ille modus contractiuus sit ita extraneus à subiecto subalternantis, quod non diffiniatur per ipsum, sicut patet quod linea non est de ratione visualis, neque numerus de ratione sonori, est autem impossibile inueniri aliquid, de cuius ratione non sit ens: & ideo similitudo quæ adducitur de prospectiua & geometria, & de physica ac metaphysica nulla est, vnde nō est verisimile b. Tho. ita inconsultè locutum fuisse. Potest etiam dici, admissio quod opusculum sit b. Tho. quod illic non loquitur de propria subalternatione, de cuius ratione est, quod non solum subiectum subalternatæ addat extraneum super subiectum subalternantis: sed quod subalternans probet principia proxima subalternatæ, quod nō facit metaphysica, respectu physicæ. Nec obstat quod dicit, illo modo subalternari physicam metaphysicæ, quo prospectiua geometriæ. Hæc. n. similitudo currit solum quantum ad hoc, quod sicut linea visualis non est species lineæ, sic nec ens mobile, est species entis. Sed vt diximus, hoc non sufficit ad veram & propriam subalternationem. Hæc de presenti quaestio dicta sunt.

Quæstio 3. si hæc est vera, omnes homines natura scire desiderant.

PRIMI METAPHY.

Circa hanc propositionem vt appareat eius veritas, quatuor agenda sunt. Primo quomodo sumitur ly natura. Secundo distinguendum est de multiplici appetitu, siue desiderio. Tertio ponentur aliquę conclusiones responsiuę. Quarto soluentur quedam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quod ly natura, vt patet in 5. lib. multipliciter sumitur. s. pro generatione viuentium, & dicitur natura, quasi nascitura, vel quia est via ad naturam. i. ad formam, sumitur etiam pro forma & pro materia, quia sunt principium motus intrinsecum. Sumitur etiam pro rei essentia, sicut cum dicimus, natura hominis est esse animal rationale. Sed nullo horum modorum sumitur hic natura. videtur autem sumi pro quadam essentiali proprietate consequente inseparabiliter ipsum hominem, qua inclinatur ad scientiam, sicut cum dicimus, lapis natura. i. sua naturali proprietate inclinatur in centrum. & in hoc sensu ly natura, solet exponi pro naturaliter.

Quantum ad secundum aduerte, q. ex doctrina b. Tho. in prima parte q. 80. art. 1. & 2. triplex est appetitus. s. naturalis, sensitiuus, & intellectualis. naturalis cōsequitur rei naturam, sensitiuus sensum, siue cognitionē sensitiuā, & diuiditur per irascibile & concupiscibile, vt declarauimus in 3. de anima in trac. de potentia motiua. Intellectualis sequitur intellectū, siue cognitionē intellectuā, & dicitur volūtas siue appetitus liber, quo potest appetens in opposita. Naturalis est tendentia siue inclinatio rei in perfectionē suā, & inest cuiuslibet rei: quoniam vnquoque ex sui natura tendit in suā perfectionē. & hic appetitus non distinguitur realiter ab essentia rei, nec dicitur potētia, vel actum additum essentia: sed est ipsa rei essentia, vt ordinatur & tendit in suum propriū finem. vnde appetitus naturalis in lapide, est ipse lapis, vt inclinatur in cētrum. Sensitiuus autem est potentia animę, qua tendit animal in bonum apprehensum per sensum, vt sibi conueniens, & diffugit malum apprehensum vt disconueniens. Intellectualis verō est potentia animę, siue naturę intellectuę, qua tendit in bonum, & refugit malum, vt apprehenditur intellectu, & quoniam in natura creata intellectuali, secundum viam naturam, distinguitur potentia à rei essentia, sequitur appetitum intellectualem distingui realiter ab essentia rei. Idem intellige de sensitiuo, & aduerte hos appetitus, sic ordinari, quod prior & communior est naturalis,

QVAESTIO III.

5

est. in qualibet natura, vnde & sensus, & intellectus, & voluntas, vt sunt quedam naturę, dicuntur habere appetitum naturalem, prout inclinatur in perfectionem suam, posterior autem & minus communis est appetitus sensitiuus, quoniam inest omni & soli animali ex 2. de anima, postremus & adhuc minus communis, est intellectualis, qui inter mortalia, inest omni & soli homini, absolute autem inest soli naturę intellectuali. Nam vt declarabitur in lib. 12. in substantiis separatis datur nobilissimo modo intellectus & voluntas.

Quantum ad tertium, pro determinatione quęstici ponuntur tres conclusiones responsiuę.

Prima conclusio, propositio philosophi non verificatur de appetitu intellectuali, quoniam cum sit formaliter potentia libera, potest in oppositum, & sic potest homo appetere non scire, quod est falsum, aliter propositio philosophi non esset necessaria, sed contingens.

Secunda conclusio, non verificatur de appetitu sensitiuo, nam iste appetitus sequitur apprehensionem sensus. Sed sensu non apprehendimus vniuersale, de quo proprie est scientia. Pręterea, sensu cognoscimus tantum sensibilia. Sed non appetimus cognoscere tantum sensibilia, immo & magis quę non cadunt sub sensu, ergo &c.

Tertia conclusio verificatur proprie de appetitu naturali. Hęc conclusio patet à sufficienti diuisione data de appetitu, quam & b. Tho. probat tribus rationibus, exponens textum. Prima est, sicut se habet materia ad formam in generatione entis, sic intellectus noster ad scientiā. Nam ex 3. de anima, sicut materia est ex se in pura potentia ad formam, & non perficitur nisi per formam, sic intellectus noster est in pura potentia ad scientiam, & non perficitur, nisi per receptionem scientię. Sed ex eo, quod materia est in potentia ad formam, naturaliter appetit eam ex 1. physico, tanquam suum perfectiuū: ergo idem contingit ex parte intellectus, respektu scientię. Secunda est, Quilibet res naturalem inclinationē habet ad propriam operationem vt calidum ad calefactionem, lucidum ad illuminationem, lapis ad descensum. Sed propria operatio hominis in quantum intellectualis est intelligere & scire, ergo &c. Tertia est, vnquoque rei inest desideriū naturale, vt coniungatur suo principio, quoniam in hoc est vltima perfectio sua, sed principium hominis in quantum est naturale intelle-

PRIMI METAPHY.

Analys, est ipsa prima substantia separata. Deus, cui non potest homo uniri, nisi per intellectualem cognitionem, cum sit penitus immaterialis. ergo naturaliter desiderat intelligere & scire Deum, unde in huiusmodi reponitur humana felicitas, ex 10. Ethicorum.

Sed aduerte qd Anto. And. in 1. lib. q. 2. impugnat b. Tho. non de falso, sed de pluralitate harum rationum. Dicit enim qd tres coincidunt in una tantum. & sic arguit. Omne appetens primam perfectionem. i. scientiam, appetit propter secundam. i. propter scire & secundam appetit propter tertiam. i. propter unionem ad obiectum suum, siue principium, ubi autem unum propter alterum, est tantum unum, si ergo prima perfectio, a qua sumitur prima ratio, est propter secundam perfectionem, a qua sumitur secunda ratio, & secunda perfectio est propter tertiam perfectionem, a qua sumitur tertia ratio, videntur realiter esse tantum una ratio.

Ad hoc dicitur qd b. Tho. plurificat has rationes, non ea ratione qua una perfectio ordinatur ad alteram, sed prout distincte perfectiones habent distinctas appetibiles, scientia. n. cum sit habitus perfectior, est ex se appetibilis, idem dico de scire, & unionem ad obiectum. Ant. And. autem opinatur harum trium perfectionum esse tantum unam appetibilem, ita quod non sint appetibiles, nisi in ordine unius ad alteram, ideo credidit tres rationes ad unam reduci. Dicemus ergo, quod secundum appetibilitatem sunt tres, & in hoc sensu formavit eas b. Tho. & plurificavit.

Quantum ad quartum aduerte tria dubia, primum est de appetitu naturali. & est tale, si appetitus naturalis non distinguitur ab ipsa essentia rei, ergo intellectus ut inclinatur ad scientiam, ut ad sui perfectionem, est appetitus naturalis. Sed hoc est falsum, quoniam cum obiectum appetitus sit bonum, esset etiam obiectum intellectus, quod patet esse falsum, quoniam eius obiectum est verum, & non bonum.

Respondeo, intellectus dupliciter consideratur, primo ut natura quoad perfectibilem, secundo ut intellectus est, primo modo suum obiectum est bonum, & ipsum verum, siue scientia, ut perficiunt intellectum, sunt bonum suum, secundo modo suum obiectum est verum, ut declarauimus in tract. de transcendentib. patet igitur non esse inconueniens, qd intellectus sit appetitus naturalis, in quantum inclinatur in scientiam, ut in suam perfectionem, & ut sic suum obiectum esse bonum, idem dico de sensu

QVAESTIO IIII.

sensu, ut inclinatur in obiectum suum, similiter de voluntate, ut ex vi naturae suae tendit in obiectum suum, unde voluntas ut natura, est appetitus naturalis, ut voluntas, est appetitus rationalis.

Secundum dubium est, cum homo naturaliter appetet scientiam ut primam perfectionem, & considerare siue speculari ut secundam perfectionem, dubitatur, si eodem aut diuerso appetitu desiderat utranque perfectionem. & videtur qd diuerso. Nam antequam habeat primam perfectionem, est in potentia essentiali, qua habita, est in potentia accidentali respectu secundae. Sed non videtur esse eadem potentia essentialis & accidentalis, cum non dicatur de eis potentia uniuoce, ergo non videtur esse idem appetitus, quo appetimus scientiam & speculari.

Respondeo secundum doctrinam b. Tho. dico qd eodem appetitu reali, nam sicut una materia numero appetit formam substantialem primam, deinde formas accidentales, quoniam accidentalis supponit substantialem. Sic idem intellectus eadem inclinatione reali inclinatur primo ad scientiam, deinde ad speculari, quoniam hoc praesupponit scientiam. Ad arg. dico, qd distincta potentia in essentiali & accidentali non est distincta realis, sed secundum rationem, unde licet concedamus intellectum alia ratione inclinari ad scientiam, alia ad speculari, tamen negatur haec consequentia, ergo alia & alia potentia, siue alio & alio appetitu. Nec obstat, qd potentia non dicitur uniuoce de essentiali & accidentali: quoniam ad praedicationem non uniuocam, sufficit distinctio rationis.

Tertium dubium est, si omnes homines natura scire desiderant. unde est, qd aliqui desiderant scire naturalia, & diffugiunt mathematica, & aliqui econuerso, & aliqui tantum physica, aliqui tantum rhetoricam, aliqui tantum poeticam, aliqui tantum historiam &c.

Respondeo. Hoc dubium diffuse resoluius in epitomi nostra in 1. metaphy. in c. 3. quare illic, ne pluries idem inutiliter repetatur. Haec de 3. q. dicta sunt.

Quaestio 4. si visus est nobilior sensus, & si est magis causa sciendi, & si ipsum magis diligimus. Ipsum videre praer omnibus eligimus: quia hic maxime cognoscere nos facit. In proximo.

Circa hoc quaestum sic procedemus. Primo probabitur qd visus est nobilior ceteris sensibus. Secundo quod per se magis facit scire. Tertio quod ipsum magis diligimus. Quar-

ed soluentur quedam dubia.

Quantū ad primū aduertē quadruplicē viam, qua notificatur nobilitas visus super alios sensus. Prima sumitur ex obiecto. respicit enim lucē & colorē, qui est quædā lux, licet nō pura, vt declarauimus in lib. de sensu & sensato. lux autem nobilior est inter omnes qualitates sensibiles. cuius signū est q̄ in nobilissimo corpore inuenitur, & dicitur qualitas primi altērantis. nā ex 1. lib. de celo. celū agit in hęc inferiora motu & lumine. & hanc rationem tangit philosophus in 1. lib. de generatione. tex. 7. vbi probat, visum esse priorē tactu, ex prioritate visibilitatis ad tangibile. Itē color inest omni corpori formaliter, vel radicaliter, prout in omni corpore potest recipi lux. Itē visus cognoscit magnitudinē & figurā cōmuniū siue extēsus quā ceteri sensus, cognoscit enim eas vt sunt in celo & in his inferiori. ceteri autē sensus vt sunt in his inferiorib. tantū. Tunc sic, sensus qui est vniuersalioris obiecti, videtur esse nobilior. visus ex prædictis est vniuersalioris obiecti. ergo &c.

Secunda via sumitur ex organo, cum enim visus sit potentia organica, ex nobilitate organi ostendi potest nobilitas eius: nobilitatem autem organi manifestat nobis plura. primo facillima tacto, quōtiscunq; cōtingentiū ipsum, etiam q̄ sit minima. secundo mirum artificium compositionis suæ, constat enim ex diuersis humoribus & pelliculis, de quarum diuersitate non est ad præsens considerandū. id enim ad physicum, & prospectuum spectat. tertio ex multiplici defensione quod natura ei præparauit, vt sunt palpebræ, & supercilia, & concavitates osium &c.

Tertia via sumitur ex excellētia medi, quod est diaphanū, quod non solum inuenitur in his inferioribus, sicut media aliorum sensuum, sed etiā in celestibus, quod quanto simplicius & purius est, tanto perfectius per ipsum sic visio. verū quia diaphanū est mediū in auditu, & in odoratu, sicut in visu, ideo ex hoc non possumus concludere nobilitatem visus super alios sensus, propterea sequitur quarta via.

Quarta via sumitur ex nobilitate visionis. quæ est actus pure spiritualis, eo quod ad ipsam non concurrat aliquis motus aut mutatio realis, nec ex parte obiecti. quoniam obiecti non causat nisi speciem intentionalem, nec ex ea parte medi, nec organi. in omni illa species tantum intentionaliter immutat & medium & organum. In aliis autem sensibus, semper

interuenit aliqua mutatio realis, siue ex parte obiecti, siue ex parte medi, siue ex parte organi, vt declarauimus in lib. 2. de anima. Item visio se extendit ad superiora corpora & inferiora, actus autem aliorum sensuum solum ad inferiora. Itē magis tristatur homo priuatione huius actus, & magis delectatur positione sua circa obiectum proportionatum. Patet ergo ex his omnibus excellentia & nobilitas visus super omnes alios sensus.

Quantum ad secundum dico quod facit magis scire per se. Dico per se, ad differentiam auditus, qui magis facit scire per accidens, in scientia quæ habetur per doctrinam, vt diximus in lib. de sensu & sensato. Quod quidem sic intelligendum est. Auditus nō confert doctrinæ nisi ex aliquo, quod est accidentale obiecto audibili vt audibile. est non enim vox ista homo, vt apud habent ex se, quod sic representatiua conceptus, sed ex instituto humano, quod quidē accidit voci vt vox est. Quia igitur voces audibiles, magis quā alia sensibilia, puta colores, aut odores, iudicantur esse promptiores, & magis accommodata ad manifestandū conceptum, ideo dicitur auditus magis deseruire sciētiæ quæ habetur per doctrinam, per accidens tamen, quia non ex suo obiecto, sed ex instituto humano, quo ordinatum est, obiectum auditus esse manifestatiuum conceptum.

Hanc igitur conclusionem scilicet visus magis facit scire per se, sic probo. Magis deseruit priori scientiæ, quæ est illa quæ habetur per inuentionem. Doctrina enim vltimate supponit inuentionem & non econuerso, ergo &c. Quod autem magis deseruat inuentioni, probatur ex Arist. in tex. cum dicit, causa autem est, quia hic maxime sensuum nos cognoscere facit, super quem tex. b. Thom. fundat duas præuentiones visus. Prima est, quod obiectum suum certius cognoscit propter suam maiorem spiritualitatem, ergo magis deseruit scientiæ, quæ importat certitudinem cognitionis. secunda est, quia per ipsum plures rerum differentias cognoscimus. nisi enim fuisset visus, de celestibus & metaphysicalibus nullam habuissemus noticiam. vnde & Plato in Timæo inquit, rerum sublimium noticiam ij oculi nobis attulerunt.

Quantum ad tertium aduertē q̄ sic distinguendum est. Homo dupliciter consideratur primo vt animal, secundo vt homo, vt animal, magis diligit tactum & gustum, his enim teruatur

PRIMI METAPHY.

ultā ex 2. de anima, & animal est animal primò propter tactū, unde homo appetens seruari in vita, praeligit excæcari quàm cõburi. cõbustio enim tactū destruit. Vt homo autē magis diligit visum, quoniam vt homo intellectiuus est, & scire desiderat, & quoniam visum magis deseruit sciētia, vt probauimus: ideo homo vt homo magis diligit ipsum, & in hoc proposito philosophus adduxit illam propositionem, ipsum videre præ aliis eligimus. Præposuerat enim q̄ omnes homines vt homines, natura scire desiderant, ex quo bene sequitur, q̄ homo vt appetens scire, magis diligit visum, eo q̄ per ipsum certius & plura quàm per alios sensus cognoscit, vt declaratum est.

Quantum ad quartum aduerte duo dubia, primū est circa illud, q̄ visus facit magis scire, nam videtur aliquibus, quòd tactus faciat magis scire, eo quòd videtur esse magis cognoscitiuus quā visus intensiue & extensiue, intensiue quidē, quoniā sensus certissimus est perfectissimè cognoscitiuus. Sed vt dicit philosophus in 2. de anima tex. 3. 4. hunc sensum tactus certissimum habemus, ergo &c. Præterea sensus tactus in nobis maxime, deseruit intellectui, nā dicit philosophus in 2. de anima, tex. 3. 4. In genere hominū secundū tactum, ingeniosos esse, & non ingeniosos iudicamus. Duri enim carne, inepti mente, Molles autē, bene apti, ergo videtur esse magis cognoscitiuus, extensiue autē, quoniā per tactū plures contrarietates cognoscimus scilicet calidi & frigidi, humidi & siccī, duri & molles &c. Visus autem est tantum vnus primæ contrarietatis sub colore, ergo per tactum plura cognoscimus.

Respondeo, nego tactum esse magis cognoscitiuum intensiue, quoniam comparando ipsum ad alios sensus in homine, non est certissimus, sed visus est certissimus ex sua maiori immaterialitate. Ad dictum philosophi dico, quòd nō cõparat tactum ad alios sensus in homine, sed tactū hominis ad tactum aliorum animalium sicut eodem text, comparauit odoratum hominis, ad odoratū aliorū animalium. Itē nego, quòd tactus magis deseruiat actui intellectus ex actu tangēdi, vel ex obiecto tangibilia. Ad dictum philosophi dico, quòd nō debet intelligi homo ingeniosus, vel non ingeniosus ex tactu, nisi pro tanto bonitas tactus arguit nobiliorem complexionem, & nobiliorem naturā sensitiuā, quæ perfectius cõfert animæ intellectiua, pro hoc statu in quo sine phantasmate nihil intelligit, visus autē dicitur esse deseruiens magis intellectui, pro

QVAESTIO V.

11

quanto cognitio nostra intellectiua pender à cognitione sensitiua, & maxime ab eo, quòd est per visum. Similiter nego q̄ tactus sit magis cognoscitiuus extēsiue, nam licet per tactum cognoscamus plures contrarietates sui obiecti, suum obiectū est minus vniuersale, quoniam qualitas tangibilis inuenitur solum in generabilibus: obiectum aut visus inuenitur etiam in ingenerabilibus, propter quòd constat visum esse vniuersaliorem & communiorem sensum ex obiecto.

Secundū dubium est contra illud, quòd visum magis diligitur, & probatur quòd magis diligitur tactum. Magis odimus oppositum tactus, id est destructionem tactus, quā oppositum visus, ergo magis diligitur tactum, quàm visum, consequentia probatur per regulā Arist. in 2. lib. priorum, vbi dicitur, magis eligendo, magis fugiendū opponitur. Antecedens verò patet, quoniam cum opposito visus stat vita, non autem cum opposito tactus.

Respondeo dupliciter. Primò quòd argumentum concludit considerando hominem vt animal est, non autem considerando hominem vt homo est, id est, vt cognoscitiuus est, vt diximus in corpore questionis. secundò dico regulā illam non esse veram, nisi quādo vnū bonum eligēdum non includit alterum, v.g. quia fama non includit diuitias, si proponatur, quid est magis eligendum, & quid magis diligitur naturaliter, an famam, an diuitias. Respondetur, quòd famam, quoniam magis odimus oppositum fame, quàm oppositum diuitiarum. si autem vnū includit alterum, regulā non valet, v.g. si proponatur, quid est magis eligendum, an sane viuere, an absolute viuere. Respondetur quòd sane viuere, quoniam viuere cõmune, est sane viuere, & infirmite viuere, & tamen non est verum, quòd magis odiamus oppositum bene viuere, quàm opposito viuere, quoniam cum opposito bene viuere, id est, cum male, aut infirmite viuere, stat viuere, nō autē cum opposito viuere, qd est mori, stat cū viuere, & quoniā in proposito visus includit tactū, vbi enim est visus, ibi est tactus, & nō e cõuerso, non sequitur, quòd & si magis diligitur visum quā tactum, q̄ magis odiamus oppositū visus, quàm oppositū tactus, quoniā cum opposito visus stat tactus, & vita, non autem cum opposito tactus stat visus & vita. Hæc de presenti quæsto dicta sunt.

Quæstio. s. si in brutis est prudentia.

Et propter hoc alia quidē prudentia sunt, alia verò

ij

PRIMI METAPHY.

disciplinabiliora. In prologo.

Circa hanc questionem duo inuenio, in vno omnes cōcordant, in alio discordare videtur Ant. And. à b. Tho. Illud in quo omnes concordant est, quod in brutis datur prudentia, non quidem proprie dicta, quoniam illa ex 6. libr. ethico. est cum discursu, & est bene consiliatiua, consilium autē est quædam inquisitio de contingentiis agendis. Hæc autem non possunt esse in bruto, quoniam caret ratione, est autem in bruto prudentia metaphoricè dicta, quæ dicitur esse naturalis extimatio de conuenientibus profequendis, & nociuis vitandis. Illud autem in quo discordare videtur b. Tho. & Ant. And. est, an talis prudentia sit circa ea, ad quæ bruta naturaliter & determinate inclinatur, puta, an dicatur formica prudens, quia in estate cōgregat grana pro hyeme, & apes mellificant, & ouis fugit lupum, & lactat agnum. Ad huiusmodi enim naturaliter inclinatur, & agunt sine errore. Vel an sit circa ea respectu quorum bruta possunt aliter se habere. Pura licet formica naturaliter inclinatur ad congregandum grana, potest tamen ea oportare ex paruo vel ex magno cumulo, & licet hirtundo naturaliter inclinatur ad formandū nidū, potest tamē eum locare in loco vbi sit facilis vel difficilis accessus. Quod si locat ipsum in loco difficiliter accessus, dicimus ipsam esse prudentem propter maiorem natorum tutelam, & primam quiddam viam videtur tenere b. Tho. in expositione text. vbi exemplificat tantum de his ad quæ naturaliter & determinate inclinatur brutum, vt agnus sequitur matrem, & fugit lupum, secundam autem viam tenet Ant. And. in q. 3. primi libr. vbi inquit, prudentia metaphorica non dicitur esse in brutis respectu illorum, ad quæ naturaliter inclinatur, sed respectu contingentium, ad quæ sic se possunt habere, vel aliter. Puta q. formica reponat grana in hoc, vel in illo loco, q. assumat ex hoc vel illo cumulo, q. aranea faciat telā, vbi est maior copia muscarum. Hæc est opinio Ant. And. quam tamen aliter non probat. Sed contra sententiam b. Tho. arguit dupliciter, verum antequam soluam argumenta sua, aduerte duo.

Primum est, si Ant. And. considerasset, quod sicut bruta naturaliter & determinate in fines suos inclinatur, & tendunt in illos, sic naturaliter inclinatur ad media, quibus consequuntur tales fines, nec respectu mediolorum, sicut nec respectu finium est in brutis aliter & aliter se habere, (nam hirtundo sem-

QVAESTIO V.

12

per facit nidum, vbi naturali instinctu cognoscit esse maiorem natorum tutelam, & aranea semper facit telam, vbi extimat crebriorem & faciliorem capturam muscarum, & tales prudentias ponimus naturales, eo quod cōsequuntur naturā, prudentiam vero proprie dictam ponimus ex lib. 6. ethico. esse habitum acquisitum circa agibilia bene disponenda) non laborasset arguere contra b. Tho. nam licet b. Tho. hic exponens non exemplificet, nisi de finibus tamen intelligit etiam de mediis, vt potest haberi ex secunda secundæ. q. 47. ar. 15. ad tertium, qd erat tale, prudentia magis conuenit naturæ humanæ quàm naturæ brutorum. Sed bruta animalia habent quasdam prudentias naturales, vt patet per philosophum in 8. de historiis animalium, ergo prudentia est naturalis, sequitur responsio. Ad tertium dicendum, quod etiam in brutis sunt determinate viæ perueniendi ad finem, vnde videmus, quod omnia animalia eiusdem speciei, similiter operantur, sed hoc non potest esse in homine propter rationem, quæ cum sit cognoscitiua vniuersalium, ad infinita singularia se extēdit. Hæc b. Tho. ex quibus elicitur quod in brutis ponit prudentiam respectu viarum determinatarū, quæ non possunt intelligi, nisi vt media. patet igitur, quod secundum mentem b. Tho. ponitur prudentia in brutis, & circa finem, & circa media ad finem.

Secundum est, quod in prudentia metaphorica non est necesse istas cōditiones realiter & formaliter seruari, scilicet memorari præterita, prouidere de futuro, & ex his procedere ad operandum. Hæc enim sunt propria ratiocinantis. Sed sufficit, quod saluentur imitatiue in hoc sensu, qd quædam animalia ita procedunt in operationibus suis, ac si memorarentur de præteritis, & prouiderent futura, & quoniam operantur sicut homo prudens, dicitur esse prudentia.

His præmissis intendo soluere argumenta Ant. And.

Primum est, Prudentia est prouidentia de futuris ex memoria præteritorum. Sed formica generata in ætate non recordatur hyemis: quia nunquā vidit hyemē, & tamē colligit grana, ergo prudentia non est in bruto, respectu eorum, ad quæ habet naturalem instinctum.

Respondeo. Maior non verificatur de prudentia metaphorica, nisi imitatiue, vt exposui, & id consonat b. Tho. qui in 3. de anima exponens text. 1 & 6. dicit formicæ congregantes in futurum prouidentes, non prævident futurū, sed imaginantur actus

presentes, qui ordinantur ad sustentationem suam magis ex naturali inclinatione, quam apprehensione futuri. Præterea dico quod si argumentum aliquid valet, concludit quod prudentia in bruto est respectu mediolorum, quod nos non negamus, sed negamus, quod sit tantum respectu mediolorum.

Secundum est, prudentia ex 6. ethicorum est habitus consiliarius. consilium autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, quæ possunt aliter & aliter se habere. ergo prudentia in brutis ponenda est, circa talia, quæ possunt sic & aliter agere, & non circa ea ad quæ naturaliter inclinatur, quia huiusmodi non sunt contingentia, sed necessario se habent ad illa.

Respondeo. Antecedens non seruetur, nisi in prudentia proprie dicta. In metaphorica autem non seruetur, nisi imitative in hoc sensu. Sicut prudens se habet intelligendis mediis optimis ad consequendum finem, quæ tamen possunt aliter se habere, sic formica se habet circa media, sibi tamen determinata à natura, quibus consequitur finem suum. & sic concedo quod prudentia in bruto est circa media ad finem, quæ tamen non sunt eiusdem rationis cum mediis humanis ut diximus. Sed ex hoc non sequitur quin etiam sit circa ea ad quæ naturaliter inclinatur brutum, unde negatur hæc consequentia, ea ad quæ brutum naturaliter inclinatur, non sunt contingentia, sed necessario se habent ad illa. ergo circa illa non est prudentia, hæc inquam consequentia non valet, nisi in prudentia proprie dicta. quoniam est habitus consiliarius, & aduerte quod Ant. And. respondens ad tertium in oppositum, ponit prudentiam in bruto, circa ea ad quæ naturaliter inclinatur, unde videtur sibi met contrarius. sic. n. inquit, ovis videns lupum statim apprehendit inimicitiam lupi. & hoc modo potest habere actum prudentiæ circa talia. scilicet fugiendo, vel prosequendo. hæc ille. Hæc pro presenti quæsitio dicta sunt.

Quæstio 6. si & quomodo experimento sit ars & scientia. Hominibus autem ars & scientia per experimentum evenit. In prologo.

Circa hanc. q. quinq; agenda sunt. Primo ponentur aliquæ distinctiones. Secundo aliquæ conclusiones. Tertio declarabitur in quo discordant Thomistæ & Scotistæ. Quarto declarabitur ad mentem philosophi, quomodo ex experimento generatur ars & scientia. Quinto solvam quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte tres distinctiones.

Prima cum in arte & scientia considerentur principia & conclusiones, quæ deducuntur ex principiis, propositio philosophi potest versari circa utrumque: ut quærat, an experimento generetur notitia principiorum & conclusionis, an alterius tantum.

Secunda cum in principiis & conclusionibus seruetur notitia terminorum incompleta, & notitia propositionum completa, potest quæri, an dictum philosophi verificetur de utraque notitia.

Tertia causa cognitionis est duplex, quædam principalis, in qua fundatur notitia scientifica, quædam dispositiva & iunctiva, quam quidam dicunt occasionalem vel instrumentalem.

Quantum ad secundum ponuntur & probantur 4. conclusiones. Prima. Omnis cognitio sensitiva interior, & omnis intellectiva, ortu habet à sensu exteriori. Prima pars manifestata est à nobis in 3. de anima. ubi declaratum est sensum interio-rem non immutari nisi prius immutato sensu exteriori, nam sensus communis est terminus sensationum exteriorum & phantasia seruat species sensatas. & cogitativa vel estimativa elicit ex sensato, non sensatum. & memoria seruat speciem non sensatam. & propterea dicuntur sensus interiores, quia supponunt exteriores in actibus suis. Secunda autem pars sic declaratur. Omnis cognitio intellectiva vel est per inuentionem, vel per doctrinam. Si per inuentionem, necesse est rem intelligibilem mouere intellectum, non potest mouere, nisi per suam speciem, aut alterius. non potest esse huiusmodi species sine phantasia. quoniam ab eo abstrahitur per intellectum agentem, ut declarauimus in 3. de anima, non potest esse phantasia sine sensatione exteriori. etenim secundum Aristot. phantasia est motus factus à sensu exteriori secundum actum, ergo non potest esse notitia intellectiva per inuentionem, sine sensu exteriori. Et de hac proprie verificatur illud. Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Quod quidem multam habet latitudinem, quoniam sufficit, quod fuerit in sensu vel per se, ut color per suam propriam speciem, vel per partes, ut mons aureus, vel in quo simili, ut antichristus, vel in suo affectu, ut intelligentia, quæ cognoscitur per motum, vel in suo opposito, ut prius quæ cognoscitur per habitum, ut quando per rectum cognosco obliquum, & per lucem tenebram, & per bonum malum, & per compositum simplicia, si per doctrinam probatur idem. Nam impossibile est adiscens

doceri nisi per aliquem sensum, & præcipue per auditum præterea tibi propoſita ſigna à docente, quæ inſtituta ſunt ad docendum, & ad res ſignificandas, vnde cæcus non poteſt doceri de coloribus, nec ſurdus de ſono, propterea dicit philoſophus in prologo. Adſcunt autem quæcunq; cum memoria habet ſenſum ſcilicet auditum.

Secunda, Tam in ſcientia quàm in arte, neceſſaria eſt notitia ſenſitiua, ad habendam notitiam incomplexam de terminis ex quibus cõponuntur principia & conſiſiones, virtum autè hæc notitia ſenſitiua ſit experimentalis, dicemus infra. Veritas huius conſiſionis pender ex præcedenti, ſi enim omnis cognitio intellectiua pender à ſenſitiua, ergo & illa. Præterea, ſi intellectus debet concipere per notitiam incomplexam, quid totum, quid pars, quid homo, quid riſibile, eſt neceſſe ipſum actuari & moveri ab aliqua ſpecie intelligibili, quæ non poteſt fieri ſine phantaſmate, & hoc non poteſt fieri ſine ſenſu exteriori, ergo &c. Præterea philoſophus in 1. poſte. cap. 3. docens quomodo nõ omnia ſunt demõſtrabilia, ponit ſtatim in primis principis, de quibus dicit. Ipſa quidè cognõſcimus inquantum terminos cognõſcimus &c. Sed prima terminorum cognitio, nõ eſt ab intellectu, quoniã ſi nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu, ergo hæc cognitio terminorum incomplexa, prius fuit in ſenſu quàm in intellectu.

Tertia, vt habeatur notitia cõplexa, tam de principis quàm de conſiſionibus vtilis, & cõadiuans, eſt frequentata cognitio ſenſitiua & experimentalis de eodè complexo. Hanc conſiſionem vt ſonat omnes cõmuniter concedunt, quoniã experimur, q̄ quando cognõſcimus in ſingularibus extra animam terminos, cõiungi vel diſiungi, ſicut ſepe videm⁹, citius & firmiter intellectus illi cõplexo aſſentit, verbi gratia, quia ſenſu experimur totalitatem & maioritatem reſpectu partium ſemper coniungi, ſtatim aſſentim⁹ huic complexo. Omne totum eſt maius ſua parte, & quia experimur lapidem & motum deorſum coniungi, ideo intellectus huic conſiſioni aſſentit, lapis naturaliter mouetur deorſum. Inde prouenit, q̄ intellectus cum difficultate aſſentit his, quæ parum ſenſibilia ſunt, eo quod non adiuuatur nec ſolidatur ſuo naturali principio, quod eſt experimentalis cognitio.

Quarta, cognitio experimentalis non eſt principalis cauſa ſcientiæ & artis, ſed deductio conſiſionis ex principis ſuis

per demõſtrationem. Prima pars ſic manifeſtatur, quoniã conſiſio ſcibilis ex 1. poſte. eſt vniuerſalis & demõſtrabilis, non habetur ſcientia de ea, niſi deducatur per demõſtrationem. Demõſtratio autè non eſt ex ſingularibus ſenſatis, ſed ex primis veris &c. vnde ſequitur quod de hac cõcluſione. Reubarbarum purgat cholera, non habetur ſcientia, niſi deducatur à principis intrinſecis & cognõſcatur virtus, à qua talis effectus procedit, & ſic patet prima & ſecunda pars huius conſiſionis. Inde prouenit, quod neſcientes deducere conſiſiones, & reducere ad ſua principia, ſed ſolo ſenſu inſiſtunt, non ſciẽtes, ſed experimentatores dicendi ſunt. Dicemus ergo experimentum non eſſe generatiuum ſcientiæ, ſed inductiuum & cõfirmatiuum, & in hoc ſenſu accipiendum eſt dictum philoſophi cum dicit. Hominibus autem ſcientia & ars per experimentum euenit ſcilicet inductiue & cõfirmatiue, ſed non principaliter, quoniã ſcientia non à ſenſu, ſed ab intellectu eſt principaliter, vnde aliqui ſic exponunt dictum philoſophi, hominibus ſcientia per experimentum id eſt poſt experimentum, quoniã prius habitum experimentum cõfirmat intellectum in aſſenſu, & tunc aduerte quod in his conſiſionibus cõmuniter concordant commentariæ & Scotiſtæ & Thomiſtæ.

Quantum ad tertium aduerte quod in ſecunda & tertia conſiſione Scotiſtæ & Thomiſtæ concordant in eo ſenſu, in quo poſitæ ſunt. Mouent tamen dubia contra eas, & primo contra ſecundam. Queritur, ſi illa cognitio ſenſitiua neceſſaria pro habenda cognitione intellectiua incomplexa terminorum, debeat appellari experimentalis.

Quantum ad hoc, Scotiſtæ vt patet in q. 4. Ant. And. in ſua prima conſiſione, ponunt indifferenter talem cognitionem neceſſariam, eſſe ſenſitiuam, ſeu experimentalem, ita quod ſuper hoc non faciunt vim. Thomiſtæ autè non admittunt illic proprie ſeruari experimentum, quoniã vt dicemus in dubio ſequenti, experimentum proprie dicit cognitionem complexam ſcilicet conferendo vnum alteri, puta reubarbarum cholera. Terminus vero incomplexus, vt incomplexus, cognõſcitur cognitione incomplexa, ſicut complexus complexa, ergo ibi non cadit experimentum proprie dictum, & propterea dicunt Thomiſtæ, quod illic requiritur multiplicata apprehenſio termini incomplexi in parte ſenſitiua, & illa videretur ſufficere, quoniã cognitio incomplexa terminorum, requiſita ad co-

gnoscendum principia cōplexa, non est notitia perfecta quid rei terminorum, sed est notitia confusa parum excedens cognitionem quid nominis. Ad talem autem noticiam habendam, oportet frequentem cognitionem sensitiuam precedere. Quia vero homini cognitio est confusa, ideo non est necesse concurrere experimentū, quod complexionem terminorum includit, vt declarat. Hæc est mens Thomistarum, circa suprapositam conclusionem secundā. Contra tertiam conclusionem mouent dubium, vtrum illa cognitio experimentalis, requiratur solum, vt utilis & adiuuans, an etiā vt necessaria.

Anto. And. in q. 4. In conclusione 2. & 4. dicit quod licet sic utilis, non tamen necessaria. Thomistæ autem tenent, quod est utilis & necessaria, sic ergo procedam. Prius firmabo viam nostram, deinde solvam rationem Ant. And.

Quantum spectat ad viam nostram, aduerte primo, quod experimentum est cognitio sensitiua complexa, eo quod est collatio multorum particularium. Nam dicit philosophus in textu, quod experimentum est cognoscere hanc herbā curasse Socratem & Caliam, & multos singulares, ergo manifeste patet, quod experimentum est notitia sensitiua complexa, & per consequens deseruit notitiæ intellectiue complexæ, tam principiorū quàm conclusionum. Quod autem huiusmodi notitia non solum sit utilis, sed & necessaria, probatur. Nam oportet assignare aliquid motiuum & determinatiuū intellectus, ad formandam hanc vtilem propositionem. Reubarbarum purgat choleram, vel hanc, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia. Hoc autem motiuum & determinatiuum non potest esse sola notitia terminorum incomplexa, quoniam vt incomplexa non magis determinat intellectum ad hanc complexionē quàm ad illam. Nam experimur quod habentes noticiam terminorum, nisi cognoscamus sensu tales terminos coniungi in re, nescimus formare principium complexum, nam stat quod sciam quid equare, quid demere, quid remanere: & tamen nisi per experientiam cognoscam, quod si ab his lineis bicubitis demo cubitum, remanet cubitum, & similiter ab aliis æqualibus, nesciā formare hoc principium, si ab æqualibus æqualia demas &c. Patet ergo hanc noticiā experimentalem, non solum vtilem esse, sed & necessariam.

Præterea. Cum particularia extra animam incomplexa & vniuersale intellectu complexum sint duo extrema, & ad al-

terum non perueniatur, nisi per medium, vt declarat Comen. in lib. de sensu & sensato, hoc mediū non potest inueniri, nisi ipsa cognitio sensitiua complexa, quæ frequentata dicitur experimentalis, nam incomplexa cognitio sensitiua terminorum, nimis distat ab vniuersali complexo, eo quod non determinat intellectum, magis ad hoc complexum, quàm ad illud. Igitur necessaria est, & non solum utilis cognitio experimentalis, vt intellectus habeat noticiam de principiis & conclusionibus.

Nunc superest soluere responsionē Ant. And. Arguit enim sic. Intellectus conceptis modo præposito terminis simplicibus potest virtute propria ipsos cōponere, vel diuidere, ita quod conceptus tales complexi si sint primorū principiorum cognoscuntur esse veri, lumine naturali intellectus: quia principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus ex 1. poster. ergo cognitio sensitiua experimentalis, non est necessaria simpliciter, pro tali notitiā cōplexa principiorū habenda.

Respondeo & nego, quod intellectus sit sufficiens sua propria virtute conceptis terminis simplicibus ad cōponendum vel diuidendum hoc vel illud determinatum cōplexum: licet enim sit verum, quod potest absolute cōponere, vel diuidere, non tamen determinate hoc, ita quod constet sibi de veritate eius, nisi fuerit adiutus & determinatus cognitione sensitiua complexa frequentata, quæ dicitur experimentum, dictum autem philosophi in 1. posterio, sic debet intelligi. Principia cognoscimus, in quantum terminos sic coniunctos in re, vel diuisos sensu cognoscimus. Vnde aduerte quod philosophus non intendit excludere sensitiuā complexionē terminorum, sed resolutionem ad aliud principii vniuersale, vt in hoc distinguantur principia demonstrationis & ecountero demonstrationis: quoniam conclusio per medium prius cognoscitur, hæc autem per solam cognitionem sensitiuam experimentalem & lumine naturali intellectus agentis.

Quantum ad quartū aduerte quod philosophus arbitrat ex sensatione alicuius, fieri memoriā ex multis memoriis eiusdem rei fieri experimentum, ex multis experimentis fieri vniuersale, nam se habet vniuersalis propositio ad multa experimenta, sicut conclusio inductionis ad inductionem, verbi gratia, prius video hoc reubarbarum purgare choleram. 2. video quod in multis infirmis idem operatur. Tertio ex his

cōcludo, quod est cholere purgatiuū. 4. ex multis experimētis factio in intellectu hanc vniuersalē, omne reubarbarū purgat choleram, & hic incipit scientia & ars, verum quia non cōcētur intellectus, deducere conclusionē solū ex singularibus, sed conatur reducere eam in causam intrinsecam, ex qua prouenit talis effectus, purgat enim cholera ex sua naturali proprietate, ideo ars & scientia proprie & principaliter acquiritur ex tali reductione in causam, & sic patet, quod inchoatiue & inquititiue ars & scientia fiunt experimēto, essentialiter autem ex resolutione in causam rei scite. Confirmatiue iterum per editionē ad sensum. Experimur enim quod postquā conclusio ex causis propriis deducta fuerit, cōfirmamus eam exemplo sensibili, vt suffragante sensu, intellectus facilius & firmitus cōclusioni deducta assentiat. patet ergo, quod initium artis & scientiæ est sensus, principale vero productiuū est intellectus inquirens causas rei scite. Confirmatiuum autem iterum est sensus. Vnde videmus quosdam qui propter veras & subtiles rationes, non inclinantur ad assensum cōclusionis, & tamē sensibili exemplo adducto, facile illi acquiescunt. Quod tamen in eis prouenit, propter debilitatē ingenij. De quibus inquit philosophus in 2. lib. metaphysicæ, textu 19. Alij vero, si non exemplariter eis proponatur non acquiescunt.

Quantum ad quōtum aduerte, quod contra determinationem factam tria insurgunt dubia.

Primum est, quia non videtur verum artem & scientiam generari ab experimēto, quoniam incertū & fallax non potest generare id, de cuius ratione est certitudo, sed experimētum est incertum & fallax, propter variationem & diuersitatem singularium. Ars autem & scientia dicunt certitudinem, quoniam in hoc distinguuntur ab opinione, ergo &c.

Respondēdo licet incertū non generet essentialiter certum, quoniam causa esset ignobilior suo effectu, tamē potest generare inchoatiue & inquititiue, vt declarauimus. Dat enim experimētum viam intellectui inquirendi causam & principium necessarium, à quo principaliter generatur ars & scientia. & aduerte quod omnia argumēta, quibus solet probari experimētū non generare artem & scientiam, ex eo quod experimētū dicit, quia & ars dicit propter quid, sed quia, non manifestat quid, aliter minor cognitio causaret perfectiorē & ex eo, quod causa productiua, esse imperfectior suo effectū, &

ex eo quod ex multis, non potest inferri omne, aliter cōmitteretur fallacia cōsequētis. Omnia inquit hæc argumēta cōcludunt, quod experimētum non est causa essentialis & principalis artis & scientiæ, non autē quin sit causa inchoatiua & occasionalis. Vnde nego quin ipsam, quia, manifeste inchoatiue ipsum quid, & eodem modo causa imperfectior occasionaliter & instrumētaliiter, potest producere effectum perfectū, & ex multis probabiliter potest inferri omne, quando non datur manifesta instantia, nō autem potest inferri necessario, & essentialiter, vnde quando ex multis experientiis inferitur vniuersalis conclusio, est illatio probabilis, & occasionalis.

Secundū est. Dubitatur si propositio philosophi qua dicit hominibus autē scientia & ars per experimētū, intelligenda est vniuersaliter, an indefinite, videtur quod nō debeat intelligi vniuersaliter. Nā si non posset acquiri aliqua ars & scientia, sine experimēto, sequitur quod omnis artifex & sciēs esset expertus, quod est cōtra philosophi in litera, qui dicit, expertos magis proficere videmus, sine experientiā rationē habētibus, cōsequētia autem patet, quoniam in quocunque procedit experientia, ille est expertus, sed per se in quolibet artifice & sciente procedit experientia generatiua vniuersaliter artis & scientiæ, ergo &c.

Respondēdo, solet distinguī de arte & scientia, quia aut habētur per inuentionē aut per doctrinā, si per inuentionē cōceditur, quod vniuersaliter generatur experimēto, cuius fundamentum positū est in corpore quasi in cōclusionē 2. & 3. per doctrinā, solet distinguī, quoniam in habitu acquisito per doctrinam possunt esse aliquæ conclusiones, quæ possunt esse adfecti certæ per solā doctrinā, qua adiscit reducere tales cōclusiones in sua propria principia, etiā remota experientiā, v. g. In scientia medicinæ. Istæ conclusiones possunt esse certæ adiscenti, per solum doctore ab signatam causam, estas calida & sicca proficit slegmaticis, Hyems frigida & humida proficit cholericis, & causa quidem primæ est, quoniam caliditas & siccitas æstatis temperat humidum frigidum slegmatici. Causa autem secundæ est, quoniam frigiditas & humiditas hyemis temperat calidum siccum in cholericis. Quædam autem sunt cōclusiones in prædicto habitu, quæ per solum doctorem ab signantem causam, non possunt fieri certæ adiscenti, nisi firmentur experientiā, v. g. In scientia medicinæ habetur quod piper nigrum sumptum in magna quantitate consipat, in parua quantitate

PRIMI METAPHY.

laxat ventrem. De hac quidem cōclusionē, & multis alijs similibus, nunquam certus est adiscens, quantūcumq; audiat, vel legat in lib. causam huius, nisi accedat experientia. Dico igitur ad dubium q̄ propositio philosophi intelligitur vniuersaliter, quo ad scientiam & artem habitam per inuentionem, non autem quo ad acquisitam per doctrinam, nisi respectu conclusionum, quæ non possunt certificari adiscenti, nisi superueniente experientia. Ad argu. autem fundatum super dictum illud philosophi, expertos magis proficere videmus &c. dico quod verificatur illud dictum de arte & scientia per doctrinam, & respectu conclusionum, quarum certitudo nō habetur nisi accedente experientia.

Tertium est, si quando ars & scientia acquiruntur per inuentionem, necesse est vt semper acquiratur per experimentum, & videtur quod nō, nam si quis semel tantū viderit, quomodo triangulus habet tres æquales duobus rectis, vel quomodo cōtingit super lineam datam, triangulum constituere æquilaterum per certitudinem cognosceret semper sic esse, ex consequenti de hac conclusione triangulus habet tres &c. habebit scientiam, & non per experimentum, quoniam non fit experimentum, per vnā sensationem, vel per vnā memoriam tantum, sed per multas, vt dicit philosophus in textu, ergo &c.

Respondeo, dico q̄ semper requiritur experimentū. Sed aduerte q̄ est duplex scilicet formale & virtuale, formale est q̄ fit ex pluribus sensationibus eiusdem rei, & multis memorijs eiusdē, virtuale autē est, quod fit vnica sensatione & vnica memoria, quæ licet in se sit vna tantum, æquualet tamen multis, nam sunt quedam res adeo stabiles, q̄ semel vidisse quomodo se habent, est semper vidisse, sicut & motus diurnus completur 24. horis. q̄ dies ætatis sunt longiores, quod hiemis breuiores. Queda autem sunt adeo variabiles, q̄ nisi multiplicentur earū sensationes, respectu eiusdē effectus, parua aut nulla potest haberi de eis certitudo, & tales sunt rerum inferiorum nature. In primis sufficit experimentum virtuale. In secundis autē requiritur formale, & quoniam in gradu primo reponitur mathematica, ideo in eis sufficit experimentū virtuale. In naturalibus autem requiritur formale, & per hoc patet quid dicendum sit ad argumentū. Tu igitur tene, quod in omni arte & scientia per inuentionē, necessariū est experimentū, aut virtuale aut formale. Hæc de præsentī quæsitō dicta sint.

Quæstio.

QVAESTIO VII.

17

Quæstio 7. si omnis actio est circa singulare.

Actus autem & generationes omnes circa singularia sunt. In prologo.

Circa hanc quæstionem tria agenda sunt. Primo ponuntur aliquæ distinctiones, Secundo aliquæ conclusiones. Tertio soluentur quedam dubia.

Quantum ad primum aduerte duas distinctiones, prima est, actio potest dupliciter considerari. Primo vt respicit agens, à quo egreditur, Secundo vt respicit obiectum, circa quod est, & quidem propositio philosophi ventillanda, est de actione vt respicit obiectum, nam quo ad agens sine distinctione & absolute, constat quod omnis actio est ab agente singulari, vnumquodque enim agens est agens, in quantum est actu. In tantum est actu in quantum habet esse, esse autem est primo & per se rei singularis, nam vniuersale, vt declaratur in lib. 7. contra Platonem, non existit nisi in singulari. 2. distinctio est hæc, actio est duplex, scilicet immanens, vt actio intellectus & voluntatis, & actio sensus, & appetitus sensitui, & actio transiens, & de hac distinctione acturi sumus in lib. 9.

Quantum ad secundum, considerando actionem respectu obiecti, pono tres conclusiones.

Prima conclusio. Actio prima & directa intellectus, non est circa singulare, nam obiectum intellectus est ipsa natura vniuersalis, abstracta à conditionibus individualibus, siue ipsum quod quid est, vt manifestauimus in 3. de anima, & non est circa singulare, nisi secundario & reflexe, vt manifestabimus in 7. lib. huius scientiæ, quādo quaeremus verum singulare sit intelligibile. De actione autem voluntatis, patet quod cum sequatur apprehensionem intellectus, est circa bonum simpliciter, vt declarauimus in tractatu de potentia appetitiua in 3. de anima, & quoniam de hac conclusione non est dubium apud Thomistas, ideo pertransio.

Secunda conclusio. Actio sensus nō est circa hoc vel illud singulare, vt circa suum primū & per se obiectum, nam obiectū visus est color vniuersaliter sumptus, & sonus est obiectū auditus, vt declarabitur in q. sequenti, in qua manifestabitur, quomodo natura cōmunis, est obiectū tam in sensu, quā in intellectu, licet alia & alia ratione, & alio modo sensus attingat vniuersale, quā intellectus. Hanc igitur cōclusionem videbis

resolutam in q. sequenti, ideo sustine. de actione appetitus sensitui est idē iudicium, quoniā sequitur apprehensionē sensus. Determinatio igitur quæ fiet in q. sequenti, de actione sensus, extendetur ad actionem appetitus sensitui.

Tertia conclusio. Actio transiens de qua proprie intendit hic philosophus, est per se circa singulare, nec verificatur de vniuersali, nisi mediāte singulari, in quo habet esse natura vniuersalis, & hæc conclusio sic probatur, nullū singulare existit vt in subiecto, nisi in aliquo singulari. nullum enim, vniuersale est subiectū accidentis, nisi ratione alicuius singularis, sed omnis ratio transiens est singularis, vt hæc ædificatio, hæc sanatio. ergo vt in subiecto, non existit nec recipitur, nisi in aliquo singulari, recipitur autē in eo circa quod est, vt sanatio in sanabili, motus in mobili 3. Phy. ergo est semper circa singulare, sumēdo ly circa, subiectiue, & non tantū obiectiue, quod ideo dico, quoniā licet intellectio sit circa vniuersale obiectiue, est tamē in intellectu subiectiue, prout intellectus singularis est. Quæritū ad tertium aduerte quod contra hanc 3. conclusionem sunt quedam argumenta satis apparentia, quæ solvere debemus.

Primum est Arist. in 2. phy. c. de causis, docet reducere effectum singularem in causam singularem, & effectum vniuersalem in causam vniuersalem, & exemplificat in actionibus transeuntibus, ergo est aliqua actio singularis, & aliqua vniuersalis, puta generatio Sortis, & generatio hominis. Sed sicut actio singularis est circa singulare, sic actio vniuersalis circa vniuersale, non ergo omnis actio est circa singulare.

Respondeo, & dico quod philosophus per causas vniuersales potest intelligere vniuersales in causando, sicut est Deus, & intelligentiæ & cælum, & per effectum vniuersalem, ipsum esse quod supponitur cuiuslibet supradictæ perfectioni.

Item potest intelligere vniuersales in prædicādo, similiter effectum, & id est magis ad mentē suam. Sicut enim hic ædificator agit hoc ædificium, sic ædificator agit ædificiū. Sed aduerte, quod hæc vniuersalitas nō est realis, sed rationis, attributa per intellectum ædificatori & ædificio in cōmuni. vnde nō datur actio illius causæ vniuersalis, nisi respectu causæ particularis, & effectus particularis, nō enim hæc est vera, ædificator ædificat, nisi quis hic ædificator hoc ædificium ædificat. Dico ergo quod philosophus docuit reducere effectum vniuersalem secundum prædicatiōē, in causam vniuersalem secundum prædicatiōē,

& nō effectū vniuersalem secundum rem, in causam vniuersalem secundum rem, & in hoc sensu determinatum est, actiones omnes transientes, nō esse circa vniuersale, sed circa singulare.

Secundum est, dicit Auic. in 1. lib. sufficiētia quod natura intendit producere speciem, ergo productio terminatur ad vniuersale, species enim dicit naturam.

Respondeo. Dictum Auic. sic debet intelligi, natura intendit producere speciem, non quidem per se subsistentem, sic enim argumentum cōcluderet: sed intendit, mediāte indiuiduo productio ita tamen q. nō producitur indiuiduū, nisi vt saluetur species. vnde si species rei corruptibilis, possit perpetuo saluari in vno indiuiduo, nō produceretur plura indiuidua. In productione ergo indiuidui, natura pro tanto intrēdit speciem quia ratio, producendi indiuiduum, non est ipsum indiuiduū, sed natura specifica in indiuiduo, patet autē quod hæc consequētia nō valet, natura in productione indiuidui intendit speciem ergo species est primum & per se terminus productionis. licet enim sit primum intentum in productione, nō tamen est necesse, quod sit primo productum.

Tertiu est logicum sic, Sortes per se sanatur, Sortes per se est homo, ergo homo per se sanatur, ergo nō per accidēs, quod est cōtra philosophum in tex. qui dicit quod medicus nō sanat hominem, nisi per accidēs.

Respondeo. Ant. and dat plures respōsiones, quæ an valeāt nō euro, ergo autē ad mentē b. Tho. respondeo dupliciter, primo quod argumētum nō valet, quod ly per se, nō tenetur vniiformiter in maiori & in minori: nā in ma. tenetur subiectē. Sortes enim per se sanatur, quia per se, inquitur hoc sanabile recipit sanitatem, in minori autem stat prædicatiue & essentialiter, quoniā hæc est in primo modo per se, sortes est homo, & in cōclusione sit trāsitus à per se prædicatiue, ad per se subiectiue. Ideo argumētum nō valet. Dico secundo q. admissio argumēto, Minor est falsa, nā licet Sortes vt Sortes per se sit homo, tamē vt sanatur, non per se est homo. Accidit enim sanato esse hominem, & id videtur esse ad mentem philosophi, nam dicit in text.

Sed Caliam, aut Socratem, aut aliquem dictorum, cui accidit esset hominem, cui scilicet vt sanatur, accidit cui esse hominē, nam vt inquit b. Tho. exponēs, licet hæc sit per se, Socrates est homo, hæc tamē est per accidēs, curatus vel sanatus est

homo. Quartum est, si duo sunt eadē realiter, quæcunq; passio realis conuenit vni per se, cōuenit & alteri, quia passio fuit ex propriis principiis subiecti, ex. 1. poste. & quorūcunq; sunt eadem principia, per cōsequens eadem passiones. Sed vniuersale & singulare sunt eadem realiter, vt conceditur ab omnibus, & corruptio ac generatio per se cōpetit singulari secundū Aristot. hic ergo & vniuersali, ergo generatio ita est per se circa vniuersale, sicut circa singulare. Respondeo, dico ad maiore ly per se, potest sumi dupliciter, primo pro secūdo modo per se, secūdo vt distinguitur cōtra per aliud, si sumitur ly per se in maiori pro secūdo modo per se, cōcedo eā, nā in hoc sensu vtraq; istarum est per se, Sortes est risibilis, homo est risibilis, & concedo totū argumentum, nec est cōtra nos. Concedimus enim qd vtraq; istarum est per se, sortes est generabilis. Homo est generabilis, si sumitur ly per se in ma. vt distinguitur cōtra per aliud, nego maiore, & præcipue in his que non sunt idem cōuertibiliter, sicut cōtingit in proposito, licet em̄ singulare & vniuersale sint idem realiter, nō tamē cōuertibiliter, vt patet: & ideo nō incōuenit, qd eadē passio conueniat vni per se, id est, non per aliud & alteri nō per se, sed per aliud, sicut homo per se, id est non per aliud est risibilis. Sortes autem nō per se, sed quia participat hominem, est risibilis, sic est in proposito, nam Sortes per se id est, non mediāte alio generatur, quia singulari propriē cōpetit esse. Homo autem non per se, se per aliud, id est, mediāte indiuiduo generatur, quia homini non conuenit existere, nisi in indiuiduis, & propterea dicit Arist. in tex. qd medicus sanat hominē per accidens, id est, per aliud, quia mediāte Calia aut Socra, qui sanatur per seipsum. Patet ergo qd argumentum non concludit, quoniam, ly per se, vt distinguitur contra per aliud in eo quod est generari, ita conuenit singulari, quod non conuenit vniuersali.

Et aduerte quod Io. Iand. in 1. metaph. in q. 16, adeo extimat hoc arg. qd concedit vniuersale esse primō & per se generabile & corruptibile. Ad quod non fuisse adstrictus, si considerasset distinctionem de ly per se, sicut nos exposuimus.

Iterum aduerte qd Iand. ad id deductus est, quia non considerauit, quomodo stat qd aliquid sit per se intentum, & tamen non per se generatur, & aliquid per se generatur quod tamen non est per se intentum, nam primum verificatur de specie, & secundum de indiuiduis. Iand. autē existimauit, omne per se

intentum, per se generari, & omne non per se intentum non per se generari, quod tamē est falsum, vt declarauimus, nam natura in generatione intendit speciem, & tamen non per se, sed mediāte indiuiduo genito, generat speciem. Hæc de præfenti quæsto dicta sint.

Quæstio octaua, si obiectū sensus est vniuersale, an singulare.

Amplius autem sensuum, neque vnum sapientiam ponimus, cum his singulorum, id est, singularium cognitiones maxime propriæ sint. In prologo.

CIRCA hanc quæstionem tria agenda sunt. Primo probabitur qd obiectū primū, tam in sensu, quā in intellectu, est vniuersale. Secundo declarabitur in quo stat distinctio inter obiectum intellectus, & obiectum sensus, licet vtriusq; obiectum sit vniuersale. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primū probatur multipliciter, vniuersale esse obiectū sensus, nam quo ad intellectū cōmunitur cōceditur. Argo igitur primo auctoritate philosophi, deinde ratione. Dicit philosoph. in 1. poste. sensus est vniuersalis, sentire autem singulare, & in 1. de anima text. 63, visus non decipitur circa colorem, quoniam color, neq; auditus circa sonū, quoniam sonus, sed circa coloratū, ex quo videtur intendere, qd sensus visus versatur non solū circa hunc vel illum colorē, sed circa colorē cōmunitur & vniuersaliter sumptū, similiter auditus circa sonū.

Ratione autē sic, singulare est primū obiectum sensus, cum prima obiecta diuersificent potentias, & idem sensus feratur in multa singularia, pura visus in hunc & illum colorem, ergo vel erunt multæ potentie visive, sicut sunt multa singularia visa, vel videbit tantum vnum singulare, quorum vtrunq; est falsum, vt patet. Præterea si singulare est obiectum sensus, ergo vel singulare in quantum hoc singulare, & hoc non, quoniam tantum hoc singulare sentiretur, vel singulare in quantum abstractum ab hoc, & ab illo singulari, si sic, cum illa singularitas sit quædam communitas, haberetur intentum, ex hoc enim sequitur, quod singulare vt singulare, non est obiectum sensus.

Quantum ad secundum declarandum est, in quo sensu vniuersale est obiectū intellectus, & in quo est obiectū sensus, vt ferretur distinctio inter obiectū formale intellectus, & obiectū formale sensus. Aduerte igitur, quod stat distinctio in duobus. Primō in duplici acceptione ipsius nature vniuersalis. Secundo in diuerso modo attingendi & ferrendi in ipsam natu-

ram vniuersalem.

Pro euidencia primi aduerte q̄ b. Tho. in prima secundæ. q. 29. art. 6. format hanc distinctionē. De vniuersali contingit loqui dupliciter. vno modo secundum quod subest intentioni vniuersalitatē, alio modo dicitur de natura, cui talis intentio attribuitur. alia est enim consideratio hominis vniuersalis, & alia hominis in eo quod homo. Si igitur vniuersale sumatur primo modo, sic nulla potentia sentitiuæ partis, nec apprehensiuæ, nec appetitiuæ potest in vniuersale: quia hoc vniuersale sit per abstractionem à materia individuali, in qua radicatur omnis potentia sentitiua, potest tamen aliqua potentia sentitiua, tam apprehensiuæ quàm appetitiuæ, ferri in aliquod vniuersaliter, sicut dicimus obiectum visus est color. secundum genus, non quia visus cognoscat colorem vniuersalē, sed quia q̄ color sit cognoscibilis à visu, non cōuenit colori in quantum est hic color, sed in quantum est color simpliciter. Hæc b. Tho. ex quibus elicitur, quod licet t̄ sensus quàm intellectus, pro obiecto habeant vniuersale, diuersa tamen ratione, quoniam obiectum intellectus est vniuersale formale, obiectum autem sensus est vniuersale id est, natura communis, communiter & vniuersaliter considerata, & non singulariter, quia naturam communem, vt sic nō dicimus vniuersale actu, hoc enim fit per intellectum, sed proxima aptitudine. est enim talis natura, cui potest intellectus intentionem vniuersalitatē attribuere.

Pro euidencia secundi aduerte, q̄ licet vniuersale sit obiectum in sensu & in intellectu, tamē alia ratione attingitur ab intellectu & alia à sensu, intellectus enim attingit vniuersale sub ratione vniuersalitatē, sensus autē nō, sed ratione singularitatis, ita quod singularitas est ratio sine qua non. & hæc diuersitas attingentiæ prouenit ex diuersitate speciei intelligibilis & speciei sensibilis. Nam quia species intelligibilis, est abstracta à phantasmatibus, & representat rē sine cōditionibus indiuiduantibus, ideo intellectus actus tali specie fertur sup̄ naturā vniuersalē, vt vniuersalis est id est, vt abstracta à singularibus, & quoniam species sensibilis remanet cōiuncta cōditionibus indiuiduantibus, ideo nō representat vniuersale, nisi cōtractū ad hoc vel illud singulare, & quia sensus non fertur in obiectū, nisi actus sp̄ sensibilis, inde est q̄ sensus non cognoscat naturā vniuersalē nisi mediāte singularitate. Hinc patet q̄ licet son⁹ secundū genus sit obiectū auditus, tamē nō audit sonū, nisi mediāte hoc

vel illo sono, & gratia huius dixit phyllos. in 2. poste. sensus est vniuersalis scilicet obiecti, sentire autē est singulare. q. d. Tā intellectus quā intelligere est circa vniuersale, vt vniuersale est, sensus autē licet habeat vniuersale, pro obiecto, tamē per actū sentiendi non attingit vniuersale, nisi mediāte singularitate.

Quantū ad tertium aduerte, q̄ cōtra hanc determinationē sic declarata, non inuenies argumēta difficilia, quoniam licet apud philosophū & b. Tho. & Cōmentā. inuenias qd̄ sensus est tantū singularium, vel quod tantū singularia cognoscat, vel quod cognitiones singulariū sunt maxime, proprie sensus, ex his non concluditur aliud, nisi qd̄ non fertur in vniuersale, vt vniuersale, sed mediāte singularitate, vel potes dicere, quod obiectū quidē sensus, est vniuersale, quantum autē ad attingentiā, est singulare, eo quod vniuersale non attingitur à sensu, nisi quia alia quod singulare sub vniuersali cōtentiū attingitur, nō enim color videtur, nisi quia hic vel ille color videt, & tamen color vt color intelligitur, dato q̄ nullus singularis color intelligatur. Tu tamen aduerte quod illud argumētū solitum fundari super dictū philosophi in libro de somno & vigilia, cuius est actus eius est potentia. sed sentire est singulare ex. 1. poster. ergo sensus est singularis scilicet quo ad obiectum. Hoc inquam argumētū non est difficile. Nā dictū philosophi in de somno & vig. intelligitur quo ad subiectū, vt sit sensus. In eodē subiecto est actus & potentia, à qua est actus, verbi gratia, sicut intellectus est tantū in anima, & non in coniuncto: quia est potentia non organica, sic intelligere est subiectiue tantum in anima, & e conuerso. In proposito non potest concludi aliud, nisi quod in quo recipitur sentire, in eodem recipitur sensus, scilicet in coniuncto, & non in sola anima.

Aduerte etiam qd̄ si dictū philosophi exponeretur, quo ad obiectū, vt sit sensus, actus & potentia à qua est actus, sunt eiusdem obiecti, nullum sequitur incōueniens. Tenemus enim qd̄ obiectum sensus & sensationis est vniuersale, nec intendit philosophus cum dicit, sentire est singulare, qd̄ obiectum sensationis sit singulare, sed qd̄ sensus cuius obiectū est vniuersale, nō exit in actum sentiendi nisi mediāte aliquo singulari, cōtento sub illo vniuersali, vt in hoc distinguatur actus sentiendi ab actu intelligendi. Hæc de presenti quæsto dicta sint.

Quæstio 9. si metaphysicus considerat omnes quidditates tantum in vniuersali, vel etiam in particulari.

Circa hanc questionem intendo declarare quid senserit Comment. & b. Tho. & Scotus dimissis friuolis, quorundam modernorum. Sic ergo procedendum est. Primo præponentur aliqua, pro declaratione tituli. Secundo ponentur conclusiones decisiue. Tertio declarabitur differentia inter metaphysicam & alias particulares scientias, in considerando easdē quidditates. Quarto soluentur quedam dubia.

Quantum ad primum pro nouitiā tituli, aduerte quinque.

Primo aduerte q̄ duplex est quidditas, quedam in materia, vt entia corporea, tam simplicia, qualia sunt elementa & composita. Quedam separata à materia, vt Deus & intelligentiæ.

Secundo aduerte quod de quidditate separata à materia secundum esse, potest haberi quadruplex conceptus. Primus est transcendens, vt Deus est ens, vnum, verum, bonum, &c. Secundus est generalissimus, vt Deus est substantia, & intelligentia est substantia; Tertius est subalternus, vt Deus est substantia incorporea. Quartus est veluti specificus in quo natura abstracta sub propria & formali sua differentia cōcipitur, puta si concipitur Deus sub ratione deitatis, sicut quādo concipitur homo, sub sua specifica differentia. Sed aduerte, quod pro nunc non est discutiendum, an Deus contineatur sub generalissimo & subalternō. nam mihi sufficit pro nunc, quod ea quæ prædicantur de Deo, vt substantia incorporea, vel sunt genera, vel se habent ad modum generum, ex his conceptibus tres possunt à nobis haberi naturaliter & ex sensatis, vt manifestabimus in libr. 1. quartus autem pro hac vita est nobis impossibilis. Tunc enim cognosceremus pro præsentī statu abstracta quidditatiue, quod manifestabimus esse impossibile in secundo libro.

Tertio aduerte, quod quatuor genera causarum pertractantur à metaphysico & à physico, vt patet in 5. metaphys. & in 2. phys. sed diuersa ratione, nam pertractantur à physico, vt concernunt motum, vnde non considerat de efficiente, nisi vt agit per motum, nec de materia nisi vt est subiectum transmutationis, & vt est receptiua formę introducendæ per motum, nec de forma, nisi vt est terminus transmutationis, vel vt est principium formale actionis physice, nec de fine considerat, nisi vt

est acquisitus per motum, metaphysicus autem considerat efficiens, vt producat, & nō vt transmutat physice. Datur enim actio sine motu, vnde inquit Commenta. in libr. 9. commen. 7. potentia & actus dicuntur in pluribus, quam in rebus transmutabilibus. materiam vero considerat in quantum est ens & potentia, & pars quidditatis, formam vero in quantum est ens, & actus & quidditas, vel pars quidditatis, finem autem in quantum est bonum, & perfectio nature, ad quod rei natura ordinatur vnde. dato quod nulla res attingeret finem suū, nisi per motum, prior tamen est ratio ordinis in re, secundum esse, quam secundum operationem, sed dices si metaphysicus quatuor causas pertractat, quare dicit Commenta. in 1. phys. commen. 1. Metaphysicum tantum tres causas considerare, excludit enim materiam.

Respondeo pro tanto excludit materiam, quia magis cōcernit motum & transmutationem, quā alie cause. vnde per motum & transmutationem cognita est, vt patet in 1. phys. & in 8. metaph. hoc tamen stat, quod potest considerari vt ens, vt potentia, vt pars quidditatis.

Quarto aduerte quod ly cōsiderare quidditates in vniuersali vel in particulari intelligitur, quo ad prædicata vniuersalia, vel specifica, puta considerare lapidem, vt est substantia, vt corpus, vt vnum, vt compositus ex materia & forma, est considerare quidditatē lapidis in vniuersali, eo q̄ in illis prædicatis plura alia cōueniunt. Considerare vero lapidem, vt sic mixtum, vt grauem, vt aptum descendere ad centrum, est considerare quidditatem eius in particulari, eo q̄ talia prædicata ducunt nos in cognitionem distinctam de lapide.

Quinto aduerte, q̄ ly considerare quidditates rerū in particulari, potest intelligi dupliciter, primo absolute. vltimate sistendo in tali cōsideratione, vt si considerare quidditatē hominis, vt est quidditas hominis, secūdo resolutiue. i. reducēdo talē cōsiderationem ad ens, & ad principia entis, vel proprietates entis, vt si cōsidero quidditatē hominis, vt ens, vt actus, vt res &c. His prænotatis deueniendum est ad conclusiones.

Quantum igitur ad secundum ponuntur tres conclusiones responsiue.

Prima conclusio. Metaphysicus cōsiderat omnes rerū quidditates in vniuersali, probatur sic. scientia cōsiderans subiectū communissimū & passiones cōmunissimas, quæ saltē disun-

Etiam conueniunt omnibus rerum quidditatibus, considerat omnes quidditates secundum illas rationes communes. Hæc patet ex ratione subiecti adæquari, & communissimi, nam de ratione eius est, ut omnia de quibus ipsum, & passionem suam prædicantur, considerentur in scientia, aliter non esset adæquatio inter subiectum & scientiam. Sed ens & passionem entis conueniunt saltem distinctim omnibus quidditatibus. Omnis enim quidditas & ens, & unum vel multa est simplex vel composita, est necessaria vel contingens, est finita vel infinita &c. ergo omnes quidditates sub hac consideratione vniuersali considerantur à metaphysico.

Secunda conclusio. Metaphysicus non considerat omnes rerum quidditates in particulari, id est quo ad prædicata propria & specifica, probatur in particularem, & distinctam notitiam omnium quidditatum, non potest nos deducere ratio entis, nec ratio proprietatum entis, eo quod omnibus entibus conueniunt saltem distinctim ergo per habitum metaphysicum non potest haberi de omnibus quidditatibus particularis & distincta notitia. Antecedens patet, consequentia vero probatur, quia for malis ratio obiecti est illa, per quam attingitur quicquid est attingibile per potentiam, siue per scientiam, ut patet in obiecto visus, nam unumquodque intantum est visibile, in quantum participat naturam & rationem coloris, aut loci, cum ergo per rationem entis & proprietatum eius nihil sit cognoscibile, nisi in quantum ei conuenit ens, & proprietates eius & non ultra, manifestum est, quod per habitum metaphysicum non potest haberi particularis notitia omnium quidditatum.

Tertia conclusio, licet metaphysicus consideret omnes quidditates in vniuersali, & non omnes in particulari, tamen quidditates separatas considerat in vniuersali & in particulari, saltem secundum conceptus aggregatos illis tantum conuenientes. Quod consideret in vniuersali, patet per primam conclusionem. Quod autem in particulari, per conceptus aggregatos probatur, nam substantia separata cognoscitur sub hoc conceptu, quod est substantia æterna immaterialis, actus, intellectualis, sine magnitudine, immutabilis, inalterabilis, infinitæ virtutis, & iste conceptus quo ad omnes partes simul iunctas, conuenit soli Deo, & si remoueat illud infinitæ virtutis, competit aliis intelligentiis & nulli alteri. Sed hunc conceptum non format alius, nisi metaphysicus, ut manifestum erit in libro 12. eo quod

trahitur ex conceptu entis, & substantiæ, & necessarij, & simplicitatis, & independentiæ & independentiæ & actus, quæ omnia sunt de consideratione metaphysici, ergo quidditates separate considerantur à metaphysico, non solum in vniuersali, sed etiam in particulari, signanter autem dixi, quo ad conceptum aggregatum, quoniam conceptum simplicem quidditatum à priori de separatis habere non possumus: & ideo licet ad metaphysicam, secundum se dictam id pertineret, non tamen ad metaphysicam quam habet philosophus, nec ut viator, potest habere, sed id relinquatur alteri statui.

Quantum ad tertium declarandum est resolute, quomodo differant metaphysica & alia scientia in consideratione quidditatum. Aduerte igitur, quod metaphysicus considerat hominem ut est ens, ut substantia, ut compositus ex materia & forma, physicus autem considerat, ut est ens mobile, secundum generationem & corruptionem propter principia sua intrinseca, scilicet propter materiam annexam priuationi, propter qualitates actiuas, & passiuas, propter formam non perfectam totaliter, potentialitatem materiam, & quod est mobile motu vegetationis, in quantum est corpus animatum. Item metaphysicus considerat lineam, quod est accidens, quod est quantitas, quod est totum compositum omniogenum, Geometra autem considerat, quod causatur à puncto, quod est sola longitudo, quod est recta, vel obliqua, quod est principium omnis figuræ. Et quoniam impossibile est concipere rem, quo ad prædicata propria, nisi prius concipiatur quo ad prædicata vniuersalia, eo quod illa prius cadunt in nostro intellectu, ideo metaphysica fundat & firmat omnes específicos conceptus, ita quod meretur dici, ipsam solam considerare quod quid est: ut dicit philosophus in 6. lib. verum quomodo sit verum dictum philosophi, declarabimus in lib. 6.

Totam determinationem huius questionis reputamus de mente Comment. qui dicit in 6. lib. Comment. 1. Ista scientia habet considerare de omnibus speciebus entium, in quantum sunt entia & de mente b. Tho. qui dicit in 4. lib. exponens textum secundum, in quo dicit philosophus. Quapropter & entis in quantum ens est, quascunque speculari species vnius scientiæ est. Super quæ inquit textum inquit b. Tho. Hoc autem dicit, quia non oportet quod vna scientia consideret de omnibus speciebus vnius generis secundum proprias rationes singularum specierum, sed secundum quod conueniunt in genere. Secundum autem proprias

rationes pertinent ad scientias speciales, sicut est in proposito, nam omnes substantiæ in quantum sunt entia, vel substantiæ pertinent ad considerationem huius scientiæ, in quantum autem sunt talis aut talis substantia, ut leo, vel bos, pertinent ad scientias speciales &c. Et etiã est de mente Scoti, qui in q. i. prologi in 3. argumento contra philosophos, inquit. Hoc est quod dicit philosophus in 1. metaphy. quod oportet sapientem omnia cognoscere aliquantulum, id est in vniuersali, & non in particulari, & subdit, qui enim nouit vniuersalia, nouit aliquantulum omnia subiecta &c. ecce quod per ly in vniuersali, & non in particulari, patet quod concordat cum determinatione facta.

Quantum ad quartum aduerte, quod contra determinationem factam, plura insurgunt dubia.

Primum est, propter quid est, quod metaphysicus considerat substantias abstractas in vniuersali, & in particulari quantum potest, materiales autem tantum in vniuersali, cum videatur eadem ratio, nam quidditas materialis ut quidditas, ita abstrahit à motu, sicut quidditas immaterialis.

Respondeo non est eadẽ ratio, quoniam cum sit proprium metaphysici considerare abstracta à motu & à materia, maxime debet considerare ea, quæ sunt abstracta secundum esse & secundum rationem, talia autem sunt entia separata, quæ dicuntur entia diuina, entia vero materialia, licet ut sunt quidditates, abstrahant à motu, secundum considerationem, tamen ut sunt in rerum natura & in particulari, ut leo, lapis, &c. concernunt motum, & etiam materiam, ut est subiectum transmutationis, & ideo non est eadem ratio.

Potest etiam dici quod metaphysica est duplex, scilicet communis & applicata. Communis est illa quæ traditur in libris præcedentibus libr. 12. Quoniam in illis agitur de ente, de communibus diuisionibus, entis, & proprietatibus eius. Applicata est in libr. 12. in quo agitur de ente separato à materia secundum esse. Dico igitur quod licet non pertineat ad metaphysicam communem, considerare de quidditate abstracta in particulari, sicut nec de quidditate materiali, tamen id pertinet ad applicatam, quæ proprie versatur circa abstracta, ut manifestabitur in libr. 12.

Secundum est stante determinatione facta, videtur metaphysica esse imperfectior physica, nam cognoscere in vniuersali, est cognoscere confuse, & ut sic imperfecte, cognoscere

autem in particulari, est cognoscere distincte, & ut sic perfecte. Sed secundum determinationem factam, metaph. cognoscit quidditates in vniuersali, & physica in particulari, ergo &c.

Respondeo, Dignitas metaphysicæ debet attendi penes modum considerandi ens, & quæ enti per se insunt, & cognoscendi substantias separatas, & quoniam illa sunt difficilissima cognitu, & maxime perficiunt intellectum, ideo est perfectior aliis scientiis, nam & aliarum scientiarum præsupponit cognitionem entis, & eorum quæ enti per se insunt, cum autem comparatur metaphysica physica, quo ad cognitionem quidditatum in particulari, illa comparatio est per accidens, & ideo non inconuenit, ut sic, quod sit imperfectior physica, sed hoc est secundum quid, nam cognitio entis, & proprietatum eius, & cognitio substantiarum separatarum præponderat huic imperfectioni. Quare concedimus quod metaphysica respectu physica est perfectior, simpliciter, & imperfectior secundum quid.

Tertium est. Quia videtur quod metaphysica habeat considerare hominem, non solum in vniuersali, sed in quantum homo est, & similiter alia naturalia, nam ut quidditates sunt, præcedunt motum & omnem mutationem, comparatur enim ad motum & mobilitatem, sicut comparatur substantia ad accidens. Constat autem ex 7. libr. quod substantia est prior accidente, & tempore, & cognitione, in illo ergo priori cognoscibilis est, & non à physico, quia in illo priori abstrahit à motu, ergo à metaphysico. Respondeo, Hoc argumentum est tantæ efficacis apud Scotum, ut negauerit ens mobile esse subiectum in physica, eo quod credit, ly mobile esse passionem, & sic constituti vnum per accidens, cum dicitur ens mobile. Sed apud Thomistas est facilis solutionis, nam ly mobile, vel mobilitas dupliciter accipitur, primo ut est formalis & quidditativa ratio entis mobilis, sicut rationale vel rationalitas in homine, & ut sic præcedit omnem demonstrationem naturalem, & præsupponitur ei, sicut in scientia quæ habetur de homine, præsupponitur animal rationale, ut principium demonstrandi passionem de homine, alio modo sumitur mobilitas, prout est passio entis mobilis, quæ non est nisi aptitudo ad motum, sicut risibilitas est aptitudo ad risum, & in hoc sensu non præsupponitur, sed demonstratur, de ente mobili, sicut passio de subiecto. Cognitio ergo humanitatis, & aliarum quidditatum naturalium, in illo priori, pertinet ad physicum, quoniam licet abstrahat à mobilitate, ut est

passio, non tamen ut est ratio formalis sui proprii & adequati subiecti. Hæc pro præsentis quæstio sufficient.

Quæstio 10. si maxime vniuersalia sunt difficilissima ad cognoscendum.

Fere autem, & difficilissima sunt ad cognoscendum quæ maxime sunt vniuersalia. In prologo.

Circa hanc q. aduerte quod sua difficultas stat in diuersis dictis Arist. in quibus videtur sibi contrariis, nam in 1. phy. tex. 2. dicit, quod magis vniuersalia sunt nobis prius nota, ergo facillima cognitu. non enim à difficilioribus inchoadū est, ut patet. Hic autē dicit, ea difficilissima cognitu. Pro resolutione igitur huius apparentis contrarietatis, tria agenda sunt, primo ponentur quedam dictiones, secundo conclusiones resolutiue, tertio soluentur quedam dubia.

Quantū ad primum aduerte, quod aliqua possunt dici maxime vniuersalia, dupliciter, scilicet secundū causalitatem, & secundū prædicationē, iuxta primū membrū. Deus & intelligentia sunt maxime vniuersalia, quoniam sunt prima & vniuersalissima principia entium, ut manifestabitur in lib. 12. iuxta secundum membrum, ens, & reliqua transcendentia, & actus & potentia &c. sunt maxime vniuersalia, quoniam de omnibus prædicantur simpliciter, vel distinctim.

Iterū aduerte quod maxime vniuersalia secundū prædicationē dupliciter considerari possunt. Primo quo ad cognitionem confusam. Secundo quo ad cognitionē distinctā, quarum utraque quid sit, considerando vniuersale in quantum totum distinctibile, & in quantum totum contentiuum suorum inferiorum, videbis in trac. nostro de transcendentibus, in 1. cap. vbi inuestigamus primum cognitum.

Quantum ad secundū ponuntur tres conclusiones responsiue. Prima. Maxime vniuersalia secundū causalitatem sunt difficilissima ad cognoscendū, probatur, cum omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu, quæ maxime sunt remota à sensu, difficilissima sunt cognitu. Sed maxime vniuersalia in causando ut declarabitur in lib. 12. cum sint immaterialia, nullam habentia magnitudinem, sunt maxime remota à sensu, ergo &c. Confirmatur dicto philosophi in 2. metaph. vbi comparat intellectum nostrū in intellectu huiusmodi vniuersalium, ad oculum nocturæ in visione luminis solaris, & aduerte quod

de talibus vniuersalibus intendit proprie philosophus in prologo, cum dicit. Sed fere autem difficilissima ea sunt hominibus ad cognoscendum, quæ maxime sunt vniuersalia. Nam à sensibus sunt remotissima. verum quia & de maxime vniuersalibus in prædicando, potest dictum philosophi intelligi, quoniam cum sensus sit tantum singularium, & licet eius obiectum sit vniuersale, ut declarauimus suprà, tamen non attingit vniuersale, nisi mediante singulari, maxime vniuersalia videntur esse remotissima à cognitione sensuum, ex consequenti videntur esse difficilissima cognitu, ideo ponuntur conclusiones sequentes.

Secunda. Maxime vniuersalia in prædicando, quo ad cognitionem confusam, non sunt difficilissima nobis ad cognoscendum, immo faciliora, probatur. A maxime vniuersalibus innata est nobis via procedendi, nam de vnoquoque primo apprehendimus quod est ens, quod est vnum vel multa, quod est substantia vel accidens, quod est in potentia vel in actu, quod est simplex vel compositum &c. Sed via huiusmodi processus necesse est ut sit à notioribus nobis ex consequenti, à facilioribus cognitu, aliter esset via inutilis, quoniam ex ignoto non notificatur nobis alterum ignotum: necesse est ergo ut prima apprehensione, quæ est apprehensio confusa, ut declarauimus in tract. de transcendentibus, maxime vniuersalia non sint nobis difficilissima cognitu, & de hac cognitione confusa intendit in 1. poster. tex. 3. cum dicit, sunt autem primum nobis manifesta & certa confusa magis, vnde ex vniuersalibus ad singularia oportet procedere &c. Quod autem magis confusa id est magis vniuersalia sint primo manifesta nobis, probat Arist. triplici signo, quod nunc prætermittimus, quoniam id satis declarauimus, in epitome nostra super libros physico.

Tertia. Maxime vniuersalia in prædicando quo ad cognitionem distinctam, ut habent rationem totius, plura sub se continentis explicite, sunt difficilissima ad cognoscendum, probatur, si maxime vniuersalia, quo ad explicitam contrarietatem suorum inferiorum debent distincte cognosci, est necesse ut cognoscatur omnes gradus entium & naturarum, quæ sub ipsis continentur, & quibus differentiis singula à se inuicem differunt, præcipue autem difficilissima est contentia entis distincta ad intelligendum, quoniam inter purum actum & puram potentiam difficilissimum est, omnes gradus medios distin-

PRIMI METAPHY.

Ne apprehendere. Quos si quis apprehenderit secundū Auic. in libr. 9. suæ metaphy. reputabitur felix. & iuxta hanc distinctam cognitionem, dixit Arist. in prologo metaphy. quod maxime vniuersalia sunt difficillima ad cognoscendum. Tu igitur aduerte, ex his conclusionibus philosophum non esse sibi contrarium, quoniam in 1. phyſi. loquitur secundum secundam conclusionem, in prologo autem huius scientiæ loquitur iuxta 1. conclusionem, & potest interpretari iuxta tertiam, quare &c.

Quantū ad tertiu aduerte tria argumenta, quibus videtur posse concludi, q̄ maxime vniuersale nulla cognitione sit notius, aut prius notum minus vniuersali, ex cōsequenti siue confuse siue distincte cognoscatur, nunquam erit facile ad cognoscendum, quod est contra secundam conclusionē. Primo igitur arguitur sic. Quæ sunt priora secundum naturā, sunt posterioribus nobis nota, secundum philosophum in 1. poster. Sed maxime vniuersalia sunt priora secundū naturā, prius est enim secundū naturā, à quo nō cōuertitur cōsequentiā subsistēdi, patet autem q̄ licet à minus vniuersali ad maxime vniuersale valeat cōsequentiā subsistēdi, non tamen econuerso, nam bene sequitur, homo est, ergo ens est, nō tamen sequitur, ens est, ergo homo est. Patet igitur quod minus vniuersale est posterius secundum naturam, ex consequenti prius notum, & facilius notum, siue confuse, siue distincte apprehendatur.

Respondeo. Ad maiore ly secundū naturam, potest habere duplicē sensum. Primò secundū naturam, id est secundū perfectionem naturæ. Secundò secundū naturā, id est secundū processum naturæ, qui est ab imperfecto ad perfectum, vt patet in generatione viuentiū. si sumatur ly priora secundū naturam in primo sensu, conceditur maior, sed negatur minor. Ad probationem eius, dico q̄ illa propositio, prius est enim &c. intel ligenda est de prioritate nature, secundum processum nature, & non de prioritate secundū perfectionē naturæ. si autē sumatur in 2. sensu, nego maiore. Ad probationē eius dico, q̄ Arist. intendit de priori secundū naturā, iuxta primū sensum in quo cōcessa maiore, negauimus minore. Et quoniam in processu nature magis vniuersale est prius, prius, enim generatur animatum quam sensitium, & sensitium, quam intellectuum, ideo prius cognoscimus & facilius magis vniuersale, quam minus vniuersale.

Secundo. Cōposita prius & facilius cognoscitur, quam simplicia

QVAESTIO II.

25

plia, quoniam magis cadunt sub sensu. Sed minus vniuersalia, se habent ad maxime vniuersalia, sicut cōposita ad simplicia, addunt enim super ea, vt substantia addit super ens, & corpus super substantiam & sic descendendo, ergo, &c.

Respondeo. Maxime vniuersale potest considerari in quantum diffinibile, & in quantum est contentiuum suorum inferiorum. In tex. philosophi, cum dicit. Difficillima sunt homini ad cognoscendum, quæ maxime sunt vniuersalia, considerantur vniuersalia, vt sunt contentiuua suorum inferiorum, in quo sensu nego minorem, immo est oppositum, quoniam magis vniuersale est totum, & minus vniuersale est pars subiectiuua.

Probatio autem minoris respicit maxime vniuersale, vt est quoddam diffinibile, de quo nunc nō est considerandū. Quod quidem an prius cognoscatur cognitione confusa in concipiēdo ipsum, iam declarauimus in trac. de transcendentibus, in c. lvbi determinauimus contra Scotum,

Tertio cause & principia sunt posteriora cognitione, quo ad nos, quoniam per effectus deuenimus in cognitionem causarum & principiorum, eo quod sunt manifestiora sensui. Sed maxime vniuersalia sunt cause & principia, ergo, &c.

Respondeo, primò potest negari minor, de maxime vniuersali in prædicādo, & de facto eam negauit Arist. contra Platonem in lib. x. in tex. 6. secundo potest negari maior, licet enim multoties cognoscamus causas per effectus, non tamen est vniuersaliter verum, vt patet in mathematicis in quibus sunt demonstrationes à priori, quæ procedunt ex primis, veris notioribus, & causis cōclusionis, & in proposito à magis vniuersali deuenimus in cognitionem minus vniuersalis, ita quod in tali processu cognitio magis vniuersalis est causa & principiu cognitionis minus vniuersalis. Hęc de presenti quæſito dicta sunt. Quia verò non actiua palam ex primis

philosophantibus. In prologo.

Super hunc tex. querendum esset, si hæc scientia est practica an speculatiua, verum quia in lib. 6. queremus de numero scientiarum speculatiuarum, inter quas Arist. numerat hanc scientiam sub nomine theologiæ, cōsiderabimus etiā de practici & speculatione, & vnde sumatur scientia practica & speculatiua an ex obiecto, an ex fine. I deo sustine vsque ad librum sextum ne fiat eiusdem inutilis repetitio.

Et quoniam in toto 1. lib. immoratur circa sentētiās antiquo-

SECUNDI METAPHY.

rum, de principiis & causis primis entium, nec cadunt dubia circa huiusmodi alicuius momenti. Ideo sufficiat pertractasse quaestiones principales fundatas in prooemio huius primi libri, nunc igitur ad quaestita secundi libri transeundum est.

Expliciunt quaestiones super prooemium primi libri meta.
Frat. Chrysostomi Iauelli Canapicij ord. pr. ed. &c.

Incipiunt eiusdem quaestiones fundatae super
secundum librum metaphysicae.

Super secundum librum septem occurrunt
resolucenda.

- 1 Si prima principia sunt naturaliter cognita.
- 2 Si tota difficultas inuenienda ueritatis, est ex parte intellectus nostri.
- 3 Si possumus cognoscere quidditatiue entia abstracta.
- 4 Si ex tex. iij. possumus elicere esse plura principia improducta.
- 5 Si est processus in infinitum in causis efficientibus.
- 6 Si est processus in infinitum in causis materialibus.
- 7 Si est processus in infinitum in causis formalibus.

QVAESTIO PRIMA.

Si prima principia sunt naturaliter cognita.

Quare sic videtur habere, vt proverbialiter dicitur. In ianuâ quis delinquet, textu primo, vbi Commentator inquit, & ista sunt principia cognita naturaliter habita à nobis quolibet genere entium. Et b. Thom. exponens inquit, Huiusmodi autem sunt prima principia naturaliter cognita, vt non est simul affirmare & negare de eodem, &c.

QVAESTIO I.

26



IRCA hanc quaestionem sic procedemus. Primo ponemus distinctionem de naturaliter cognito. Secundo recitabimus duas opiniones, ex quibus secunda est peripatetica, & illam sustinebimus. Tertiò soluentur quaedam dubia, quae insurgent contra determinationem.

Quantum ad primum aduerte, qd aliquid potest dici naturaliter cognitum, dupliciter. Primo secundum actum perfectum, & hoc esset, quando semper & à principio nostri esse & necessario, illud cognosceremus, & hoc modo dicuntur intelligentiae cognoscere seipsas naturaliter, eo quod semper sibiipsis praesentes sunt, secundum esse intelligibile. Secundo non secundum actum perfectum, sed secundum potentiam propinquam, & hoc est, quando in nobis est sufficiens principii talis cognitionis absque expectatione principij extrinseci, dato quod talis cognitio non semper actu & à principio nostri esse, sit in nobis. Nam sicut dicimus motum lapidis deorsum esse naturalem lapidi, non quia semper actu mouetur deorsum, sed quia in se habet sufficiens principium huius motus, scilicet grauitatem, sine expectatione alicuius impetus causati ab extrinseco, qualis requiritur in motu violèto, aut in proiectis, sic dicimus illud nobis naturaliter cognitum respectu cuius habemus intrinsecum principium, & sufficiens cognitionis, sine priori cognitione intellectiua, & sine expectatione alicuius discursus, quod quomodo fiat, declarabimus statim.

Quantum ad secundum aduerte quod Plato in Phaedro, tenet primum membrum distinctionis positae, non solum quo ad principia prima, sed etiam quo ad habitus scientificos, eo quod secundum ipsum anima creatur cum habitibus scientificis sed quod eorum obliuiscatur aut non possit vri, non est defectus ex parte animae, sed eo qd anima includitur in hoc corpore corruptibili, sicut in carcere. Sed contra hanc opinio, nunc non est disputandum, locus enim est, in fine 2. poster. vbi inuestigat Arist. vnde puenit nobis cognitio primorum principiorum.

Arist. autè & omnes veri peripatetici tenent secundum membrum distinctionis, reprobantes primum, cuius reprobatio stat in hoc, quod est cognitum naturaliter primo modo, est semp & necess.

SECUNDI METAPHY.

fario cognitū, & quā primū cognoscēs existit in rerū natura, sic
 cur exēplificauimus de intelligētia intelligēte se naturaliter.
 Sed prima principia nō sunt sic à nobis cognita, nā in sui prin-
 cipio, intellectus possibilis est mere potēntialis in genere intel-
 ligibilium, vnde videmus quod infans non cognoscit ea. Præ-
 tera, cognitio primorum principiorum est intellectiua, nam
 circa ea ponitur habitus intellectus in 6. ethico. Omnis autem
 cognitio intellectiua præcedit à sensitiua, ex 1. post. ergo nō
 est nobis naturalis primo modo. Quod autem sit naturalis se-
 cundo modo, manifestatur sic. Quando obiectum mouet sen-
 sum, pura hæc magnitudo, & sensus phantasia, & phantasma
 conseruatum in phantasia, illustratum lumine intellectus agē-
 tis, mouet intellectum possibilem ad cognitionem incomple-
 xi, puta totius, deinde partis, idem intellectus facit hoc com-
 plexum, totum est maius sua parte, & huic complexo assentit
 statim per principium sufficiens intrinsecum, quod est lumen
 naturale intellectus agentis, quo fit sibi euidentissimum præ-
 dictum complexum, sine suppositione alicuius prioris noti
 apud intellectum, & expectatione alicuius discursus, & hoc est
 cognoscere naturaliter, secundo modo, & ex hoc potest tibi ef-
 se manifestum, quare cognitio conclusionum nō est naturalis
 hoc modo, nam posita tota virtute intellectus agentis, non fit
 conclusio euidens intellectui, nisi deducatur ex aliquo prius
 noto apud intellectum, & sic cognitio conclusionis non potest
 esse prima apud intellectum, sed supponit aliam, scilicet cog-
 nitionē principii, à quo deducitur, ex cōsequēti nō potest dici
 naturaliter cognita, sed ratiocinatiue, ex his igit patet in quo
 sensu prima principia sunt naturaliter cognita, & in quo non.

Quantum ad tertium aduerte quod contra hanc determina-
 tionem, quedam insurgunt dubia.

Primum est, An eodem actu apprehendamus principium
 & assentiamus illi.

Respondeo, dico quod non, quoniam assensus supponit ap-
 prehensionem. Sed idem non supponit seipsum. Præterea. Scit
 quod eodem actu intellectus apprehendat duo contradicto-
 ria: & tamen eis non possum simul assentire, aliter reputarem
 vtrunque esse verum, quod est impossibile, vt declaratur in 4.
 libr. Quod si inuenieris Aulc. pro eodem accipientem scire &
 assentire, interpretandus est, quod sunt idem subiecto. nam
 eiusdem intellectus est scire & assentire, non tamen ex hoc se-

QVAESTIO I.

quitur, quod sint vnus actus realiter.

Secundum est, An assensus principiorū sit actus intellectus
 agentis vel possibilis.

Respondeo, hic est duplex opinio. quidā dicit qd est actus intel-
 lectus agētis, nā arbitratur quod intellectus agēs faciat pri-
 ma intellecta, que dicuntur prima principia, & ad eorū cognitio-
 nem intellectus possibilis se habent mere receptiue, & secun-
 dum eos, apprehendere prima principia est actus intellectus
 agētis, sed assentire illis, est actus intellectus possibilis, & fun-
 dant se super dictum Comment. in 3. de anima, Continuē. 36. di-
 centis, necesse est vt intellecta habita à nobis naturaliter, sint
 ab aliquo, quod est in se liberatum à materia, & est intellectus
 agens. Hæc Commen.

Sed hæc opinio falsa est, eo quod etiam de mente Comm. in
 3. de anima, continuē. 19. Intelligentia agens nihil intelligit eo-
 rum que sunt hic, & secundum b. Tho. non est subiectum ali-
 cuius habitus. Ad dictum Commen. respondetur, quod verifi-
 catur in hoc sensu, qd prima principia sunt intellecta non for-
 maliter, sed virtualiter ab intellectu agente, pro quanto sola
 virtute luminis eius, sunt euidentia intellectui possibili & nō
 virtute priorum propositionum, ex quibus deducantur, sicut
 deducuntur conclusiones.

Alij ergo melius dicunt quod apprehensio & assensus pri-
 morum principiorum, est illicitiue ab intellectu possibili, eo
 quod ipsius actio propria est intelligere. Apprehendit au-
 tem ea adiutus lumine intellectus agentis, quo sibi mani-
 festatur veritas primorum principiorum, & eodem lumine
 adeo perficitur, quod statim non expectato alio discursu, eis af-
 sentit, & id confirmatur per Domi. Alber. in 1. de anima, dicen-
 tem, nihil est manifestius in natura, quā sensus & origo omnis
 cognitionis, quod est lumen intellectus agentis, per illū enim
 lumen certificatur quicquid scitur, & tūc iudicatur sciri, quan-
 do illi conueniens reperitur.

Tertium est, an idem sit principium formale, id est sit e-
 dem euidentia, qua assentimus principiis & conclusioni.

Hic sunt duo modi respondēdi. primus est Pauli Soncinatis
 in 4. metaph. quæst. vltima, qui arbitrat, quod euidentia nec
 vna nec plures est principium formale huius assensus, & ratio
 sua est, quia euidentia est relatio, dicitur em euidentia alicui eui-
 dentia, sed nulla relatio est principium formale actionis, sicut

nec motus, ex 5. physicorum ergo &c.

Sed decipitur, quoniam euidencia est qualitas originatiue producta ab intellectu agente, nec est verum, quod dicit eam esse relationem, quia dicitur, ad alterum, sic enim sciētia esset relatio. erit igitur euidencia relatiuum secundum dici, quod non incoeuient esse principium actionis, sicut sciētia est principium considerandi.

Secūdus est melior, quem sequor & dico q̄ potest teneri esse vna & esse plures, nā si loquamur de principio formali proximo, quo assentimus principio, & proximo, quo assentimus conclusioni, si sunt plures, nam euidētia causata præcise lumine intellectus agentis, assentimus principio, & euidencia causata ex discursu suadato in principio per se noto, assentimus conclusioni, patet autem istas euidencias esse distinctas, quoniam vnā supponit aliam, & quoniam sunt à distinctis causis, quales sunt lumen intellectus agentis, & discursus. si vero loquamur de principio formali remoto, quo assentimus conclusioni, sic est idem cum eo, quo assentimus principio per se noto, nam eadem euidencia qua assentimus principio virtualiter, assentimus conclusioni, eo q̄ euidencia causata lumine intellectus agentis, prout seruat in principio, ex quo deducimus conclusionem, est causa q̄ assentimus conclusioni, & sic potest dici, qd eadem euidencia primo assentimus principio, secundario autem conclusioni, verum quia ibi loquimur de principio formali proximo, tenendum est quod istæ euidenciæ sunt plures.

Quartū est, si prima principia sunt naturaliter nobis cognita, vnde est quod non omnes assentiunt eis. nam dicit Cōmen. in 2. lib. metaph. in commē. 14. q̄ aliqui homines sunt, qui nō possunt recipere primas propositiones, propter tres causas, scilicet propter consuetudinē, quia sunt nutriti à iuuetute in falsis, & propter malam dispositionē individualē, & propter paucitatē exercitij in logica. Non ergo videntur esse homini naturaliter cognita. Quod enim naturaliter conuenit homini, conuenit omni homini, sicut esse risibile.

Respondeo prima principia sunt duplicia, quædam sunt primo prima, quæ dicuntur dignitates, quas Arist. defensat in 4. l. contra proteruientes, super quas omnis sciētia fundatur, quædam sunt secundaria, quæ innotescunt ex primo primis, vt quod naturaliter ex nihilo nihil fit. Quod omnis forma re-

cipitur in propria materia &c. Quātum ad primo prima, dico quod omnes potentes vti ratione, vt excludantur pueri & insensati, eis assentiunt de necessitate. Quātum ad secundaria dico, quod si sunt bene dispositi & recti iudicij, eis assentiunt, verum quia multi sunt mali iudicij, vel debilissimi ingenij, vel male assueti, ideo nō est necesse, quod omnes potentes vti ratione, eis assentiāt, & de his principiis secundariis intelligendum est dictum Commē. Aduerte tamen quod etiam si inuenirentur aliqui, qui negarent principia, primo prima, propter hoc non sequitur, quin sint naturaliter cognita, nam quod est naturaliter cognitum, non est necesse quod verificetur, pro quolibet individuo, nisi sit naturaliter cognitum in primo sensu, vt distinximus in quæstione. Hæc de præsentia quæstio dicta sint.

Quæstio 2. si tota difficultas intelligendi, est ex parte nostri intellectus vel ex parte rei.

Forſan autem & difficultate duobus modis existente. Textu primo.

IN hac quæstione intendo primo pertractare opinionem b. Tho. & Commenta. qui in hoc concordant. Deinde opinionem Scoti & Auto. Andr.

Sententia b. Tho. & Cōmen. stat in duobus, primò, quia intelligere stat in quadam habitudine, inter intellectum & obiectum intelligibile, sicut cōburere dicitur habitudine inter comburens & combustibile, in talibus potest provenire difficultas ex parte vtriusq̄, nam si comburens sit debile, & combustibile sit ex se dispositum ad combustionem, vt stipula sicca, difficultas combustionis erit ex parte comburentis, si autem comburens sit potens, & combustibile sit indispotum, puta lignū viride, erit difficultas ex parte combustibilis. Quod si comburens est debile & combustibile indispotum, erit difficultas ex parte vtriusq̄, sic in proposito applicandum est circa difficultatem cognoscendæ veritatis.

Secundo quia cognoscibilitas non consequitur ens vt ens est, sed ens in actu, ex nono libro huius sciētiæ, text. 20. vbi inquit philosophus palam, quia potentia entia ad actum reducra inueniuntur, id est, cognoscantur, sequitur quod cum sint multa entia, quæ minimum habeat de actu, vt materia, mo-
d. iiii

SECVNDI METAPHY.

tus, tempus, infinitum, priuationes, negationes, &c. quod sunt parum cognoscibilia, quod ex consequenti difficultas cognoscendi sit ex parte rei. Cum etiam sint aliqua entia, que ex natura sua sunt perfectissima, & maxime actu, vt entia diuina, & nobis sunt difficillima ad cognoscendum, manifestum est id prouenire ex debilitate nostri intellectus, qui se habet ad illa, vt oculus noctur ad solem. & hæc est intentio Commenta. in hoc 2. libr. in commen. 1. vbi inquit. Cum difficultas comprehensionis est duobus modis, rectum est vt difficultas in rebus, quæ sunt in sine veritatis scilicet in primo principio & in principiis abstractis à materia sit scilicet ex defectu ex nobis, & non ex illis, quoniam cum sint abstracta, sunt ex se intellecta naturaliter, & non intellecta, quia nos facimus ea intellecta, sicut formæ materiales. Difficultas enim in istis, magis est ex se, quam ex nobis, &c.

Sententia autè Scoti & Ant. And. opposita est b. Tho. & Comment. circa quam duo agenda sunt. Primo ponentur eorū fundamenta. Secundo soluentur eorum rationes, quas formant contra b. Tho. & Commentato.

Quantum ad primum aduerte, quod sententia Scoti & Ant. And. in hoc 2. li. q. 2. stat in hoc, q. tota difficultas cognoscendi est ex parte nostri intellectus, respectu cuiuscunq. rei, tam materialis, quam immaterialis, & quia, quo ad immaterialia, cum eo conuenimus, ideo idem manifestare conatur de re materiali, & facit hoc fundamentum. cognoscibilitas sequitur rei entitatem, eo quod vt inquit philosophus in hoc 2. libr. res sicut se habet ad esse, ita ad cognosci, ex hoc autem fundamento deducit, quod æque perfecte proportionaliter res materiales potentiales, quantum sit ex parte earum, sunt cognoscibiles ab intellectu nostro, sicut res immateriales, licet non æque perfecte simpliciter, & probat sic. Quia æque perfecte proportionaliter motiua sunt nostri intellectus, sicut res immateriales, vnumquodq. enim mouet intellectu secundum gradum entitatis suæ. Et confirmat exempla. Paruus ignis æque perfecte proportionaliter comburit paruum combustibile, sicut magnus ignis magnū combustibile, & æque facilliter proportionaliter, licet non æque perfecte simpliciter, eo quod magnus ignis citius & intensius ager.

Hæc est sententia Scoti, quæ peccat in duobus, primo in fundamento adducto, nō enim cognoscibilitas sequitur enti-

QVAESTIO II.

tatem, vt entitas est, sed vt est actu vel ordinabilis ad actum, vt adduximus in 2. Metaph. & ideo dicit philosophus in hoc 2. li. tex. 4. vnumquodque sicut se habet vt sit, ita & ad veritatem, & tu aduerte quod non dicit ad entitatem, sed vt sit, esse autem dicit actum, & bene exponit Cōment. illic dicens, quanto magis fuerit perfectum in esse, tanto magis erit perfectum in essendo verum, ex quibus elicio quod sicut actus adiuuat cognoscibilitatē, sic potentialitas impedit & difficultas, sicut in exemplo Scoti, siccitas adiuuat combustionem, & humiditas impedit & difficultat, ita quod difficultas est ex parte combustibilis humidi, & non ex parte ignis, etiam parui, secundo peccat in deductione. Cum enim res materiales sint sub conditione opposita intelligibilitati, quæ conditio est ipsa materialitas siue potentialitas, non sunt æque perfecte proportionaliter motiue intellectus, sicut immateriales, nec suum exemplum iuuat, non enim exemplum est verum, nisi in paruo combustibili inueniantur dispositiones facientes pro combustionem, puta siccitas & caliditas, sicut supponitur esse in magno combustibili. Vnde si in paruo combustibili sit intensa humiditas adeo impedit paruum ignem, quod non ager in ipsum, exemplum ergo non valet, nisi supposita vniuniformitate dispositionum ex parte vtriusq. combustibili. Sic in proposito, si res materiales non essent sub opposito cognoscibilitatis, æque perfecte proportionaliter cognoscerentur, sicut res immateriales, non tamen æque perfecte simpliciter, quoniam cum in abstractis denteur gradus actualitatum, quanto superiora, tanto magis intelligibilia sunt, vnde Deus est in supremo intelligibilitatis. Sic dico in rebus materialibus, cum sint diuersorum graduum dato casu quod non essent sub opposito intelligibilitatis, adhuc non sequitur, q. essent æque perfecte intelligibiles.

Nunc igitur soluendæ sunt rationes Scoti, pro quanto militant contra b. Tho. & Commentatorem.

Prima est talis, si res materiales sunt secundum se difficiles ad intelligendum, ergo ad quemcunq. intellectum comparatur, erunt difficiles, quod est falsum, vt patet comparatæ intellectui diuino, probatur consequentia. Quod secundum se est tale, cuiuscunq. comparatur est tale, vt patet de risibili in homine, qui ad quodcunq. comparatur est risibilis.

Hæc ratio nihil valet, nam admittatur primo, quod si Deus acciperet scientiam à rebus, vel eas per suas proprias naturas

cognosceret, concedimus, quod cum difficultate, res materiales cognosceret. Sed quia scientia sua est æquiuoca scientiæ naturæ, ratio nihil concludit. Dico secundo quod consequentia non valet. Ad probationem dico, quod illa maxima verificatur solum in prædicatis absolutis. In respectu autem non valet, quale est esse cognoscibile, esse visibile &c. Patet enim quod hæc est vera. Sol est secundum se cum difficultate visibilem propter abundantiam suæ lucis, & tamen non sequitur, quod cõparatus cuilibet oculo sit talis, vt patet in oculo aquilæ.

Confirmat autem Scotus & Ant. Andr. opinionem suam per ipsummet Arist. qui loquitur dubitative, cum dicit, forsan autem & difficultate duobus modis existente. Deinde determinando se subdit. Non in rebus sed in nobis est eius causa, ergo &c.

Sed huic respondetur quod licet translatio natura habeat ly forsan, tamen ea quæ est ex arabico, est absoluta. Sic enim dicit & cum difficultas eius sit duobus modis &c. nec est verum quod philosophus determinet se ad nos tantum in omni genere rerum. Determinat autem se ad nos, quo ad immaterialia, cum enim dixisset, non in rebus sed in nobis est eius causa, statim subdit. Sicut enim nicticoracum oculi ad lucem diei, sic & animæ nostræ intellectus, ad ea quæ sunt omnium naturæ manifestissima. Patet igitur sententiam b. Tho. & Comm. esse magis consonam menti Arist.

Aliam rationem in defensionem Scoti, adducit quidem modernus Scotista, & est talis. Intellectus habet difficultatem in cognoscendo, quando est improporcionatus obiecto. Sed hæc improporcionatio est aut propter exceedentem & perfectam entitatem obiecti, vt in abstractis, aut propter minimam entitatem, vt in rebus materialibus. Sed vtraque harum improporcionum est ex defectu nostri intellectus, & de prima quidem excessum est ab omnibus. De secunda autem sic probatur. Dicit Arist. in lib. de sensu & sensato, quod si visibile decrescit in minus in infinitum, necesse est visum crescere in maius in infinitum, si debet tale visibile videre, ergo ad cognitionem minimi cognoscibilis, necesse est potentiam cognoscitiuam esse perfectiorem. Quod ergo intellectus noster non possit cognoscere minima intelligibilia, qualia sunt materialia potentialia, est ex imperfectione eius. Omnis ergo difficultas in-

telligendi est ex parte intellectus, & non ex parte rerum, siue materialium, siue in immaterialium.

Respondetur. Hæc ratio peccat in duobus, primò non est eadem ratio de visu & intellectu, nam cum visus sit potentia organica, potest debilitari & cõfortari ex diuersa dispositione organici, & similiter visio potest reddi facilis & difficilis ex tali dispositione, & non solum ex parte visibilis sic vel sic distantis aut tantæ vel tantæ quantitaris, intellectus autem inorganicus est, & ideo non variatur facilitas aut difficultas intelligendi rem materiale ex parte intellectus, sed ex parte rei potestalis parum motiue intellectus nostri. Dico 2. quod non concludit intentum, licet enim parum visibile cum difficultate videatur propter defectum visus, non tamen solum propter hoc, propter defectum parui visibilis, eo quod non est sufficiens motuum visus. Idem dicendum esset secundum suum arg. de intellectu & re materiali. Propter quod vel nihil concludit, vel concludit, quod difficultas nõ solum est ex defectu intellectus sed etiam ex defectu obiecti parum cognoscibilis, ex consequenti ex parte rei, quod est contra Scotum.

Alia dubia quæ sint difficilia pro præsentis quæsitio non occurrunt, nisi illud quod solet adduci ad probandum, quod videtur intellectui nostro esse minus difficile intelligere immaterialia, quia materialia, eo quod cum sit immaterialis, maiore conformitatem habet cum immaterialibus &c. Sed id non est difficile ad soluendum, quoniam licet quo ad substantiam sit conformis immaterialibus, tamè quo ad modum intelligendi magis declinat pro hoc statu ad materialia, nihil enim intelligit sine phantasmate, & sua intellectio originatur à sensu, & ideo quo ad modum operandi elongatur à substantiis immaterialibus &c. Hæc de præsentis quæsitio dicta sunt.

Quæstio 3. si possumus quidditative intelligere substantias separatas.

Sicut enim nicticoracum oculi ad lucem diei sese habent &c. Textu primo.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primò. Quæ fuerit mens b. Tho. Secundo quæ fuerit mens Scoti. Tertio quæ fuerit mens Commentatoris.

Quantum ad mentem b. Tho. aduerte, quod stat in hac conclusionem negatiua, non possumus pro hac vita intelligere separata quidditatiue, & id clarū est in expositione sua, supra premissum tex. & in 1. parte. q. 12. art. 12. verum ante quam predictam conclusionem deducam, declaro quā sit quidditatiua cognitio in via b. Tho. Aduerte igitur, quod quidditatiua & perfecta idem sunt. Perfecta autē habetur tribus modis. Primo quando res cognoscibilis vnitur per essentia cognoscenti, sicut quando intelligentia est intelligens seipsam per suam essentiam apud philosophum. Secundo quando in cognoscente est species intelligibilis, sufficienter representatiua essentia rei cognoscibilis, vt per speciem hominis intelligerem hominem. Tertio quando cognoscitur effectus adequans virtutem suā causā, & per ipsum cognosco causam, vt si cognoscerem effectum adequantem virtutem solis, perfecte cognoscerem solem, & quidditatiue.

Ex his deduco conclusionē præmissam. primo, quia nullam separatorum, potest nobis vniri per essentiam suam, quoniam secundum doctrinam Aristot. in 3. de animal, intellectus possibilis, qui est omnia fieri, nullam formam recipit, nisi quam facit intellectus agens, qui est omnia facere, constat autē quod non facit essentiam rei separate actu intelligibilem, quoniam eū sit immaterialis, est ex se intelligibilis, secundo intellectus possibilis nullā speciem recipit, nisi abstractā à phantasmate virtute intellectus agentis, nulla autem talis est sufficienter representatiua substantia separate, quoniam cum sit sufficienter representatiua obiecti materialis, à quo est sumpta, nō potest exprimere naturā perfectionis substantie, qualis est substantia separata, cum sit diuersorum ordinum, tertio nullus effectus sensibilis cognoscitur à nobis, posse adquare virtutē substantia separate, præcipue virtutē primi principij, quam in lib. 12. sustinebimus de mente philosophi esse infinitam, omnis autem effectus sensibilis limitatus est, ergo non possumus quidditatiue siue perfecte cognoscere separata.

Hoc est vniuersale fundamentum b. Tho. vbiq̄ loquitur de hac materia, quod & Scotus & Ant. And. nescierūt infringere. Vnde Ant. And. in 2. metha. q. 3. in solutione rationum, quæ facte fuerant pro opinione b. Tho. solū illam de effectu inadæquante sic dicit, non plus concludit nisi quod effectus substantia separate, non ducit nos in cognitionē perfectam suā

causa, cum hoc tamen stat quod ducit nos in aliquā cognitionem imperfectā. Hæc ille. Sed cum nos teneamus cognitionē quidditatiuam esse perfectā, & e conuerso, patet quod Scotus nō non possunt sustinere intētum suum, contra b. Tho. loquendo de cognitione vere quidditatiua.

Quantum ad opinionem Scoti, faciemus quatuor. Primo declaratur modus positionis suæ. Secundo ostēdetur, quod non dissentit à b. Tho. nisi in terminis. Tertio declarabitur in quo fuit deceptus Scotus. Quarto ostēdetur quod rationes suæ non tangunt sensum b. Tho.

Circa primum aduerte quod Ant. And. in 2. metaphy. q. 3. per distinctionem seximembre declarauit mentē suam & Scoti. Quæ quidē distinctio talis est. Cognitiōis intellectiue sex sunt gradus. Prima est intuitiua, quæ dicitur notitia visionis, quæ est de obiecto presenti, vt præsens est in sua existentia, qualis est cognitio beatorū in patria, secunda est abstractiua, quæ est obiecti presentis in sua specie genita ab obiecto, quod potest esse absens in sua existentia, vt cum intelligo rosam absentem per speciem rosæ, tertia est cognitio obiecti oppositi obiecto primi modi, vt cum intelligo aliquod oppositū contrarie vel priuatiue obiecto intuitive viso, vt cum intelligo iniustitiam existentem in tyranno, vt opponitur iustitiæ existenti in rege vero, quarta est cognitio obiecti oppositi obiecto secundi modi, vt cum intelligo obliquum per speciem recti quinta est cognitio alicuius ex cōceptibus aggregatis, vt cum intelligo ali quid esse ens infinitū necessarium, sempiternum, sexta est per accidens, quando aliquid cognoscitur per speciem illius quod sibi accidit, vt quando cognoscitur substantia per speciem accidentis. Postea hæc distinctione dicit Ant. And. quod quidditas substantiarum separatarum, non intelligitur primo nec secundo modo, nec tertio, nec quarto, sed quinto & qualiter sexto, scilicet per effectus suos, cognoscitur enim per hoc quod multa apprehensa simili concipiuntur, quæ omnia simul nulli alij conueniunt, & iste est cōceptus aggregatus, puta de Deo, quod est ens finitum necessarium primum & c. quæ omnia simul accepta nulli conueniunt nisi Deo, & sic de alijs intelligentiis. Hæc est mens Scoti & Ant. And.

Circa secundū aduerte, quod cum Scotus & Ant. And. reneat substantia separatam non cognosci nisi 1. & 6. modo, & in doctrina b. Tho. cōcedatur idem, & primo de cōceptu aggregato,

ve declarauimus in 1. lib. in q. 9. secundo de effectibus in ad-
quatis, vt manifestabitur in lib. 12. vbi ex motu æterno inue-
stigatur substantia, mouens æterna, constat quod non est dissen-
sio nisi in terminis, eo quod Scotus vult cognitionem quinti
& sexti modi esse quidditatiuam. b. autem Tho. non vult, nisi
sic primo aut secundo modo.

Circa tertium aduerte quod Scotus fuit deceptus, in eo quod
non distinguit inter cognoscere quidditatiue, & cognoscere
quidditates, & tamẽ multũ refert. Nam cognoscere quiddita-
tes, est per aliquẽ conceptũ, vel effectũ attingere quidditates
quod contingit per quintũ & sextum modũ assignatũ ab Ant.
And. cognoscere autẽ quidditatiue est tantũ illis tribus modis,
quos assignauimus in principio quaestionis. Vnde bene cõclu-
dit Scotus, quod cognoscimus quidditates substantiarũ separa-
tarum, non tamẽ quidditatiue, vel quãtũ ad quod quid est. Pro-
pterea bene cõcludit b. Tho. exponẽs præsentẽ tex. dicit enim,
Impossibile est vt anima humana vnita huic corpori apprehẽ-
dat substantias separatas, cognoscẽdo de eis q. quid est, hæc ille.
Quod si inuenis b. Tho. dicentẽ, quod anima vnita corpori
per hæc materialia non potest tantũ eleuari, quod cognoscat
quidditates substantiarum immaterialium, intelliges per co-
gnitionem quidditarum, cognitionem quidditatiuam.

Circa quartum aduerte quod Ant. And. in 2. metaph. q. 3. ar-
guit multipliciter nitẽs probare, quod cognoscimus separata
quidditatiue, quæ nolo hic recitare, nec soluere, quoniã si bene
aduertes, cognosces quod concludunt, nos cognoscere eorum
quidditates, non autẽ quidditatiue, nec quantũ ad quod quid
est. Si tamen vis sigillatim eorum solutiones videre claras &
Thomisticas, quere cap. in 1. di. 2. q. 7. cõtra sextã cõclusionem.
Illic recitat omnia sub nomine Scoti in 2. metaphisica.

Quantũ ad metẽ Cõm. clarum est ex 3. de anima Commen-
36. quod arbitratus est, nos posse intelligere ea quidditatiue,
& per se ipsa, & modum imaginatum ab ipso habes in dicto
cõm. quem nolo hic replicare, quoniã spectat ad quaestiones 3.
libri ad anima, & nos id pertractauimus in lec. nostra super
tractatum ad anima in 1. parte b. Tho. in q. 88. art. 1. vbi de-
clarauimus imaginationem Cõm. & sustinimus rationes
b. Tho. contra Iandu. defensantem Cõment. & soluimus ratio-
nes factas in fauorem Commentatoris.

Nunc intendimus pro negotio metaphisico reprobare Cõ-

mẽtorem quo ad expositionẽ præsentis tex. Aduerte igitur
quod in hoc 2. lib. in tex. 1. vbi dicit Arist. sicut nicticoracum
oculi &c. commentans Auer. inquit, & quia dispositio intel-
lectus de re intelligibili, est sicut dispositio sensus de re sensi-
bili, assimilauit virtutem intellectus in comprahendendo in-
tellecta abstracta à materia, modo debilitatissimo visus in
sentiendo, scilicet vespertilionis in non comprahendendo ma-
ximum sensibilem, scilicet solem. Sed hoc non demõstrat res
abstractas intelligere, esse impossibile nobis, sicut inspicere
solem est impossibile vespertioni, quoniã si ita esset, tunc
ociose egisset, quia fecit illud quod est in se naturaliter intel-
lectum, non intellectum ab alio, sicut si fecisset solem non
comprahensum ab aliquo visu. hæc comment. Contra quem
dupliciter arguit b. Tho. exponens, vt videre potes. Primo
quia cognitio nostri intellectus non est finis substantiarum
separatarum, aliter finis esset ignobilior his quæ sunt ad fi-
nem, non ergo sequitur quod sint frustra, si non cognoscantur
à nobis. Secundo quia & si non cognoscantur à nobis, cognos-
cantur tamen ab aliis intellectibus separatis, sicut licet sol
non videatur à vespertione, videtur tamen ab alio oculo.
Quare &c. & aduerte quod eandam improbationem appro-
bat Ant. And. in 2. metaph. q. 3. in responsione ad primum
argumentum.

Auerroista vero, & præcipue Iandu. in 2. metaph. q. 4. ni-
tentres defendere Commenta. dicunt nec b. Tho. nec Scotum
intellexisse virtutem rationis Commentato. laborans autem
Iandu. declarare & deducere eam inquit, Comment. non in-
tendit intellectum nostrum esse finem substantiarum in separa-
tarum, sed supponit duo, primo quod potentia actiua respi-
cit passiuam, eo quod non potest esse sine passiuam ex 5. metaph.
secundo quod intelligentiæ naturaliter sunt aptæ intelligi ab
intellectu nostro, eo quod continentur sub obiecto intellectus,
quod est ens, ex quo trahitur quod intelligentiæ comparantur
ad intellectũ nostrum, sicut motiuum ad passiuum, & per
consequens vt potẽtia actiua ad passiuam, & nisi potentia pas-
siua intellectus nostri reduceretur ad actum, recipiens cogni-
tionẽ substantiarum separatarum, esset frustra. Ex his sic deducit
responsionem Cõment. substantiæ sunt de se intelligibiles ab
intellectu nostro. Intellectus noster debet habere potentiam
receptiuam huius cognitionis, quæ potentia esset frustra,

SECUNDI METAPHY.

si non reciperet dictam cognitionem ex prius suppositis. ergo potest intelligere, & de facto intelligit substantias separatas. Sic deducit, & dicit quod cum Commen. dicit tunc ociose egresser &c. ly ociose, non debet exponi ex parte intelligentiarum, quasi quod fuissent factæ ociose si non intelliguntur à nobis: sed debet exponi ex parte nostri intellectus, quasi potètia nostri intellectus receptiua cognitionis substantiarum separatarum esset ociosa. si non posset reduci ad actum.

Sed hæc defensio nulla est, primo quia falsum est, q. substantiæ separate sint aptæ mouere intellectum nostrum coniunctum, nec est verum, q. contineantur sub obiecto proportionato. Illud enim non est ens. sed quidditas rei materialis, & sic patet, q. omnia sequentia sunt falsa, non enim separata comparatur ad intellectum nostrum vt motiui ad passiuum, nec e conuerso, nec intellectus noster coniunctus, est aptus recipere cognitionem quidditatiuam substantiæ separate. De hac enim nunc loquimur. Dico 2. ad deductionem, quod primum antecedens est falsum, assumit enim quod debet probare loquendo de intellectu coniuncto. Dico 3. quod non sequitur si potentia passiuua nostri intellectus non potest recipere cognitionem quidditatiuam separatorum pro isto statu, qd sit frustra, quoniam sufficit quod possit actuari pro isto statu, modo cognitionis sibi proportionatæ scilicet imperfecte, & quantum ad quia est. In alio autem statu, quantum ad quid est. Dico 4. quod extorquet sensum Commen. exponendo ly ociose. Patet enim ex verbis eius, quod ly ociose, se tenet ex parte intellecti, & non ex parte intelligentis. Dicit enim sic, quoniam fecisset illud quod est in se naturaliter intellectum, non intellectum ab alio &c.

Et aduerte q. Iacob. in eadē q. format plurima argumenta, quæ vanū esset adducere & soluere, quonia & si concludant, aliqualem cognitionem separatorum esse nobis possibilem pro hoc statu, non tamē quidditatiuam & perfectā, vt intendebat Commentator. Hæc de præsentī quæsto dicta sint.

Quæstio 4. Si ex textu philosophi, possumus habere esse plura principia improducta.

Quapropter semper existentium principia esse verissima necesse est, non enim quādoque vera, quādoque non vera, nec illis causa aliqua est vt sint, sed illa aliis. Text. 4.

Circ.

QVAESTIO III.

33

Circa hoc quæsitum aduerte quod hic non intendimus absolute querere, vtum omnia pendeant à primo non solum in genere causæ finalis, sed etiam in genere causæ efficiētis & vere productiuæ. De hoc enim formabimus particulare quæsitum, in lib. 12. Sed quia tenentes viam oppositam, vt cōmunitur Commen. qualis est Ian. in 2. metaph. 45 & Greg. de Ari. in 2. sen. dist. 1. q. inter cetera dicta philosophi, fundat se super præsentem tex. ideo intendo declarare, quod ex hoc text. non possunt concludere intentū suum. Tria igitur agenda sunt. Primum argumentandum est, quod hic tex. nõ fauet illis. Secundò exponendus est text. vera expositione, ne sit alicui causa erroris. Tertio soluetur dubium q. potest oriri ex expositione b. Tho.

Quantū ad primum sic arguitur, si Apud Arist. dantur plura principia, quæ non habent causam efficientem, neque productiuam secundum esse, sequitur contradictio in eodem contextu philosophi, nam immediate præmiserat dicens, vnum, quodque vero maxime ipsum dicitur aliorum &c. quod exponens Comment. de prima causa inquit. Omnia enim entia nõ acquirunt esse & veritatem, nisi ab ista causa. est igitur ens per se, & verum per se, & omnia alia sunt entia & vera per esse, & veritatem eius. nec valet glosa Gregorij de Arimino in 2. sen. dist. 1. q. 1. qui dicit quod Comment. intelligit acquirere esse in genere causæ finalis. non enim philosophus fecerat illic mentionem de causâ finali, sed de efficiente. alioquin exemplum de primo calido non fuisset conuenienter introductum ab Arist. Tunc sic. Hæc duo repugnant, quod omnia capiant esse ab vno primo, & quod sint aliqua plura, quibus non sit aliqua causa vt sint, sed illa aliis. Cum ergo non sit admittendum philosophum in eodem contextu subipsi conradicere, debemus exponere textum tali modo, quod contradictio non sequatur.

Quantum ad secundum, aduerte quod tripliciter potest exponi. Primum sic, Principia semper existentium, cum sint semper, non habent aliquam causam vt sint aliquo tempore, & aliquo non, sed illa sunt causa aliis, id est his inferioribus per motum celi, quæ cum sint generabilia, aliquando sunt, aliquando non sunt. Cum hoc tamen stat, quod recipiunt esse sempiternum à primo. Secundò sic, Principia semper existentium, id est intelligentiæ quæ sunt principia motiua corporum celestium, nõ habent causam vt sint, scilicet mobilia, vel quod moueantur,

e



sed sunt causa aliis, scilicet corpori celesti & his naturalibus, quod moueantur. Tertio sic, licet philosophus loquatur in plurali, tamen intelligit pro singulari, q. d. cum principium primum semper existentium, quales sunt intelligentia & corpora celestia, sit primum & maximum ens, non habet causam ut sit, id est a nullo pender, sed est causa aliis, quoniam dicit in libr. 12. quod ab hoc principio pender cælum & natura. & hanc tertiam expositionem videtur magis consona consuetudini Arist. Consequitur enim, dum loquitur de separatis, saepe transferre se à plurali ad singulare, & e converso, ut patet in libr. 12. in text. 29. & 30. ubi loquitur de substantia separata in singulari, probans quod datur substantia æterna semper mouens, in text. verò eodem transfert se ad plurale, probans omnes tales substantias esse sine materia. Deinde in text. 35. reuertitur ad singulare, & hoc ideo agebat, quoniam secundum dominum Herueu in 2. sen. dist. 15. loquebatur philosophus de omnibus separatis, tanquam de vno genere, parum distinguens inter ea, propter maximam elongationem à sensatis.

Quantum ad tertium aduerte, quod contra hanc tertiam expositionem, quam reputamus meliorem, videtur esse expositio b. Tho. Nam si philosophus sumit plurale pro singulari, quare b. Tho. exponit in plurali.

Respondeo, b. Tho. ut literalis expositor, noluit immutare textum philosophi, præcipue aduertens quod plurale potest saluari non repugnanter, non enim repugnat in genere separatoris inueniri aliquid, quod sit causa, ut sint alia ipsam tamen non habet causam ut sit. Repugnat autem id inueniri in genere materialium, unde patet quod aliqua propositio formata ex terminis in numero plurali est vera simpliciter: ut animalia sunt sensitiua, est enim vera pro omnibus, aliqua autem est vera non repugnanter, ut animalia sunt volantia, nã sub genere animalium non repugnat inueniri aliquid volatile. Sic est in proposito, Quare &c. Hæc pro presenti quesito dicta sunt. Abundantius autem dicturi sumus in libr. 12.

Questio 7. si est processus in infinitum in causis efficientibus.
At vero, quod sit principium quoddam, & non infinite causæ existentium. Text. 5.

Circa hanc questionem tria agenda sunt. Primo proponitur quedam distinctio. Secundo respondebitur per con-

elusiones. Tertio soluentur quedam dubia.

Quantum ad primum aduerte duas distinctiones. Prima est. Multitudo causarum efficientium est duplex, quedam est, in qua vna causa essentialiter dependet ab alia ratione causandi, quedam autem est, in qua vna non pender ab alia in causando, primæ dicuntur essentialiter subordinatae, secundæ autem accidentaliter. Inter quas triplex assignatur differentia. Prima est, quod in essentialiter ordinatis, inferior supponit superioris inesse, à qua ut causat, recipit virtutem causandi, ita quod nisi superior influeret in ea, nullo modo causare posset, hoc modo se habent baluus ad regem in politicis, & in naturalibus, Deus, intelligentia, cælum, homo generans. In accidentaliter autem ordinatis, non est necessaria talis suppositio. Nam licet vna possit dependere ab alia, quo ad esse, quia, scilicet vna est producta ab alia, puta Sortes à Platone: tamen non est necesse quod pendeat, quo ad causalitatem, potest enim Sortes generare remoto Platone, secunda est, quod omnes causæ subordinatæ essentialiter sunt diuersarum naturarum, quoniam vna est essentialiter perfectior altera, ut intelligentia, cælum, homo. Quar autem sunt accidentaliter ordinatæ, possunt esse eiusdem naturæ & perfectionis speciei, ut omnes homines generantes. Omnes malè in quantum pericuentes, tertia est. Omnes causæ subordinatæ, simul concurrunt & cooperantur ad effectum, aliter non seruaretur connexus causalitatis inter eas. Causæ autem accidentaliter subordinatæ, non necessario simul concurrunt, nam vna remota, alia potest causare, ut artifex destructo vno maleo, potest operari cum alio. Hæc est communis sententia omnium sapientum.

Tu tamen aduerte quod Landu. in 2. metaph. q. 6. arbitratu non esse necesse in causis essentialiter subordinatis, quod omnes simul cooperentur ad effectum, sed sufficit quod vna presupponat aliam simul operantem, vel iam operatam fuisse, & exemplificat de sensu & intellectu. Intellectus enim necessario supponit sensum, quoniam sua cognitio ortum habet à sensu, non tamen est necesse quod quoties intellectus intelligit, sensus operetur sed sufficit quod iam in actu fuerit, sicut patet, quod possum intelligere rosam in hyeme, quam tunc nullus sensus sentit.

Sed decipitur Landu, quoniam aliud est vnam causam supponere aliam in opere, vel in presenti, vel in preterito, & vnam essentialiter subordinari alteri, nam respectu primi stat, quod

SECVNDI METAPHY.

causa prior sine qua supponitur, sit imperfectior, nec dat virtutem posteriori, sed materiam subministrat, ut patet de nutritiva & generatiua, de arte subserviēte & architectonica. De sensu preparante obiectum intellectui. Respectu autem secundi ratiōis q̄ est velut instrumentum prioris. Instrumentum autem nō mouet nec operatur, nisi ut mouetur à principali agēte, & propterea necesse est in causis essentialiter subordinatis, hæc duo esse vera, causa prior insuit in posteriorē, & causa prior cooperatur posteriori. Nec valet exemplū de sensu & intellectu, quoniam non subordinantur essentialiter, cū sensus sit imperfectior, nec insuit virtutem intelligendi, immo est instrumentum intellectus. Relinquatur igitur imaginatio Ianduni, quā nec ratione probat.

Secunda distinctio, cause accidentiter ordinatæ possunt esse duobus modis. Primò q̄ omnes sint simul in rerum natura. Secundo quod non existant nisi continua & successiua generatione, quæ tamen tendit in infinitum.

Quantum ad secundum aduerte tres conclusiones. Prima est. In causis essentialiter ordinatis necessario est status. Huic omnes adherent, & licet multiplices adducant rationes, tamen euidentior est talis, si non est status, omnes causæ sunt mediæ, quia vnaquæque habet causam ante se, à qua accipit virtutē causandi. Si omnes sunt mediæ, tollitur omnis causalitas, quia media non causat à se, sed ut recipit à prima, vel immediate, vel tandem reductiue. Omnis ergo causalitas p̄det à prima. Sed si omnes sunt mediæ, nō datur prima: ergo remouetur omnis causalitas, quod est manifeste falsum. Et aduerte q̄ Auic. in lib. 8. suæ metaph. cap. 1. tenet eandem conclusionem, quā probat sicut & Arist. hic. Huic rationi potes addere aliam sic. In causis essentialiter subordinatis vna est prior alia & perfectior alia, scilicet quæ dat virtutem causandi, sed in nulla multitudine datur prius & perfectius, nisi in ordine ad vnum primum & perfectissimum, ergo si debet seruari multitudo causarum essentialiter subordinatarum, necesse est inter eas assignari primam & perfectissimam, & sic erit status.

Secunda conclusio. In causis accidentaliter ordinatis simul existentibus, non est processus in infinitum. probatur. cum ex 3. phisic. impossibile sit dari infinitum in actu, necesse est om-

QVAESTIO V.

nem multitudinem causarum simul existentium esse finitam, ex consequenti in ea dari duo extrema, inter quæ repugnat posse dari processus in infinitum.

Tertia conclusio. In causis accidentaliter ordinatis, quarum vna succedit alteri. Si generatio est æterna, est processus in infinitum. probatur. Si generatio est æterna, infiniti homines geniti sunt, ergo & infiniti generantes fuerunt, ergo nō tot quin plures, ergo non est deuenire ad primum, ergo non est in illis status. præterea si generatio est æterna, infinite reuolutiones cœli fuerunt, quæ sunt causæ horum generabilium, ex consequenti non est assignabilis prima: ergo &c.

Quantum ad tertium aduerte, quod omnia argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam contra determinatam, nihil concludunt contra primam conclusionem, & præcipue diuisio continui, quæ tendit in infinitum, & multiplicatio in numeris. Nam necesse est omnes causas essentialiter subordinatas esse actu simul, & posteriorem accipere virtutem à priori. Istæ autem conditiones non seruantur in diuisione cōtinui, & in multiplicatione numerorum, ut patet.

Et propterea, hæc consequentia, non valet. Est processus in infinitum in diuisione continui, & in multiplicatione numerorum, ergo & in causis efficientibus essentialiter subordinatis.

Tu inter omnia aduerte argumentum quod solet fieri contra secundam conclusionem. Nam si generatio est æterna, & anima humana est perpetua, & est forma hominis secundum esse, & plurificata ut plurificantur homines, videtur impossibile euadere, quin sit processus in infinitum in causis accidentaliter ordinatis simul existentibus, & si non secundum totum, tamen secundum nobiliorem partem, quæ est anima, & quæ fuit principium operandi in quolibet homine genito.

Respondeo. Hoc argumentum de infinitate animarum, pertractabitur à nobis in lib. 12. quādo inuestigabitur si mundus est vel potuit esse æternus. Pro nunc concedo stante generatione æterna quod secundum Arist. animæ sunt infinite ex parte vnius extremi, ex consequenti est processus in infinitum in causis accidentaliter ordinatis, simul existentibus immaterialibus, & carentibus situ, nec id est contra secundam conclusionem, quoniam illa debet intelligi de causis corporeis habentibus situm.

Nec in 3. phisic. probauit Arist. esse impossibile dari infinitum

ad u, nisi in infinito quantitativo, ut sustinebimus in libr. 11. Et aduerte quod hic loquor de mente Arist. & non de mente h. Tho. quoniam in 1. parte. q. 7. arti. 4. negat absolute cōtra Avicē. posse dari multitudinem infinitam actu. Quid autem responderet ad argumentum de infinitate animarum, declarabitur in lib. 11. Hæc de præfenti quæstio dicta sint.

Quæstio 6. si est processus in infinitum in causis materialibus.

Utrouque autem modo impossibile est in infinitum ire. Tex. 7. Circa hanc q. aduerte quod cum in generatione substantia li, materia prima sit subiectum, quæ secundum se est vna, & sola, quantitate diuiditur, clarum est non esse processum in infinitum in causa materiali prima, verum quia in omni generatione, ut manifestatur in lib. 9. vltra primam materiam assignatur materia proxima, ex qua res fit, ut ignis ex aere, aer ex aqua, &c. & similiter in mixtis, eo quod ex 2. de anima vniū cuiusq. actus sit in propria materia, ideo potest esse dubium, si est processus in infinitum in causis materialibus proximis, & quidem philosophus in præfenti textu cito se expedit, concludens & probans pro parte negativa, verum quia idem iudicium est esse processum in infinitum in causis materialibus proximis, & generationem tendere in infinitum, ideo ut præfens quæstio plene resoluat, videndum est, si generationes rerum corruptibilium tendunt in infinitum, vel non.

Pro cuius resolutione tria agenda sunt. Primo preponitur quadam distinctiones. Secundo cōclusiones responsiū. Tertio foluentur quadam dubia.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio. Generatio potest dici tendere in infinitum dupliciter. Primo secundum speciem, ut scilicet post vnam speciem generetur alia, & post illam alia, & sic in infinitum. Secundo secundum indiuidua eiusdem speciei, puta in specie humana post Sortem generatur Plato, & post illum alius, & sic in infinitum. Secunda sit hæc. Generatio siue secundum speciem, siue secundum indiuiduum, potest imaginari fieri dupliciter. Primo secundum rectum, id est, quod post vnum generetur aliud in infinitum, & nunquam fiat reuersio ad prius genitum iterum generandum. Secundo secundum circuitum, id est, quod post vnum generetur aliud in infinitum, ita tamen, quod fiat reuersio ad speciem prius genitam iterum generandam per consimilia indiuidua, vel ad indiuiduum prius genitum & corruptam de nouo generandam.

Quantum ad secundum aduerte quatuor conclusiones responsiuas.

Prima conclusio. stante generatione æterna. In generatione secundum speciem non est processus in infinitum secundum rectum, sed secundum circuitum. Prima pars sic probatur, si esset processus in infinitum secundum rectum, species rerum generabilium nõ essent in numero certo, ex cōsequenti non daretur prima & vltima, qd est falsum. cōsequētia patet, quoniam si daretur prima & vltima, esset status in rectum, postquã genita esset vltima, cum post vltimam non decur vltior generanda, falsitas autem cōsequētis probatur, quoniam si in huiusmodi naturis specificis non datur prima & vltima, cum vna sit perfectior altera essentialiter, quæcunque assignetur puta formica, habet supra se infinitas perfectiones specificas, cum secundum te non sit deuenire ad primam, hoc autem est impossibile, quoniam cum tota multitudo specierum generabilium, sub determinatis generibus contineatur, necesse est, ut dicat limitatam perfectionem: ergo &c.

Secunda pars euidentis est, supposito quod sic generatio æterna, nam dato casu, quod hodie sit genita infinita species, puta in elementis sit terra, si debet continuari generatio inter elementa, cum post terram non sit aliud inferius elementum, necesse est fieri regressum ad generationem alterius elementi, puta quod ex terra generetur aer.

Secunda cōclusio. In generatione indiuiduorum sub eadem specie, si generatio est æterna, non est processus in infinitum secundum circuitum, sed secundum rectum. Prima pars probatur, si esset processus secundum circuitum, ergo idem numero prius corruptum, iterum generaretur, quod est impossibile, ut habent in 2. lib. de generatione, in textu vltimo, & id esse penitus impossibile agenti naturali, nos manifestauimus in eodem lib. in quæstione vlti. 2. pars euidentis est, quoniam hæc duo repugnant. Generatio hominis est æterna, & generatur vltimum indiuiduum sub specie humana, vltra quod non generatur aliud.

Tertia conclusio. In causis materialibus proximis, secundum generationem æternam indiuiduorum, sub eadem specie in rectum est processus in infinitum, probatur, si generatio indiuiduorum eiusdem speciei est æterna, est processus in infinitum in formis indiuidualibus, quoniam quilibet signata generatio

terminatur ad singularem formam, si est processus in infinitum in formis individualibus, est etiam processus in proximis, & propriis materiis, quoniam ex 2. de anima tex. 27. vniuersusque actus in propria materia aptus est fieri, ex hoc tamen nullum sequitur inconueniens, sicut nec ex processu in infinitum causarum efficientium accidentaliter ordinarum, non simul existentium, nam sicut individua eiusdem speciei tendentia in infinitum, si mundus est aeternus, non sunt omnia simul actu, sic nec eorum forma, nec eorum propria materia, sed successiue ponuntur, sicut successiue generantur individua.

Quarta conclusio. In causis materialibus propriis secundum generationem speciei, non est processus in infinitum, probatur cum species generabilium ut dictum est in prima conclusione, sunt in numero determinato, datur prima & vltima, ergo datur prima materia proxima primae speciei, puta ignis, & vltima materia proxima vltimae speciei, puta terra. Sed prima & vltima repugnat processu in infinitum, ergo &c. & aduerte quod intentio philosophi negantis processum in infinitum in causis materialibus, est loqui ad sensum huius quartae conclusionis, sicut & manifeste inuenit in tex. 7. vbi pro fundamento habet, quod inter generabilia & corruptibilia fit reflexio, nam ex igne generatur aer, ex aere aqua, & e conuerso, & hoc iuxta secundum modum illic assignatum ab Aristotele, quo vnum fit ex alio, ut declarauimus in nostro epitomate in secundo li. Metaphysice.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta, quae videntur habere aliqualem apparenciam contra determinata.

Primum est, non datur materia proxima alicuius speciei, nec alicuius individui, sine quantitate continua, aliter esset indistincta a materia cuiuscunque alterius speciei, siue individui, sed in quantitate continua est processus secundum diuisionem in infinitum, cum sit diuisibilis in infinitum, ergo & in materia est processus secundum diuisionem in infinitum.

Respondeo. Hoc argumentum primo peccat in minori, licet enim quantitas continua sit diuisibilis in infinitum, non tamen ut est in materia proxima naturali, quoniam ut probauimus in 1. physic. datur maximum & minimum in naturalibus, secundo dico, quod concludit pro tertia conclusione, si quid concludit, nec ex hoc sequitur aliquid inconueniens, quoniam huiusmodi processus in infinitum secundum diuisionem, non

ponit omnes partes simul existentes actu.

Secundum est. In quolibet infinito est processus in infinitum, quoniam infinitum est in quo est accipere partem post partem, in infinitum, ex 3. physic. Sed materia est infinita secundum philosophum in hoc 2. li. in tex. 12. ergo in materia, & per consequens in causa materiali est processus in infinitum.

Respondeo. Maior non est vera, nisi de infinito quantitativo, vel perfectionali, ut si esset corpus infinitum, vel calor infinitus, & quoniam materia non est infinita quantitativa, nec perfectionaliter, sed tantum negatiue ad hunc sensum, quod ex se non habet aliquod esse determinatum, cum non habeat aliquam determinatam formam, ideo argumentum nihil concludit. Haec de praesenti quaestione dicta sunt.

Quaestio 7. si est processus in infinitum in causis formalibus.

Sed nec quod quid erat esse, conuenit reduci ad aliquam definitionem multiplicationem rationem. Text. 10.

Contra hanc quaestionem aduerte quod solet sub duplici titulo tractari. Primo si est processus in infinitum in causis formalibus, id est, in formis & naturis specificis, ita quod ultra quamcumque speciem productam, produci possint aliae sine fine, & meo iudicio non est hic locus talis quaestioni, sed potius in 3. physic. vbi quaerendum est, an detur infinitum, secundum multitudinem, & apud theologum in 1. sen. di. 43. quae solet, si Deus producere potest species rerum in infinitum, secundo solet moueri sub tali titulo, si est processus in infinitum in causis formalibus, ascendendo a minus communi ad magis commune, sine fine, in linea praedicamentali quae solent esse partes definitionis, & haec videtur esse mens philosophi in praesenti loco, ut patet in tex. 11. qui iudicat idem esse iudicium de processu praedicatorum essentialium in infinitum, & de processu causarum formalium. Ponens autem statum in praedicatorum essentialibus, ponit statum in causis formalibus, vnde Commentarius in commento. 10. inquit si apparuerit quod natura definitionum sit finita, id est, quod consistat ex finitis praedicatorum quidditativis, necessarium erit ut ita sit informis. Pro determinatione igitur praesentis quaestioni, duo agenda sunt. Primum probandum est, quod sit status in praedicatorum quidditativis in linea praedamentali ascendendo & descendendo, ex consequenti

SECVNDI METAPHY.

in causis formalibus. vnumquodque enim prædicatum essentialiale, ab aliqua forma sumitur. Secundo, solentur quædam dubia.

Quantū ad primū aduerte q̄ philosophus in textu probat propositū, quatuor rationibus, quas iam formauimus in nostro epit. in 2. metaph. & ne fiat inutilis repetitio, vide tu illic.

Quantum ad secundum, aduerte tria dubia, quæ videntur pugnare contra determinationem præsentem.

Primum est, si idem est procedere in infinitum in prædicatis essentialibus, & in formis: ergo videtur quod in eodē multiplicentur formæ, sicut multiplicantur prædicata essentialia, ex consequenti in homine tot sunt formæ, quot prædicata generica, & differentie verificantur de eo, quod tamen in via nostra non est concedendum, quoniam tenemus tantum vnā formam in vno composito.

Respondeo Iandunus in 2. metaph. q. 9. credit hoc argumentum concludere. & dicit q̄ si formæ generica, puta, corporeū animatum sensitiuum, & forma differentia, puta rationale nõ differret realiter, demonstratio Arist. nõ valeret. probat enim finitatem in diuersis formis, per finitatem in diuersis prædicatis diffinitiuis. Et confirmat propositum suum per Comment. & Linconien. Dicit enim Comment. in 2. phisic. Comment. 28. quod genus dicit formam magis generalem, & differentia formam magis specialem, & Linconien. dicit in 1. post. quod genus est forma materialis, vel materia formalis. Sed si tex. philosophi bene consideretur, non potest Iandunus ex eo concludere interum suum. Vnde aduerte quod dupliciter exponitur, primo à b. Tho. exponente, & intendit quod est verum, diuersa prædicata quidditatiua sumi à diuersis formis, non quæ sint in eodem diffinito cum vna forma possit largiri multos gradus essendi eidem composito, vt patet de anima humana, quæ dat esse corporeum, vegetabile, sensitiuum, intellectuale, sed quæ inueniuntur separatim in rerum natura: est enim aliqua forma, quæ non est forma corporis, vt intelligentia vel intellectus, & ab ea sumitur hoc prædicatum incorporeum, & est alia forma, quæ est forma corporis, sed non animati, & ab ea sumitur hoc prædicatum corporeum, & est alia forma, quæ est forma corporis animati, sed non sensitiui, & ab ea sumitur animatum, siue vegetatiuum, & sic desoende vsq; ad specialissima.

QVAESTIO VII.

38

Secundo exponitur à Gregorio de Arimino in 2. sent. dist. 16. & 17. q. 2. ad quartum, qui vult dictū philosophi debere intelligi sub hac conditionali, si est procedere in infinitum in formis, est etiā procedere in infinitum in prædicatis quidditatiuis & diffinitiuis, eo quod à qualibet forma sumitur aliquid prædicatum quidditatiuū. Sed non est processus in infinitum in prædicatis quidditatiuis, aliter non completeretur diffinitio, & omnis scientia destrueretur, vt probat philosophus in textu. Cum hoc tamen stat, quod non multiplicantur formæ in eodem, secundum multiplicationē prædicatorū quidditatiuorū, eo quod ab eadē forma, possūt sumi multa huiusmodi prædicata, prout dat diuersos gradus essendi, sicut patet de anima intellectiua, à quā sumitur, animatū sensitiuum, rationale, & hanc expositionem per conditionalem videtur innuere Cōm. in hoc 2. lib. Cōm. 10. cum dicit. Quod si apparuerit, quod natura diffinitiuum sit finita, necessario erit vt ita sit de formis. Ex his patet, consequentiam factam à Ianduno nihil valere, stat enim quod per finitatem prædicatorū quidditatiuorū demonstrat philosophus finitatem informis, & quod diuersa prædicata sumantur à diuersis formis, non tamen quodlibet prædicatum à distincta forma, præcipue quando vna forma dat eidem multos gradus essendi. Ad dictum Cōment. in 2. phisic. dico quod sic debet intelligi, genus dicit formam generalem, id est sumitur à forma, vt dat gradum essendi magis cōmunem. Differentia autem dicit formam magis specialem, id est, sumitur ab illa forma, vt dat gradum essendi, minus cōm. Puta ab anima humana, vt dat esse sensitiuum, sumitur animal, vt dat esse intellectiuum, sumitur rationale. Ad dictum Linconien. dico quod per formam materialem, intendit formam vt dat esse genericum, vt quoddam imperfectum & potentiale, sicut enim materia perficitur per formam, sic esse genericum perficitur & determinatur per esse specificum, & tamē vtrunque esse est ab eadem forma. Quare &c.

Secundum dubium est, quia stante finitate prædicatorum diffinitiuorum, adhuc potest probari processus in infinitum in formis, nam sumpta specie humana, & supposito quod generatio sit æterna, constat quod indiuidua humana procedunt in infinitum, ergo & materia sua propria, & forma sua, quæ est anima humana, quæ secundū viam nostrā est forma dans esse.

Respondeo. Non est intentio philosophi in hoc loco, negare

processum in infinitum in formis individualibus, sicut nec negare processum in infinitum in causis efficientibus eiusdem speciei, stante generatione eterna, sed intendit de formis, quarum una est superior ad alteram, sicut forma corporis, anima vegetativa, anima sensitiva &c. nam huiusmodi formae videtur esse per se ordinatae secundum magis commune, ex consequenti necessario est denegare ad primam. Argumentum igitur nihil concludit contra determinationem factam.

Tertium dubium est. Quia in numeris est processus in infinitum per appositionem, sicut in continuo per diuisionem, siue subtractionem ex 3. phys. tex. 34. sed numeri sunt formae, ut communiter teetur ergo &c.

Respondeo. Landinus in 2. metaph. q. 9. ut soluet hoc argumentum, dixit omnes numeros esse eiusdem speciei specialissime, & distingui solo numero ab invicem, sicut linea maior & linea minor distinguuntur solo numero, & sicut est processus in infinitum in formis individualibus eiusdem speciei, stante generatione eterna, ita non inconuenit, in numeris esse processum in infinitum. Quod autem omnes numeri sint eiusdem speciei, Landinus declarat, per Com. in 8. lib. metaph. Com. 10. vbi Com. dicit. Quod aliquid quando alicui numero additur unum, aut ab eo diminuitur unum, transfertur ad aliam naturam numeri &c. Sed si Landinus recte considerasset, hoc dictum est contra seipsum, nam si numerus aliquo addito, puta duo, transfertur ad aliam naturam, puta ad tria, necesse est, duo & tria esse distincta speciei, nam quae sunt eiusdem speciei, sunt eiusdem naturae, & non alterius, & alterius. Dicitur enim duo individua distingui materia, cum tamen sint eiusdem naturae formaliter, & praeterea in lib. 8. quando quaeretur de forma numeri, manifestabitur distinctio specifica inter numeros. Respondeo ergo aliter, & concedo numerus esse formas, & differre speciei, & in eis esse processum in infinitum. Sed nego hanc consequentiam, ergo in causis formalibus, quarum una est superior ad alteram, & a quibus sumuntur praedicata quidditativa diffinitiva, est processus in infinitum. Nam ut dicimus in questione, in hoc sensu proprie loquitur Arist. & si dicas, quod in per se ordinatis non est processus in infinitum, numeri autem videtur per se ordinati, quoniam consequenter se habent: ergo &c. Dico quod per se ordinatae sunt in triplici differentia. Quaedam sunt per se ordinatae secundum causalitatem, de qui-

bus pertractauimus in quinta questione huius libri. Quaedam sunt per se ordinatae, secundum perfectionem, eo quod non sunt reperibilia duo aequalis perfectionis formaliter, sed sequens excedit praecedens in aliquo gradu perfectionis essentialis, quo modo se habent species vniuersi. Quaedam sunt per se ordinatae, secundum prius & posterius, ut patet in numeris, & in figuris, & in partibus temporis. Modo dico quod illa propositio. In per se ordinatis non est processus in infinitum, non verificatur vniuersaliter, nisi in primo sensu, nam non est negandus omnibus modis processus in infinitum, in numeris, nec in figuris, nec in partibus temporis. In istis enim non est ordo secundum magis & minus commune, in linea praedicamentali, secundum quem supra negauimus ad mentem philosophi processum in infinitum, in causis formalibus. Haec de praesenti quaesito dicta sunt.

Non est autem necesse querere, si sit processus in infinitum in causis finalibus, quoniam cum finis habeat rationem vltimi, quicumque concedunt causam finalem, coacti sunt, statim negare processum in infinitum. Vltimum enim repugnat infinito.

Expliciunt quaestiones super secundum librum metaphy. Frat. Chrysostomi Iauelli Canapicij, ordin. praedicato.

Incipiunt quaestiones eiusdem super tertium librum metaphysicaz.

Quoniam tertius liber est, disputauimus, & nos in nostro epitomate formauimus, dubia illic mota ab Arist. & argumentati sumus ad partes in quolibet dubio per rationes philosophi, & determinauimus quid tenendum in via Arist. & solimus rationes adductas, quae soluedae erant. Nunc tantum tria supersunt dubia, quae in praesenti discutienda sunt.

- 1 Si in mathematicis est causa efficiens & finalis.
- 2 Si genus praedicat de sua differentia praedicatione per se.
- 3 Si propositio per se, conuertitur in propositionem per se.

QVAESTIO PRIMA.

Si in mathematicis est causa efficiens, & finalis.

VNDE IN MATHEMATICIS PER hanc, nihil ostenditur causam scilicet efficientem & finalem. Text. 3.



IRCA hanc questionem aduerte, quod Ant. And. in 3. lib. metaphy. q. 1. pertrahens hoc quæstum præponit plures distinctiones, ex quibus multas elicit conclusiones, ac si propositio philosophi multis indigeret limitationibus, vt possit verificari. Sed considerata intentione philosophi, propositio sua, vnica distinctione fiet euident. vt igitur quæstum resoluatur, tria agemus. Primo ponitur vnica distinctio. Secundo due conclusiones. Tertio soluentur quedam dubia.

Quantum ad primum aduerte quod mathematica dupliciter considerari possunt, primo vt res sunt, sine separata secundum esse à materia sensibili, more pithagoricorum, siue ponantur existentes in rebus naturalibus, vt termini earum, secundo vt sunt subiectum scientiæ mathematicæ, in qua considerantur secundum suam rationem formalem, vt linea in quantum est longitudo, sine latitudine, & circulus est figura, in qua principium & finis idem sunt &c.

Quantum ad secundum aduerte duas conclusiones, prima est. Mathematica iuxta primum membrum distinctionis habent efficiens, & bonum, & finem, efficiens quidem, quoniam producens lapidem, producit consequentes figuram, superficiei, corporeitate, vt vnitatem quantitatiuam lapidis, bonum autem, quoniam vt sic, sunt entia realia actu perfectiua rei naturalis, ergo bona, finem vero, quoniam producuntur vt distinguant, & terminent & compleant res naturales quibus insunt. Sed aduerte, quod in hoc sensu non consideratur hic à philosopho. Talis enim consideratio est physici, vnde Arist. dixit in 2. phys. quod physicus considerat mathematica, vt terminos rerum naturalium. Secunda conclusio, in mathematicis consideratis, iuxta secundum membrum distinctionis, non est efficiens, nec bonum,

nec finis. Quoniam cum abstrahant vt sic à materia sensibili secundum rationem, & per consequens à motu physico, abstrahunt etiam ab efficiente physico, quod est principium, vnde motus, ex 2. phys. Dixi notiter à motu physico, vt non excludam motum discursiuum intellectus, à principiis ad conclusionem. Hoc enim vtuntur omnes scientiæ, & principium mathematicum est causa efficiens notitiae conclusionis. Quod autem in eis sic consideratis, non sit bonum, nec finis, patet ex hoc, quod abstrahunt à motu. Quodlibet enim bonum physicum, similiter & finis acquirunt per motum, vnde habent rationem termini motus, vbi erga non est motus, non est efficiens physicum, nec bonum physicum, nec finis physicus, sed in mathematicis, vt considerantur à mathematico, non est motus, ergo &c. & aduerte quod sub hac intentione considerantur hic à philosopho. Quod patet ex eo quod inquit, vnde in mathematicis, per hanc nihil ostenditur causam, per ly ostenditur intendit, prout considerantur à mathematico, non enim considerat si triangulus est melior quadrato, nec in qua materia, nec à quo, nec propter quid sit triangulus, sed considerat solam rationem eius formalem, per quam demonstrat passionem eius, secundum esse quidditatum & non alia ratione.

Quantum ad tertium, aduerte duo dubia, contra prædictam determinationem. Primum est, quia dicit philosophus in immobilibus non esse motum, nec principium motus, id est mouens sine efficiens, nec boni naturæ, hæc autem videtur esse falsa, quoniam apud philosophum in intelligentiis & in prima causa, quæ dicitur entia immobilia est motus, quoniam mouent corpora celestia, & est finis, quoniam non per accidens, sed ex intentione mouent, aliter non essent prima mouentia, & per consequens in eis bonum, quoniam finis & appetibile & bonum idem esse videntur. Quod autem in eis sit efficiens, patet quoniam sunt prima agentia, & prima productiua rerum inferiorum, per motum coolitergo &c.

Respondeo dupliciter. Primo quod philosophus hic non loquitur absolute & vniuersaliter de immobilibus, sed de immobilibus mathematicis, vt patet per Commenta. ibidem in Comment. 3. vbi si inquit. In rebus immobilibus non debet quis querere causam mouentem, & intendebat mathematica, quoniam licet sint in re mota, tamen non mouentur, nisi accidentaliter hæc ille. Dico secundo quod etiam extendendo

TERTII METAPHY.

immobilia ad metaphysica, propositio philosophi potest esse vera, in hoc sensu, quod non est in eis motus subiective, nec terminative, sed tantum causative. Item non est in eis bonum, nec finis, qui, scilicet sit productus per motum, sicut producit fabricatur in libr. 12. intransmutabilia, inalterabilia & impassibilia sunt, & de tali bono, ac sine interit hic philosophus. Dicit enim, finis autem & cuius causa, actus cuiuslibet est finis. Sed actus omnis cum motu &c. Cum hoc tamen stat, quod intelligentie suo motu attingant finem iam preexistentem, id est primam causam, ut declarabitur in libr. 12. similiter non potest dici, quod intelligentie habeant proprie efficiens, quoniam efficiens proprie est illud, quod extrahit aliquid de potentia ad actum, & id proprie reperitur in naturalibus corruptibilibus quae esse in potentia prodeunt per transmutationem physicam in esse actu, cum hoc tamen stat, ut declarabitur in libro 12. quod habeant verum agens & verum produens, a quo sine motu acquirunt esse incorruptibile.

Secundum dubium est, quoniam dicit philosophus hic, quod in immobilibus scilicet mathematicis, sicut non contingit esse principium motus, sic nec aliquid esse autogaton, id est, ipsum bonum. Hoc autem videtur falsum, quoniam in eis sunt proportiones, & commensurationes, & ordo, & figurae, & haec omnia videntur esse bona. Unde & in libr. 12. Aristoteles constituit bonum intrinsecum univerti in ordine, sicut in exercitu, ergo &c.

Respondeo, ibi committitur fallacia accidentis, sic arguendo, scientia mathematica considerat proportiones, commensurationes, & ordines & figurarum, ac numerorum, & haec sunt bona, ergo considerat bona. Hoc inquit, non sequitur, quoniam licet in se sint bona, non tamen considerantur in mathematica, sub ratione boni, sed sub ratione entis, & in quantum sunt proprietates quantitatis continuae, aut discretae, unde Aristoteles in hoc 3. lib. in text. 3. inquit, Mathematicas vero nullam de bonis aut malis rationem facere. Haec de praesenti quaestio dicta sint.

Quaestio 2. si genus praedicatur de sua differentia praedicatione per se.

Impossibile autem praedicari, aut species generis de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus. Text. 10.

QVAESTIO II.

41

Circa hanc quaestionem tria agenda sunt. Primo pertractabitur opinio b. Thomae, cui concordat Antonius Andreas. Secundo pertractabitur opinio Iacobi, qui tenet oppositum. Tertio solvantur quaedam dubia.

Quantum ad primum adverte quod b. Thomas exponens textum praesentem, tenet partem negativam, & adducit unquam rationem, quae stat hoc, Genus non praedicatur de differentia primo modo per se, nec secundo modo, ergo non praedicatur per se. Constat enim quod non tertio nec quarto modo. Antecedens probatur. Genus non ponitur in definitione differentiae quoniam ex quarto topicorum, differentia non participat genus, ergo non praedicatur de differentia in primo modo per se, nec differentia ponitur in definitione generis, aliter in quocumque reperiretur genus, inveniatur & differentia, quod patet esse falsum, non enim in quocumque est animal, in eo est rationale, ergo genus non praedicatur in secundo modo per se de differentia. Est enim secundus modus per se, quando subiectum est de ratione praedicati. b. Thomas concordat Antonius Andreas in 3. metaph. q. 2. ubi inquit, Genus non praedicatur per se de differentia, quod patet per Avicennam in 5. metaph. dicentem, quod licet genus & differentia praedicentur de toto, id est de specie, non tamen significat totum per se, sed genus significat materiale, differentia autem formale, utrunque autem significat partem speciei, per modum totius, & sicut materiale est extra formale, sic conceptus generis est extra conceptum differentiae, patet ergo, quod non praedicatur per se primo modo de differentia.

Quod autem non praedicatur per se secundo modo, videtur omnibus clarum, constat enim genus non esse proprietatem, nec habere nomen proprietatis, respectu differentiae.

Tu tamen adverte, quod Aristoteles in 6. Topicorum, adducit aliam rationem, & stat in hoc, si animal genus praedicatur per se de differentia, ergo unum animal, puta homo, esset plura animalia, quod est falsum, consequentia probatur. Animal quod secundum se includitur in conceptu rationalis, aut est idem cum eo, quod includitur in conceptu speciei, aut non est idem, si idem, ergo est nugatio dicendo homo est animal rationale, nam si idem animal, quod praedicatur ut genus de homine, includitur diffinitive in rationabilis, idem bis inutiliter reperitur, si non est idem, habetur interitum, nam homo est animal, & est illud animal, quod includitur in rationali, & hoc.

non est idem cum primo: ergo idem homo erit multa animalia.

Quantum ad secundum aduerte quod Iandunus in 3. metaph. q. 12. tenet partem affirmatiuam & licet multipliciter arguatur hæc tamen est principalis ratio sua. Quod est animal per formam suam, est per se animal: Hæc est de mente philosophi in libro quinto, capitu. de per se, ubi ponit primum modum per se, esse quando aliquid est tale per suam formam. Sed rationale est animal per formam suam, non enim est animal per materiam suam, sed quia habet talem formam, puta animam sensitiuam, ad quam sequitur esse animal: ergo rationale per se, est animal, & sic genus per se prædicatur de differentiâ.

Sed quoniam philosophus in 3. metaph. & in 6. top. tenet oppositum, ideo ne videatur negare philosophum, dicit quod in 3. metaph. procedit mere disputatiue, & non determinatiue, ideo rationes sue non sunt conclusiue, & hoc innuit Comment. in 3. metaph. comment. i. ubi inquit, intedit in hoc tractatu inducere sermones disputatiuos, qui affirmant, & destruit idem in omnibus questionibus difficilibus huius scientiæ, hæc ille: Quod autem in topicis disputatiue procedat, patet, quoniam ex probabilibus, quæ non inferunt necessario alteram partem. Hæc est opinio Ianduni.

Sed ut rudis, laborat in æquiuoco, de ly per se. Est enim duplex, scilicet entitatiuâ, & prædicatiuâ, alij dicunt, logicum & metaphysicum, eo quod logicus prædicationes obseruat, metaphysicus autem quidditates, per se quidem prædicatiuâ est, quando prædicatum est de ratione subiecti, vel subiectum de ratione prædicati, per se autem entitatiuâ est, quando res de se, & secundum suam naturam talis est, sicut sol per se, est lucidus, luna autem nõ sed per alterum, & Deus per se bonus est, creata autem non per se, sed per alterum, unde ly per se, videtur coincidere cum secundum se, & per essentiam. Sed non inconuenit, aliquid esse per se, tale entitatiue, & non prædicatiue, ut hic, Deus est per se pater, eo quod paternitas diuina est essentia diuina, non tamen prædicatiue, vel formaliter est per se pater, quoniam prædicatum nõ est de ratione subiecti, nec e conuerso, cum se habeant ut absolutum & respectiuâ, sic in proposito. Hæc est per se entitatiue rationale est animal, non tamen prædicatiue propter rationem adductam a b. Tho.

Iandunus autem non distinguit inter per se entitatiue, & per se prædicatiue, credit enim omnem prædicationem sumptam à forma, esse per se prædicatiue. Quod non est, verum, nisi ly forma sumatur, pro: quod quid est, vel diffinitione, in quo sensu loquitur philosophus in libro 5. in capitu. de per se, inquit enim, vno quidem enim modo, secundum se, quod quid erat esse vnicuique, ut Calias, & quod quid erat esse Caliam, id est Calias, & diffinitio Calie sunt idem per se.

Tenemus ergo quod licet hæc sit idetica, rationale est animal, tamen non est per se formaliter & prædicatiue, & quantum ad hoc dicimus, quod philosophus non disputat in 3. metaph. sed determinate concludit, nec obstat dictu Comment. licet enim ut in plurius disputet, tamen non inconuenit, quod respectu alicuius conclusionis determinet, & assumat aliquas propositiones simpliciter veras, sicut in questione præcedenti visum est, quod in mathematicis non est efficiens, nec bonum, nec suu, &c.

Pro ratione autem adducta ex 6. topicorum, quam conatur Iandunus declarare, quod non valeat aliter per eadem rationem concluderetur, quod animatum non prædicatur de homine, nam cum prædicetur de animali, si prædicatur de homine, homo erit vnum animatum, & animal aliud animatum, & ratio philosophi concludit. Hoc autem est falsum, ergo ratio philosophi nõ concludit. Pro hac inquam ratione, dicere possumus duo. Primo quod conclusio sit de mente philosophi, scilicet Genus non prædicatur per se, de differentiâ, & ad hanc questionem aliqua ratio simpliciter vera adducitur, scilicet illa quæ h. b. Tho. adduxit. Alqua autem tantum probabilis & apparatus est, ut ista, quæ adducta est ex 6. topicorum. Non enim est necesse, omnem rationem pro conclusione adductam, simpliciter concludere. Dico 2. quod potest sustineri, rationem illam simpliciter concludere, & quando instat Iandunus, quod eadem ratione animatum nõ prædicatur de homine, aliter homo esset multa animalia, dico, quod quando prædicatur animal de homine, non prædicatur formaliter animatum de homine, vanum enim est dicere, homo est animatum animal, vel animal animatum eo quod in ly animal, includitur animatũ. Instantia ergo Ianduni nulla est.

Quantum ad tertium aduerte quod quædam sunt argumenta factis apparentia, contra determinationem factam.

TERTII METAPHY.

Primum est. Rationale per se, est homo, homo per se est animal, ergo rationale per se est animal. Tenet argumentum per regulam. Quando alterum de altero predicatur &c. Quod minus sit vera patet, quonia predicatum est de ratione subiecti. Quod autem maior sit per se, probatur. Hæc est per se homo est rationalis, ut patet: ergo hæc est per se. Rationale est homo. Tenet consequentia, quoniam sicut propositio necessaria conuertitur in necessariam, præcipue in terminis conuertibilibus, sic propositio per se, conuertitur in propositionem per se.

Respondeo, hic sunt duo modi respondendi, primus est Ant. And. in 3. metaph. q. 2. ad primum, ipse negat hæc similitudine. Sicut necessaria conuertitur in necessariam, sic per se, in per se, & ratio est, quoniam ad propositionem necessariam sufficit necessario connexio terminorum, dato quod vnum extremum non sit de ratione alterius. Ad per se autem predicatum & in primo modo, de quo loquimur, quando querimus, si genus predicatur per se de differentia, duo requiruntur, scilicet necessaria conexio terminorum, & quod predicatum sit de ratione subiecti. Constat autem quod dum hæc, homo est rationalis, conuertitur in istam, rationale est homo, secunda non est per se, primo modo, & ideo per se non conuertitur in per se, saltem respectu eiusdem modi, vtrum autem respectu diuersorum modorum dicemus in q. sequenti.

Secundus modus respondendi clarior, est iste. Qua ratione rationale per se est homo, eadem ratione, rationale per se est animal. Prima autem est per se entitatie, sive metaphyice, ut de clarauimus supra, & non est per se predicatiue, primo modo, de quo hic intendimus, sic ista ratione est animal, est per se eodem modo. Sed nihil concluditur contra determinationem, in qua intendimus de per se primo modo predicatiue.

Secundum est tale. Homo per se est animal. Homo per se est rationalis, ergo rationale per se est animal.

Respondeo negatur argu, quoniam ly per se in præmissis, tenetur predicatiue, in cõclusionem tenetur entitatie, & quonia non tenetur vniiformiter in præmissis & in cõclusionem, ideo negatur similis modus arguendi, & si dicas, quod in cõclusionem etiam tenetur predicatiue, nego, quoniam non est necesse extrema comparata ad medium, habere eandem habitudinem, quam habent, quando comparantur adinuicem, & econuerso, ut patet hic. Homo necessario est animal. Homo neces-

QVAESTIO III 43

fario est substantia, ergo substantia necessario est animal, non sequitur, quonia potest esse substantia, remoto quocumque animali.

Tertium est tale, si genus non predicatur per se de differentia, ergo per accidens, quoniam non datur medium, sicut non datur medium inter ens per se, & ens per accidens. Tunc ultra ergo rationale & animal faciunt vnum per accidens, quod est falsum, constituunt enim speciem, que est vnum per se, contra vero probatur, quoniam ex 7. metaph. predicatio per accidens fit, quando accidens predicatur de subiecto, aut econuerso, aut accidens de accidente, sed in his omnibus fit vnum per accidens, ergo &c.

Respondeo, hic est duplex responsio, primo dicitur quod predicatio accidentalis fit duobus modis, primo quando alterum est vere accidens, & tunc semper fit vnum per accidens, secundo quando alterum non est vere accidens, sed est extra rationem alterius, ut motus est actio, & tunc non fit vnum per accidens, & talis predicatio est, quando predicatum licet sit eiusdem predimenti, cum subiecto, & sit idem re, tamen non est diffinitiuum subiecti, & hic modus predicationis seruatur inter genus, & differentia, & aduerte quod ibi semper loquimur de primo modo per se, & de modo accidentalis predicationis, opposito primo modo per se.

Secundo dicitur & breuius, quando predicatio est accidentalis, metaphyica, que requirit, quod extrema sint diuersorum predimitorum, sicut homo & musica fit vnum per accidens, quando autem predicatio est per se metaph. que est quando predicatum & subiectum sunt eiusdem predimenti, licet sit predicatio accidentalis, logica, non fit vnum per accidens, sic est in proposito, quoniam genus predicatur per se metaph. de differentia, non sequitur quod ex eis fiat vnum per accidens, & aduerte quod hæc responsio est magis resoluta, & per eam solues multa argumenta, si tu noueris bene applicare. Hæc de presenti quæsto dicta sint.

Quæstio. 3. si propositio per se, conuertitur in propositionem per se.

Circa hæc quæstionem aduerte quod proponitur propter responsionem datam primo argumento, præcedentis quæstionis. Diximus enim quod licet hæc sit per se entitatie & predicatiue, homo est rationalis, hæc tamen non est per se prædi-

causae, rationale est homo. Hæc responsio facit dubiū, & videt̃ q̃ tam cōuersa quā conuertēs sint per se secundū doctrinā philosophi in 1. poster. Illie enim vult philosophus, q̃ quādo prædicatum est de ratione subiecti, sic primus modus per se, quando autem subiectum est de ratione prædicari, sic secundus modus per se. Sed in ista, homo est rationalis, prædicatum est de ratione subiecti, & in ista, rationale est homo, subiectum est de ratione prædicari, ergo prima est in primo modo per se, & secunda in secundo, ex consequenti per se conuertitur in per se.

Hic inuenio duas opiniones, vnam affirmatiuam, quorundā Thomistarum, Isti dicunt, quod licet conuertens & conuersa, nō sint per se, respectu eiusdem modi, ne detur circulus in definitionibus: tamen non inconuenit, respectu diuersorum modorum scilicet primi & secundi, & suum principale fundamentum stat in ratione adducta ex doctrina philosophi in 1. poster. limitant tamen se dicentes, quod tunc solum cōuertitur pro se, in per se, quando subiectum & prædicatum sunt termini conuertibiles. vnde tenent quod hæc non est per se, animal est homo. hæc autem est per se, animal rationale est homo, & confirmant opinionem suam ex hoc, quod philosophi & præcipui doctores demonstrantes, vtuntur indifferentes conuersa & conuertente, vt propositionibus per se. Assumunt enim istā, omne intellectiuum est liberum, & suam conuertentem scilicet omne liberum est intellectiuum, & istam, omne necessarium est æternum, & e cōuerso, & istam, omne generabile est corruptibile, & e cōuerso, ergo signum est quod & conuersa & conuertens sunt per se, & sic patet, propositionem per se, cōuertere in propositionem per se, licet id non sit verum in omnibus, & ab hac scientia nō videtur dissentire Ant. And. in 3. metaph. q. 2. ad primum, dicit enim in fine responsionis, propositio ergo per se, non necessario conuertitur in per se. Quali dicat, licet contingat aliquam conuerti, non tamen est necessarium in omnibus, vt quando termini non sunt conuertibiles.

Alia opinio est quorundam Scotistarum, præcipue Antonij trōbete, in suis questionibus metaphysicalibus. Hic tenet partē negatiuā absolute, ita q̃ secundū ipsum, nulla propositio per se cōuertitur in per se, & fundat se super hoc, quod omnis propositio per se est illa, cuius prædicatum habet rationē formalem intrinsecā in hærentiā in subiecto. Quæcumq; autē nō dicit talē rationē formale, est propositio per accidens, & intendit

dicere q̃ omnis propositio per se, habet causam intrinsecā in subiecto, per quā prædicatū inest subiecto, & hoc fundamentū dicit esse de mēte Scoti in 3. sent. dist. 7. nec aliter probat. Tunc arguit sic. Cuiuscumq; propositionis prædicatū dependet à subiecto, quantū ad rationē formale in hærentiā intrinsecā in subiecto, subiectū ipsius nō potest cōmuni dependētia dependere à prædicato. Hæc videtur manifestare, qm̃ non datur circulus in dependētia in eodē genere causæ. Patet enim q̃ forma dependet à materia, in genere causæ materialis, materia vero nō dependet à forma, in eodē genere. sed in genere causæ formalis. Sed prædicatū propositionis per se dependet à subiecto, secundū rationē formale in hærentiā intrinsecā in subiecto, quā hæc est ratio propositionis per se, ergo e cōuerso subiectū nō potest dependere cōmuni dependētia à prædicato, ergo per se nō conuertitur in per se.

Sed hæc sua ratio nō est efficax, eo q̃ suū fundamentū nō est verum, nec positū ab Arist. Nō enim est necesse auctare nos, ad dependētia in genere causæ formalis tantū, sed sufficit prædicatum dependere à subiecto, vel in genere causæ formalis: vt in primo modo, vel in genere causæ materialis, siue effectiuæ, vt in secundo modo, subiectū enim causā est passionis siue vt materialis, & vt efficiens, vt dicemus alias, negamus igitur illam esse rationem siue descriptionem propositionis per se, quæ dicitur esse Scoti, & dicimus cum Arist. q̃ ad propositionē per se, sufficit prædicatum esse de ratione subiecti, vel e cōuerso.

Tenendum est ergo cum opinione prima in terminis conuertibilibus tantum, & quoniam genus & differentia non sunt conuertibilia, ideo hæc nō est per se, animal est rationale, immo nec necessaria, stat enim animal esse, & tamen rationale non esse, similiter hæc non est per se, rationale est animal, quoniam vt probauimus in q. præcedenti, nec prædicatum est de ratione subiecti, nec subiectum est de ratione prædicati.

Tu tamen aduerte, quod aliqui vt videantur quid noui excogitasse, concedunt secundum modum per se, conuerti in primum modum, vt ibi. Homo est risibilis, risibile est homo, prima est in secundo modo, secunda autem est in primo modo, quoniam prædicatū est de ratione subiecti: nolunt autem concedere, primum modum posse conuerti in secundum, eo quod prædicatum secundi modi, vel est passio, vel quid habens modum passionis. Sed constat quod diffinitum non est passio, nec induit modum passionis, cum non prædicetur in quale.

& propterea dicunt, quod hæc non est in secundo modo per se, animal rationale est homo, eo quod prædicatum non denominat, nec qualificat subiectum, & hæc opinio non videtur irrationabilis, verum quia hæc, animal rationale est homo, est necessaria, ex conexione terminorum, & in via Thomistica, omnis necessaria videtur esse per se, licet nõ apud Scotistas, ut visum est in q. precedenti, in responsione ad primũ, possumus dicere propositiones secundi modi per se, esse in duplici differentia. Quædam sunt, in quibus subiectum est de ratione prædicati, & prædicatum denominat subiectum, quale: ut ibi, homo est risibilis, & istæ sunt propriæ. Quædam autem sunt in quibus licet subiectum sit de ratione prædicati, tamẽ prædicatum nõ denominat subiectũ, quale: ut ibi, Animal rationale est homo, & istæ sunt improprie. Dicemus ergo, q. secundus modus conuertitur in primum propriæ, & primus in secundum, saltem improprie, & hoc sufficit. Hæc de præsentis quæsto dicta sint.

Explicunt quæstiones Frat. Chrysostomi Iuelli Canapicij ord. præd. in 3. lib. metaphysicæ.

Incipiunt quæstiones eiusdem, super 4. librum.
Super quartum librum occurrunt infra scripta
quæstia discutienda.

- 1 Si ens est uniuocum uel analogum.
- 2 Si ens habet ueras & proprias passionés.
- 3 Si passionés entis sunt idem cum ente.
- 4 Si passionés entis sunt conuertibiles cum ente.
- 5 Si ens prædicatur quidditatiue de passionibus suis, & de ultimis differentijs.
- 6 Quomodo ordinandæ sunt passionés entis, secundum prius & posterius.
- 7 Si unum transcendens, quod est passio entis, est idem cum uno, quod est principium numeri.
- 8 Si ratio unius transcendentis, & unius numeralis est formaliter positiua.
- 9 Quod sit principium cõplexum simpliciter primum.
- 10 Si tale principium est cognoscibile demonstratione uel cognitione sensitua.

QVAESTIO PRIMA.

Si ens est uniuocum, uel
ANALOGVM.

ENS MULTIS MODIS DICITVR, SED
ad unum &c. Text. 2.



IRCA hanc quæstionẽ aduerte primo quod Commenta. in hoc 4. lib. in commen. 2. expresse tenet, ipsum non esse uniuocum, nec æquiuocum, sed medium, ex consequenti analogum. sic enim inquit, uult declarare, q. hoc nomen ens, non est æquiuocum, si enim esset æquiuocum, non consideraret de eo, una ars, neque dicitur uniuoce, ut

animal de homine & de asino, sed est de nominibus, quæ dicuntur de rebus attributis eidem, & sunt media inter uniuoca & æquiuoca, hæc ille. Quare quid de hoc senserit Commen. nou est laborandum, nam & Commentista præcipue laudat in 4. lib. Metaphy. tenent, de mente Comment. ipsum non esse uniuocum sed analogum, similiter q. Scotus posuerit ipsum uniuocum, & quomodo scilicet metaphysicum, & non physicum, patet per Ant. And. in 4. lib. metaphy. q. 1. ubi declarat, quid sit uniuocatio physica, & logica, & metaphysica, similiter manifestum est, q. b. Tho. tenet ipsum esse analogum analogia, quæ est unius ad alterum, & non analogia, quæ est plurium ad unum, qualis est analogia huius nominis tantum, & hoc videre poteris in Capreolo in 1. dist. 2. q. 1. improbarione nonẽ conclusionis, & in responsionibus argumentorum, contra eandẽ conclusionem, & in Paulo Soncinatæ in 4. metaph. q. 4. & in Thoma Caietano, super de ente & essentia. Sed in his quæ prædicti scripserunt nolo referẽdo immorari, uide tu ad placitum, uolo autem pro huius quæsti euidentiã, agere quinque. primo, quid requiratur ad uniuocum reale, secundo quid ad uniuocum logicum, tertio ponẽtur aliquæ conclusiones responsiue, quarto ostendam quod opinio Scoti non discordat in re, ab opinione b. Tho. quinto soluentur argumenta Scoti, & maxime quæ uidebuntur repugnare contra determinationem, quam facturi sumus.

QUARTI METAPHY.

Quantum ad primum aduerte, q̄ æquiuocum reale requirit 4. condiciones. Primo q̄ dicat vnum conceptum, vt comparatur ad sua cōtenta, & predicatur de eis. Quod quidem dico, quoniam si aliquid commune dicat vnum conceptum quidditatum, vt se precise consideratur, vt sic non erit vniuocū formaliter, eo q̄ vt possumus elicere ex philosopho in antepredicamentis, vniuocum vniuocata respicit. Quod & declaratur per Simplicium super predicamēta, qui inquit, eiusmodi nomen scilicet vniuocum quidem, de rebus principaliter predicatur, & commune & proprium, vniuocum autem predicari, nō inest principaliter, sed per talem, vel talem communicatam rationem. Quare quando participantibus non solum nomen, sed & natura communis est, talis est vniuocus participationis modus. Ex his elicio, q̄ si consideretur animal precise in se, vt dicit vnum conceptū, antequam cōparetur ad sua inferiora, nō est vniuocū, nec æquiuocū nec analogū. Idem dico de ente, si in se precise consideretur, vt dicit vnum conceptum, puta, ens est, cui debetur esse & non cōparetur ad subiectum & accidens, ad Deum & creaturam, in illa prima & absoluta consideratione, non erit vniuocum nec analogum &c.

Sed dices, licet genus & species possint in seipsis considerari non respiciendo contenta, non tamen ens, quoniam secundum Commen. in 10. metaph. Commen. 8. ens significat. x. predicamenta immediata significatione.

Sed contra. De quolibet possumus considerare prius quod sit ens, quam quod sit tale ens, puta substantia vel accidens, ergo in illo priori ens dicit vnum conceptum antequam comparetur ad sua contenta.

Præterea, conceptus absolutus prior est conceptu relatiuo. Sed conceptus entis in se est absolutus, cum autem comparatur suis contentis, sic relatiuus, respicit enim inferiora, de quibus predicatur, ergo potest haberi de ente vnus conceptus, antequam comparetur suis inferioribus.

Præterea, si primum q̄ calid in nostro intellectu est ens, patet q̄ antequam sciam de aliquo, q̄ sit substantia vel accidens, prius scio q̄ est ens, nescire enim autem ipsum esse ens, nisi in illo priori, haberem conceptum entis.

Ad argumentum ergo dico quod hoc non est contra Commen. stat enim quod ens significet immediate, significato realiter x. predicamenta, & q̄ antequam comparem ipsum x. predi-

QVAESTIO I.

16

camenti, habes de ipso vnum conceptū cōmunissimū, quem pono, saluari in quolibet predicamēto, ex hoc autē nolo inferre, q̄ ille conceptus sit quid reale, prius omni realitate predicamētali. Sed q̄ iste est ordo in intellectu, vt prius cōcipiat ens cōmune in se, quā cōparet ipsum suis cōtenti, & in illo priori, vt dixi, non habet rationem vniuoci, nec analogi, eo quod consideratio in illo priori est absoluta, consideratio autem vniuoci vel analogi est respectiua, concernuntur enim inferiora, quibus nomen & ratio superioris communis attribuitur.

Secundo requiritur, quod vniuocū participetur à suis contentis, secundū vnā rationem, ita quod ratio illius communis in se considerati, antequam cōparetur suis contentis, quando attribuitur eis, seruetur eadem in omnibus suis contentis, & per hoc differt vniuocum ab æquiuoco, quod respicit contenta secundum diuersas rationes.

Tertio requiritur, quod illa ratio æque repræsentet omnia contenta, & sine ordine, puta quod ratio animalis quantum sit ex se, æque conueniat homini & leoni, ita quod in ratione animalis, vnum non sit prius nec perfectius altero, licet adinuicem cōparata, non inconueniat vnum esse prius vel perfectius altero, vt patet in speciebus numerorum. Sed hoc non impedit vniuocationem, aliter numerus non esset vniuocū, dictum de speciebus, nec animal dictū de homine & asino. constat enim hominē esse quid perfectius asino. Item q̄ repræsentet omnia de quibus dicitur sine ordine, puta quod nō repræsentet vnum vt tale respicit alterum. Hæc enim est propria ratio analogi.

Quarto requiritur, quod illa ratio æque cōueniat cōtenti, vt res sunt, & hoc dico, quoniam in vniuoco logico, hæc conditio non requiritur, vt dicemus infra. Declaro autem hanc cōdenationem sic. Ratio animalitatis conuenit homini, & leoni, vt res sunt, quoniam vterque vere naturam sensitivā æque autem conuenit, quoniam si Deus annihilaret naturā sensitivā in homine, non annihilaretur tota ratio animalitatis, adhuc eōdem saluaretur in leone, & e converso, & ideo animal est vniuocum. Si autem annihilato homine, tota ratio animalitatis destrueretur in leone & in aliis animalibus, non esset animal vniuocum, sed analogum.

Ex his ergo formo talē diffinitionē de propriissimo & reali vniuoco. Vniuocū reale est illud, q̄ vt cōparetur suis vniuocatis inquantū res sunt, participatur ab alijs secundū eandem rā-

tionem æque representant vnumquodque eorum, & sine ordine vnus ad alterum vt comparatur suo vniuoco.

Quantū ad secundū dico, quod ad vniuocū logicū requiritur, prima, & secunda, & tertia conditio, non autē quarta. Nam remota omni cōuenientia reali, & seruatō eodē modo prædicandi, adhuc stat vniuocatio logica, eo quod logicus non cōsiderat res, quo ad suas realitates, sed vt stāt sub intentionibus secundis, & quo ad modos prædicandi. Sic enim prædicabilia, & res prædicamētales cōsiderat. Et q̄ seruetur vniuocatio logica, sine cōuenientia reali, p̄batur, nā differētia prædicatur vniuoco de duabus differētiis specificis, & tamen cū sint primo diuersæ in nullo reali cōueniant, ex lib. 10. metaphy. Præterea. Qualitas prædicatur vniuoco de prima & tertia specie qualitatis, & tamen in nullo reali cōueniunt, eo q̄ in prima, locantur qualitates spirituales, in tertia autē sensibiles, quæ non comunicant cum illis. Præterea. Quantitas prædicatur vniuoco, de continua & discreta, & tamē in nullo reali cōueniunt. Patet ergo, quod quarta conditio non requiritur. Requiritur tamē tertia scilicet quod vniuocū logicū dicat vnū conceptū cōuenientem equaliter suis cōtētis, non tamē differētiis, quibus sua cōtenta abinuicē differūt. Nam cōceptus animalis cōuenit homini & leoni in primo modo per se, non autē rationali, & irrationali, quoniā, vt determinauimus in 3. lib. nec gen^o, nec cōceptus generis prædicatur per se primo modo de differētiis, & p̄pterea philosophus in 3. lib. cōclūdit ens non esse genus, & patet q̄ ibi loquitur logice, quoniā totū illū processum prosequitur modo logico, scilicet per prædicationem & modū prædicandi. Ex his igitur manifestum sit, quomodo differunt vniuocum reale, & vniuocum logicum. Quantū ad tertium, stantibus prædictis, aduerte quatuor conclusiones responsivas.

Prima est, ens in se præcise & absolute consideratum, dato quod haberet vnum conceptum, qui possit cōuenire omnibus suis contentis non est vniuocum nec equiuocū nec analogum: nam vniuocum non est, nec equiuocum, nec analogum, nisi vt comparatur suis cōtētis, secundum vnum aut plures conceptus, vt diximus supra. Hæc enim est prima conditio. Sed ens sic consideratum in illo priori, non comparatur suis contentis, prius enim considero ens, vt ens quàm ens vt substantia, vel accidens, ergo vt sic, non est vniuocum, nec equiuocum, nec analogum.

Secunda est, ens cōparatū substantiæ & accidenti vt res sunt non est vniuocū reale, nam cōceptus entis, licet cōueniat substantiæ & accidenti, vt res sunt, non tamē æque, & sine ordine cōuenit &c. sed gradatim descendit in eis, ergo non est vniuocum reale. consequentia patet ex conditionibus suprapositis de vniuoco reali. Antecedens probatur, annihilata tota entitate substantiæ, totū ens annihilatur, eo quod accidentia non sunt nisi entis, ex 7. metaphy. & in prædicamentis dicitur, q̄ destructis primis substantiis, impossibile est aliquid remanere, si vero annihilatur tota entitas accidentiū, non repugnat quin remaneat substantia, eo quod est ens simpliciter, & est prior accidente, ergo conceptus entis non æque cōuenit substantiæ & accidenti, sed primo gradu descendit in substantia, secundo gradu in generibus accidentiū, in quibus etiam gradualiter descendit, quoniā primo in quantitate, secundo in qualitate, tertio in ad aliquid, &c. Cum ergo ista gradualitas non stet cum vniuocatis, vt respiciunt commune vniuocum, sequitur quod ens non est vniuocum reale.

Nec valet dictum Aur. And. in 4. metaph. q. 1. ad primitiū & vltimum, inquit enim quod cum vnitatem vniuocationis, stat vnitatem analogiæ, vel attributionis, eo quod philosophus in x. metaphy. ponit essentialē ordinem inter species vnus generis, & tamen ex hoc non tollitur vniuocatio. patet enim numerum esse genus, & tamen inter species numeri est essentialis ordo prioris & posterioris. sic inquit in proposito in ratione entis in qua est vnitatem attributionis ipsa attributa scilicet substantia & accidens, habent vnitatem vniuocationis.

Hoc inquit non valet, quoniā aliud est ponere ordinē inter aliqua, vt adinuicem comparantur, & vt cōparantur ad aliquod cōmune, cuius rationē participant primū non impedit vniuocationē, quoniā stat cum tali ordine, quod aliqua participant equaliter rationē sui cōmuni, vt ad ipsum comparantur. Aliter propositio nō esset genus ad affirmatiuā & negatiuā, est enim affirmatiua prior, nec animal ad hominē & brutum, est enim homo perfectior, secundū vero impedit, eo q̄ ratio superioris descendit gradatim in inferioribus. Aduerte igitur, quod licet philosophus ponat ordinem essentialē inter species vnus generis, vt adinuicē cōparantur, non tamen vt cōparantur generi, prout participant rationem illius generis, in proposito autem patet, quod substantia & accidens, siue inter se cōparen-

tur sine ad ens, semper retinent ordinem, quonia ens prius dicitur de substantia & per substantia verificatur de accidenti & substantia comparata accidenti, prior est: ut declarabitur in lib. 7. ita ergo ratio nostra in robore suo.

Tertia conclusio est, ens non est uniuocum logicum, nam uniuocum logicum non predicatur formaliter & in primo modo per se de differentiis, vel modis, quibus uniuoca adinuicem distinguuntur. Hanc declarauimus in lib. 3. secundum philosophum in q. vltima. Sed ens formaliter predicatur de omnibus differentiis & modis, quibus sua inferiora distinguuntur. Quod enim est ens est, & si non est ens, est nihil. Non enim datur medium, inter ens sumptum in sua maxima communitate, ipsum nihil ergo non est uniuocum logicum, & haec ratio sumpta est ex 3. metaph. tex. x.

Et aduerte quod Ant. And. in 4. metaph. q. 1. in responsione argumentorum, uoluit aliter fugere hanc rationem, nisi negando quod ens predicatur formaliter de differentiis vltimis, & passionibus suis. Sed quod hoc sit contra philosophum, & sit falsum in se, manifestabitur in q. 7. huius libri, & soluentur argumenta Scotistarum.

Quarto conclusio, ens est analogum reale, nam ens dicitur unum conceptum, gradualiter, & quodam ordine participatum a substantia & accidente, ita quod primo conuenit substantiae, & per substantiam conuenit accidenti, nam substantia non pendet ab accidente, sed e conuerso, ergo & e. patet e consequentia, quoniam ut declarauimus in prima parte questionis, istae sunt conditiones analogi, ut distinguitur contra uniuocum.

Quod autem non sit equiuocum, est communiter ab omnibus concessum, & si Prophirus vel philosophus alicubi dicat, ens esse equiuocum, sumunt equiuocum pro analogo, eo quod analogum magis propinquat equiuoco quam uniuoco.

Quantum ad quartum declarandum est, quod Scotus non discordat a via nostra, nisi in nomine. Aduerte igitur quod in 1. sent. dist. 3. q. 1. intendens manifestare, quomodo potest concipi Deus conceptum uniuoco, sibi & creaturae, declarat prius quid intendat per conceptum uniuocum & dicit: ne fiat contentio de nomine equiuocationis, conceptum uniuocum dico, qui ita est unius quod eius unitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ipsam de eodem, sufficit etiam pro medio syllogistico, ut extrema unita in medio sic uno, sine fallacia equiuocationis coele-

datur inter se unum. Haec Scotus. Ex quibus patet quod Scotus contematur ponere tantam unitatem in ente, quanta sufficit ad contradictionem ponendam, & ut sit medium efficax in syllogismo. Sed non solum uniuocum sufficit ad hoc, immo & analogum, illo quidem modo analogiae, in quo ponimus ens. Quod ergo Scotus dicit uniuocum, b. Tho. dicit analogum. Declaro autem modos analogiae, ut sciamus in quo reponitur ens, & secundum quem sit contradictio, & potest esse medium in syllogismo.

Aduerte igitur, secundum doctrinam Thomisticam, ut patet per b. Tho. in 1. sen. dist. 19. q. 1. ad idem, quod triplex est analogia, prima est quando analogum dicit plures rationes, & eius significatum solum in primo analogato repetitur. Sicut sanum, quod alia ratione predicatur de animali, & alia de medicina, & alia de dieta, suum autem significatum, tantum in animali saluatur, ita tamen analogia quoniam obseruatiua, causatiua, indicatiua, sanitaris, respicit animal sanum, & hoc modo dictum analogum, est propinquissimum equiuoco, illo facit propositionem multiplicem, & aufert contradictionem, quoniam utraque haec est vera, animal est sanum, medicina non est sana, scilicet sanitate, quae subiectiue est in animali.

Secunda est, quando analogum dicit unam rationem, & tamen diuersam esse & difforme habet in analogatis. Sicut corpus dum predicatur de caelesti, & de inferiori, licet enim conueniat in ratione corporeitatis, tamen non conueniunt in esse, enim esse caeli sit incorruptibile, esse autem corporis inferioris est corruptibile, & hic modus non aufert, immo ponit contradictionem. Nam haec semper est vera, elementum est corpus, & haec semper est falsa, caelum non est corpus, eo quod ratio corporis utriusque conuenit, licet non conueniat in esse, tertia est, quando analogum dicit tantum unam rationem, in qua non parificatur analogata, nec inesse importato, per illam rationem, eo quod in uno analogato reperitur illa ratio, & illius esse connexionem habet cum alio analogato. Sicut accidens est ens, ut habet connexionem ad substantiam, & non e conuerso, & creatura est ens, non ex se, sed ut participat esse a Deo, cui primo & per se competit esse, & hoc tertio modo ens est analogum, & hic tertius modus, ponit contradictionem, & est medium efficax in syllogismo. si enim ponatur haec conclusio, calidum & frigidum, non sunt in eodem, & probatur sic, nulla entia opposita sunt in eodem, calidum & frigidum sunt opposita, ergo &c.

QVARTI METAPHY.

patet quod illa maior est absolute vera, & potest sub ea fieri descensus distributivus, tam in substantiis, quam in accidentibus. Ex his igitur patet, quod opinio Scoti, quo ad rem non discordat, à b. Tho. nam quod dicit Scotus ens esse uniuocum, dicit b. Tho. esse analogum tertio modo.

Quantum ad quintum, aduerte quod Ant. And. in 4. metaphysic. q. 1. multis argumentis probat ens esse uniuocum, quæ recitantur & clare solvuntur à Capreolo in 1. dist. 2. q. 1. contra 9. conclusionem. Vide tu eum. Scotus autem in 1. dist. 3. q. 1. Postquam declarauit, quid intendat per uniuocum, probat tripliciter talem uniuocationem. Primo sic. Omnis intellectus certus de vno conceptu & dubius de alio, habet conceptum, de quo est certus, alium à conceptu, de quo est dubius. Hæc est manifesta, quoniam idem intellectus non potest esse dubius & certus de eodem conceptu, aliter sequitur contradictio, quod scilicet esset certus & non certus respectu eiusdem. Sed intellectus viatoris potest esse certus de aliquo, quod sit ens, & dubius an sit ens finitum vel infinitum, vel an sit substantia vel accidens, ergo conceptus entis de aliquo, est alius à conceptu isto vel illo, ergo uniuocus.

Respon. Scotus deceptus fuit in hac consequentia, ens dicit unum conceptum, alium à conceptibus suorum contentorum, ergo est uniuocum, negatur consequentia, quoniam vt diximus in corpore questionis, ad uniuocum non sufficit vnitas conceptus, sed requiritur, quod illud commune habeat unum conceptum, non solum in se consideratum, sed vt respicit inferiora, & quod ille conceptus æqualiter participetur à suis inferioribus. Quorum secundum deficit in ente, quoniam conceptus eius non conuenit accidenti, nisi in ordine ad substantiis, nec enti creato, nisi in ordine ad ens increatum. Vnde ad formam argumenti, concessit ma. & minore, dico quod non potest concludere, quod sit uniuocum, sed quod sit analogum, tertio modo analogiæ.

Secundo sic, si est alius conceptus entis, vt dicitur de ente creato, & alius analogus, vt dicitur de ente increato, sequitur quod per ens creatum non possemus aliquid cognoscere de ente increato, quod est falsum, vt patet in libr. 12. consequentia probatur, quoniam sicut ens creatum non continet increatum, cum sit posterius eo, sic conceptus entis creati, non continet virtualiter conceptum entis increati, si sunt alius & alius. Sed per nullum conceptum proprium alicuius obiecti cognoscitur aliud obiectum, nisi

QVAESTIO I.

nisi talis conceptus contineat virtualiter conceptum alterius obiecti, ergo &c.

Respondeo. Hoc argu. supponit falsum, scilicet quod ens dicat plures conceptus, sicut analogum, primo modo. Hoc enim dato, argu. haberet aliquam apparentiam. Sed nos dicimus, quod ens vt est commune creato vt increato, dicit vnum conceptum, æqualiter tamen participatum, quo constituitur analogum tertii modi. & tunc nego consequentiam, cuius probatio nulla est, quoniam supponitur quod conceptus entis, vt dicitur de increato sit alius, vt dicitur de creato, & propter à negari posset, quod ens creatum, non contineat increatum in ratione cognoscitiua, quoniam effectus ducit in cognitionem cause, & breuiter, si bene aduertis, percipies, quod Sco. non considerauit, nisi naturam analogiæ primi modi, quæ dicit plures conceptus, vt sanum, & secundum hoc semper laborauit ad declarandum ens non esse analogum primo modo analogiæ.

Tertio sic. Omnis inquisitio de Deo metaphysic. procedit sic, scilicet considerando rationem formalem alicuius, puta sapientiæ & auferendo à tali ratione imperfectionem, quam habent in creatura, & attribuendo illud Deo, ergo omnis inquisitio de Deo, supponit intellectum habere conceptum eandem uniuocum, quem accipit à creaturis, quem remota omni imperfectione attribuit Deo.

Respondeo, nego consequentiam, quantum ad habere conceptum uniuocum. Sed sufficit illum conceptum esse analogum, & res de qua dicitur, puta sapientia, est analoga tertii modi. Hæc de presenti questione dicta sint.

Questio 2. si habet ens veras & proprias passiones.

Si igitur ens & unum idem &c. Text. 3.

Circa hanc questionem aduerte quod Scotista & Thomista in vno conueniunt, in alio discordant. Conueniunt quidem in hoc, quod ens habet proprias passiones, quæ dicuntur per se accidentia entis, vt ens est, & id quidem expresse dicit philosophus. Nam in principio libri quarti, inquit, est autem quedam scientia, quæ secutatur ens in quantum ens, & quæ huic insunt secundum se. & in textu quinto inquit, Quemadmodum enim numerus secundum quod numerus,



QVARTI METAPHY.

Habet accidentia propria, scilicet, par & impar, æquale & inæquale. Sic etiam ens habet accidentia propria, de quibus philosophum oportet perferuari, hæc ille. Discordant autem in alio scilicet an iste passiones sint veræ passiones, sicut par, & impar sunt veræ passiones numeri, & quidem Thomistæ sic distinguunt. Vera passio est duplex. Quædam demonstrabilis, sed non realis. Quædam realis, & demonstrabilis: & partes huius distinctionis sic differunt, vera passio demonstrabilis, sed non realis, duo tantum requirit, primo quod ratio subiecti, sit prior conceperibiliter ratione passionis, & hoc ideo quia subiectum ingreditur definitionem passionis, ergo necesse est prius concipere subiectum, secundo, quod ipsa passio consequatur per se rationem formalem sui subiecti, passio autem realis demonstrabilis ultra illa duo requirit alia duo secundum viam nostram, primo quod distinguatur realiter à suo subiecto, secundo quod subiectum ingrederetur definitionem passionis, vt additum, & nõ vt essenziale & intrinsicum, & hoc secundum sequitur ex primo, quoniam si subiectum distinguatur realiter à passione, definitio passionis erit per ad ditamentum. Dicunt igitur Thomistæ & Scoti, ens habere veras & proprias passiones & demonstrabiles. Discordant autem in alio, quoniam dicunt Thomistæ, ens non habere passiones reales, eo quod non distinguitur realiter ab eis, vt probabitur in q. seq. Scotistæ autem tenent oppositum, quoniam opinantur omnem passionem esse idem cum suo subiecto.

Vt igitur præsens quaesitum resoluat secundum viam nostram, tria agenda sunt. Primo probatur quod ens habet veras passiones demonstrabiles. Secundo, quod non habet veras passiones reales. Tertio soluentur principalia argumenta Scotistarum.

Quantum ad primum, probatur duplici ratione, primo sic suppono metaphysicam esse verè scientiam, siue sapientiam. De hoc non curò, quoniam vtraque est habitus per demonstrationem acquisitus, licet vna procedat per causas altissimas, alia per causas inferiores. Tunc arguo sic, si ens non habet veras passiones demonstrabiles, ergo in metaphysica nulla est demonstratio, quod est falsum, cum sit verè scientia vel sapientia. Contra probatur, nam ex doctrina philosophi in 1. poster. cap. 13. In omni demonstratione necessario includitur primus & secundus modus per se, eo quod conclusio demonstrationis

QVAESTIO II.

est in 2. modo per sequen. Cõcluditur enim passio de subiecto per definitionem subiecti, vel passionis. si ergo ens non habet passiones, de ente non formabitur conclusio demonstrabilis, & per consequens in metaphysica non fieret aliqua vera demonstratio.

Secundo sic. Quod est commune omni subiecto scibili, non est negandum à subiecto metaphysicæ, cum sit subiectum nobilissimæ scientiæ, sed habere passiones demonstrabiles, est commune omni subiecto scibili, vt vult philosophus in 1. poster. cap. 22. sic enim inquit vna autè scientia est, quæ est vnius generis, id est vnius subiecti, cuius sunt principia partes, & passiones. Pro hac cõclusionem, nolo plures rationes adducere, quoniam communiter est concessa.

Quantum ad secundum arguitur sic, omnis passio vera realis distinguitur realiter à suo subiecto, sed passiones entis, vt probabitur in quaestione sequenti, non distinguuntur realiter ab ente, ergo non habet passiones veras reales. Minor quidem probabitur in quaestio, sequen. Maior autem tripliciter probatur.

Primo sic, causa productiua realis, & effectus eius realis distinguuntur realiter. Hæc est manifesta, quoniam nihil seipsum producit, & quoniam inter causam & effectum est relatio realis, ex 5. metaph. cap. de ad aliquid, & est in 2. modo relationum, ergo distinctio realis, nam eiusdem ad seipsum est relatio rationis, quoniam idem non distinguitur realiter à seipso, sed subiectum est causa productiua realis suæ passionis, ergo &c. Minorem quidè tenet, & probat Anto. And. in 9. metaph. q. 1. sua ratio talis est, omnis potentia pure passiva, est potentia contradictionis, vt dicitur in 9. metaph. Sed subiectum non est in potentia cõtradictionis ad passionem, aliter inesset ei contingenter, & per consequens non esset scibilis per demonstrationem. Habet ergo subiectum aliquam potentiam inherensam actiuam, respectu suæ passionis. Hæc Ant. Andr. ad litteram & aduerte q. hæc ratio procedit ex cõcessis ab aduersario, nec Anto. Trombeta in suis quaestionibus metaphysicalibus sciuit euadere hanc rationem nostram, nisi per distinctionem agentis metaphysici & remoti, physici & propinqui. Dicit enim quoniam non est necesse agens metaphysicum & remotum, distingui realiter à suo effecto, quoniam non est necesse ipsum existere ad hoc quod agat. De propinquo autem & physico, bene est necesse



QUARTI METAPHY.

se, q̄ realiter distinguatur, eo quod est necesse ipsum existere ad hoc q̄ agat, ex hac distinctione, dicit ad rationem nostram quod maior est falsa de agente remoto & metaphysico, & in proposito dicit, subiectum esse agens remotum & metaphysicum suæ passionis, ex consequenti, non est necesse, quod distinguantur realiter.

Sed hæc sunt ita irrationabiliter dicta, vt non mereatur im probari. Quod enim dicit non esse necesse, agens remotum distinguui realiter à suo effectu, est contra doctrinam philosophi in 5. lib. metaph. cap. de ad aliquid, tenet enim quod inter omne actiuum & passiuum est relatio realis, ergo distinguuntur realiter, patet consequentia, etiam in doctrina Scoti, qui tenet quod relatio realis, requirit extrema distincta realiter, & quæ sint actu. Quod etiam dicit non esse necesse, agens remotum siue metaphysicum existere dum agit, est penitus absurdum, quoniam apud philosophum in proemio 1. libri metaph. actiones sunt singulariæ, & ratione assignat Ant. And. quoniam vniuersalia non existunt, nisi in singularibus, quibus competit primo & per se existere, ergo actio requirit existentiã in quocunque agente, siue propinquo, siue remoto. Præterea. Quod ponat distinctionem inter agens propinquum siue physicum, & agens remotum, siue metaphysicum, ex eo quod non est necesse metaphysicum existere, sed physicum, est voluntarie dictum, nec est ad mentem philosophi. Ipse enim ponit differentiam hanc inter ea, quoniam metaphysicum sine motu, physicum autem cum motu agit, & id innuit in principio lib. 9. metaph. vbi loquens de potentia & actu dicit. In plus enim est potentia & actus, eorum quæ dicuntur secundum motum solum.

Fortè quod Scoti dicent subiectum non esse realiter actiuum suæ passionis, sed tantum secundum modum intelligendi: & ideo si causalitas non est realis, non requiritur distinctio realis.

Sed hoc est contra doctrinam suam, vt patet in Anto. And. in lib. 9. quæst. 1. cuius rationem adduximus in precedentibus, nam ex eo quod dicit, si subiectum esset solum in potentia passua respectu suæ passionis, passio contingenter inesset subiecto, patet quod intendit de potentia actiua reali, & non solum ex modo intelligendi.

Secundo sic. Passio realiter multiplicatur, & nõ subiectum, ergo distinguuntur realiter, consequentia patet, quoniã si duo

QVAESTIO II.

51

sunt finitæ entitatis, & sunt idem realiter, implicat vnum multiplicari, & non alteri. Dico finitæ entitatis, vt scilicet diuinam substantiam, & relationes personales. De quibus hic nõ est sermo. Antecedens vero sic probatur. In igne A, est leuitas & caliditas in tanto gradu, quæ sub tali gradu sunt passionis ignis, de quibus constat, quod distinguuntur realiter, quoniam leuitas est principium motus localis, caliditas autem est principium motus alterationis, & tamen ignis A, cui insunt, non multiplicatur, suppono enim quod remaneat vnus numero, ergo subiectum & passio distinguuntur realiter.

Tertio sic, quæ sunt eadem vni tertio, ea vnitate qua sunt eadem in tertio, sunt eadem inter se, sed risibile & hebile sunt eadem homini secundum se, ergo sunt eadem realiter inter se. Quod est manifeste falsum, quoniam sunt principia contrariorum actiuum, scilicet redendi & stendi, nam licet ex 2. physico, idem sit causa contrariorum, vnus quidem per se, alterius autem per accidens nõ tamen vtriusque per se & præcipue in potentiis naturalibus, vt dicitur in li. 9. metaph. quales sunt potentia ridendi, & potentia stendi, ex his igitur constat, passio nem realem, & subiectum distinguui realiter, & quoniam passionis entis non distinguuntur realiter ab ente, vt probabitur in q. seq. concludimus, q̄ ens non habet veras passionis reales.

Quantum ad tertium aduerte, q̄ duo sunt extimata arguta fortiora à Scotiis, quibus arbitrantur se probare, nõ distincti realiter passio à subiecto.

Primum est, quæ realiter distinguuntur, sunt abinuiticè separabilia, sed subiectum & passio, nõ sunt abinuiticè separabilia, aliter inesset cõtingenter subiecto, & nõ esset demonstrabilis de subiecto, ergo &c. Maiorè probat Anto. And. in 4. li. q. 3. sicut ex separatione aliquorũ concludit distinctio realis inter ea, alioquin contingeret eidem simul esse & non esse, ita ex inseparabilitate aliquorum, concluditur indistinctio realis.

Respondeo, negatur maior, nec sua probatio valet, quoniã nõ ex sola separabilitate cõcluditur distinctio realis inter aliqua, sed quia remoto omni opere intellectus, vnum non est aliterum eo q̄ sunt diuersarum entitatum, pura vnum potentia, alterum actus, vnum substantia alterum accidens, vt in proposito, subiectum est substantia, passio est accidens.

Et si quæras propter quid non omnia distincta regulariter sunt separabilia.



QUARTI METAPHY.

Respondeo, nō potest assignari vnica causa. Aliquādo enim est, quoniam vnum est pura potentia, cui repugnat per se existere, & ideo materia est inseparabilis à forma, aliquādo est propter naturalem connexionem, vt relatio non potest separari, stante fundamento & extremis relatiuis. vnde nō posset Deus facere duo alba, inter quæ non esset similitudo, aliquādo est propter naturalem sequelam vnius ad alterum, vt ad ignem naturaliter sequitur calor, & ideo non potest separari ab igne. Idem accidit de subiecto & passione, quæ naturaliter sunt à principijs subiecti.

Secunda ratio est, si passio distinguitur realiter à subiecto, ergo est processus in infinitum in passionibus, quod est impossibile. consequentia autem sic probatur, fumo hominem præscindēdo ab omni accidente, & qualitate, & quæro in illo priori, aut est aptus recipere risibilitatem, aut non. si non, ergo ei repugnat, quod est absurdū. si sic, aut est aptus, aptitudine media, aut seipso, si seipso, ergo est aliqua aptitudo in homine, quæ est ipse homo, & per consequens eadem ratione potest dici, quod homo est ipsa risibilitas, quæ est aptitudo ridendi. si aptitudine media, quæro vt prius, aut homo est aptus recipere aptitudinē mediam per aliam aptitudinem, aut seipso, vt prius, ergo non est necesse passi distinguere realiter à subiecto.

Respon. Scotistæ magnificant hanc rationem suam, sed apud Thomistæ, est parui ponderis. Aduerte igitur, q̄ dupliciter sumitur aptitudo, primo pro principio formali positiuo & proximo alicuius actus, & sic semper est accidens & qualitas in agentibus creatis, eo quod in via nostra, nulla substantia creata est proximum principium agēdi, licet possit esse principium primum, sicut anima est principium primum, non tamen proximum, quo sentimus & intelligimus. secundo sumitur pro non repugnantia ad recipiendum illam aptitudinem positiuam, & sic non est accidens, nec proprie substantia, cū sit negatio, nec distinguitur realiter à rei substantia, sed est ipsa considerata, quod est talis natura, cui nō repugnat tale principium proximum, nec actus egrediens à tali principio. Tunc dico ad argumentum, quod homo in illo priori est aptus recipere risibilitatem, non aptitudine positiuā, sed aptitudine non repugnantia, eo quod est talis natura, cui non repugnat risibilitas, & quando tu quæris, aut aptitudine media, aut seipso. Respondeo, seipso, & quando tu dicis, ergo est aliqua aptitudo in ho-

QVAESTIO II.

54

mine, quæ est ipse homo, concedo de aptitudine non repugnantia, & quando tu dicis, ergo eadem ratione, risibilitas est idem cum homine: nego, quoniam tu transis, ab aptitudine non repugnantia, ad aptitudinem positiuam, quæ est proximi principium agēdi, & aduerte quod ex hac solutione soluitur argumentum Scoti, quo arguit quod intellectus non distinguitur ab essentia animæ, eo quod anima ex se est apta intelligere, ergo illa aptitudo quæ est ipse intellectus, non distinguitur ab anima. Patet autem ex distinctione data, quod anima ex se non est apta intelligere aptitudine positiuā, sed aptitudinē non repugnantia, eo quod est talis natura, scilicet intellectualis, similiter soluitur argumentum, de corpore naturali, quo probatur quod est ex se mobile, & non per mobilitatem sibi intrinsecam, probatur autem sic, corpus naturale includit materiam, quæ cum sit natura, est principium motus, ergo mobilitas non est passio distincta realiter à corpore mobili. Dico quod non est ex se mobile, nisi non repugnanter, eo quod materia non potest esse principium motus proximi, tale enim principium sunt qualitates alteratiuæ, aut motiuæ. Hæc pro nunc sufficiant de præsentibus quæsitis, nec expedit alias rationes Scotistarum referre, quoniam debiliores sunt prædictis.

Tu igitur aduerte quod si quærat, an sit necesse, omne subiectum scibile, habere proprias passiones respondendum est, quod debet habere passiones demonstrabiles, eo quod aliter de eo non posset haberi scientia, non autem est necesse habere passiones reales, sed accidit ei in quantum est scibile, aliter de ente & de Deo non haberetur scientia. Hæc est resolutio Thomistica.

Questio 3. si passiones entis sunt idem cum ente.

Circa hanc questionem aduerte, quod passiones entis sunt hæc transcendentia, vnum, verum, bonum, aliquid, res, & quidem istæ duæ aliquid, & res, non videntur habere difficultatem, quin sint idem cum ente. Nam non videntur addere aliquid positiuum super ens, quoniam omne ens, dicitur aliquid, quasi aliud quid, eo quod comparatum alteri enti, est distinctum ab eo. Dicitur autem res, à ratus rata, eo quod omne ens reale est certæ & firmæ entitatis, præter opus animæ.

QUARTI METAPHY.

Difficultas igitur est de vno, de vero, de bono, quoniam non videtur manifestum, quodlibet ens esse vnum, & verum, & bonum seipso, & non aliquo superaddito. Pro resolutione igitur huius quaeriti, quatuor agenda sunt. Primo probabitur quod vnum transcendens est idem realiter cum ente. Secundo idem probandum est de vero. Tertio idem probandum est de bono. Quarto soluenda sunt quaedam argumenta.

Quantum ad primū ponitur hic conclusio, ens & vnum transcendens, sunt idem realiter sed distinguuntur formaliter.

Prima pars probatur à philosopho in hoc 4. li. text. 3. duplici ratione, & b. Tho. exponens & Comen. conformiter adducit eas. Quarū prima talis est. Quae simul generantur & corrumpuntur sunt idem. Sed ens & vnum sic se habent, quod dum generatur ens, generatur vnum. Nam cum generatur homo, generatur ens homo, & vnus homo, ergo sunt idem.

Sed dicit aliquis, maior non videtur vera apud Thomistam, nam subiectū & passio simul generatur & corrumpuntur, de necessitate enim passio inest subiecto, & tamen non sunt idem.

Respon. propositio philosophi debet intelligi de similitate non solum temporis, sed etiam naturae, modo dico, quod licet subiectū & passio sint simul tempore, non tamen natura, quoniam cum subiectū sit causa suae passionis, omnis causa est prior naturā suo effectu, non tamē necesse est, quod sit prior tempore, ut patet in effectu coactio. Sic igitur intellecta propositione philosophi sequitur conclusio, quod ens & vnum sunt idem realiter.

Secunda ratio quā format b. Tho. exponens & Commenta. in commen. 3. Quaelibet res est vna per essentiam suam & non per aliquod additum reale super essentiam, ergo ens & vnum sunt idem realiter. Antecedens probatur, si res est vna aliquo addito, quaero de illo addito, quoniam cum sit ens, est vnum, sunt enim conuertibilia, ens, & vnum, aut igitur est vnum seipso, aut aliquo addito. si seipso: ergo simili modo standum erat in primo, si per aliquod additum, iterum quaeritur de illo, & sic erit processus in infinitum.

Aduerte quod Ant. And. reprobat hanc rationem in 4. metaph. q. 3. & dicit in ea esse fallaciam figurae dictionis, quoniam mutatur quo, in quod. Cum enim dicitur. Quaero de illo addito & dicendum est, quod non est id, quod est vnum, sed quo, res est vna, sicut patet cum dicitur. Homo est albus, vel seipso, vel albedine. Si albedine, quaero quo albedo est alba. Certum est quod

QVAESTIO III.

11

non sequitur, quoniam mutatur quo in quod.

Sed non considerauit quod alia ratio est de praedicatis transcendentibus, quae de omnibus siue sint quo, siue quod, praedicantur, & de formis specialibus, quae sic denominant sua subiecta quod ipse non denominantur. Dico igitur, quod non mutatur quo in quod, quoniam in hoc loco quod est quo, est etiam quod. vnde licet illud additum esset, quo res est vna, esset etiam quod est vnum quoniam esset ens, vnum autem & ens sunt conuertibilia. Nec valet instantia de homine albo: quoniam ut dixi, alia est ratio de transcendentibus, alia de formis specialibus. Quicquid enim est, ens est, ergo indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, ergo est vnum. De formis autem specialibus non est necesse, quod de quolibet praedicentur, vel sua opposita. vnde licet albedo sit ens, vel non ens, vna, vel non vna non tamen est alba: sed quo aliquid est album. Deceptus est autem Ant. And. quoniam tenet ens non praedicari quidditatiue de passionibus suis, ideo apud ipsum non valet. Illud additum est, ens ergo est vnum, quoniam non concedit antecedens secundum praedicationem quidditatiuam sed tantum virtualem. verum quod sua imago natio sit falsa, manifestabimus in q. 5. huius lib. vbi probabitur ens praedicari quidditatiue & formaliter de passionibus suis, & de vltimis differentiis.

Secunda pars scilicet quod ens & vnum distinguantur ratione, est admissa ab omnibus. Primo, quia subiectum & passio non sunt idem formaliter. Secundo, quia vnum addit super ens saltem indiuisiōnem. Tertio, quia prius concipimus ens, quam vnum. Est enim primum impressum in anima.

Quantum ad secundū ponitur haec conclusio, ens & verum sunt idem re sed distinguuntur ratione. Pro euidencia primae partis aduerte, quod verū sumitur dupliciter, primo formaliter. secundo materialiter. verū formaliter dicit adaequationē, vel conformitatē rei ad intellectū, quae quidem est relatio aliquando realis, aliquando rationis, ut declarauimus in tract. de transcendentibus, verū materialiter, dicit rei naturā, ut habet ordinē ad intellectū, qui ordo manifestatur per hanc intelligibilitatē, vel cognoscibilitatē. Vnde verum materialiter est rei natura, ut intelligibilis vel cognoscibilis ab intellectu. Postea hac distinctione aduerte, quod conclusio debet intelligi de verō materialiter, & non formaliter sumpto. Nam cum verū formaliter sit relatio, quae abstrahit à relatione reali & relatiōe ratio-

QUARTI METAPHY.

nis patet quod non identificatur enti reali, de quo hic intendimus, quoniam intentio nostra est loqui de ente, quod est subiectum in hac scientia, & de passionibus eius, declarauimus autem in 1. lib. quod ens reale est subiectum in ea, & non ens commune enti reali, & enti rationis. Quod igitur ens reale, & verum materialiter sumptum, sunt idem re, sic probatur. Quodlibet ens est intelligibile seipso: ergo est verum seipso: ergo nullo addito reali super ens, ergo sunt idem, ens, & verum. Prima consequentia patet, quoniam esse verum materialiter, & esse intelligibile sunt idem: ergo si quodlibet ens est materialiter verum seipso, est intelligibile seipso. Antecedens autem sic probatur, vnumquodq; est intelligibile per suam entitatem cuius signum est, qd res quae sunt maioris entitatis sunt ex sui natura magis intelligibiles, vt declaratum est in lib. 1. Quae autem sunt minoris entitatis, minus, & quae nullius, nullo modo, vnde in 1. poster. dicitur. Quod non est, non contingit scire, ergo vnumquodq; est intelligibile seipso, quoniam non distinguitur res & entitas rei, & sic patet quod ens & verum materialiter sumptum sunt idem re. Imaginandum est enim quod sicut ad entitatem coloris sequitur visibilitas, ita ad entitatem cuiuscunq; rei, sequitur intelligibilitas, eo quod est apta conformari intellectui, cum anima sit quodammodo omnia, ex 3. de anima, nec de hoc est assignanda alia causa, nisi entitas rei. Aduerte tamen quod per ly visibilitas vel intelligibilitas non intelligo veras & reales passiones, quae secundum viam nostram, distinguuntur realiter à subiectis suis, sic enim intelligibilitas adderet aliquid reale super ens, quod non admittitur in via nostra. Sed per visibilitatem & intelligibilitatem intelligo aptitudinem, quae non distinguit realiter à re cuius est, & de qua locutus sum in questione praecedenti, pro solutione secundae rationis Scotistarum.

Secunda autem pars conclusionis scilicet qd distinguantur ratione patet, quoniam dicendo ens, verum, non committitur negatio. Praeterea conceptus entis est absolutus, conceptus autem veri, est respectiuus. Praeterea ens & verum se habent vt subiectum & passio, ergo manifestum est quod distinguantur ratione.

Quantum ad tertium ponitur haec conclusio, ens & bonum sunt idem re, sed distinguuntur ratione. Pro euidencia primae partis, aduerte qd bonum dupliciter sumitur scilicet simpliciter & secundum quid bonum simpliciter est illud, qd est perfectum suis perfectionibus ultimis, quae sunt qualitates sibi debita, vt primum

QVAESTIO III.

54

est bonum simpliciter, cum ad maturitatem peruenerit, & homo est bonus simpliciter, cum ad sibi debitam perfectionem per habitus intellectuales & morales peruenerit, bonum secundum quid, est illud, in quo iam reperitur prima perfectio, quae omni alij perfectioni supponit, & hoc est ipsum esse siue existere, vnde quaecunq; habet esse, dicitur bonum, secundum quid. Aduerte igitur quod prima pars conclusionis intelligenda est de bono secundum quid. Non autem de bono simpliciter, quoniam tale multa addit super ens, puta debitas qualitates, debitas operationes, debitum finem. Quod autem addit aliquid reale super ens contrahit ens, vnde bonum simpliciter, videtur contrahere ens ad praedictam qualitatem, & per consequens non est idem re, cum ente, intelligendo de identitate conuertibili, quale ponimus, inter ens, & alia transcendente, conclusio igitur intellecta de bono secundum quid, sic probatur. Quaelibet res in tantum est bona, in quantum est appetibilis, nam bonum ex 1. Ethic. per appetibile diffinitur, in tantum est appetibile in quantum perfectum appetitus, nam vnum quodque appetit, vt ex suo appetibili perficiatur, non enim potest esse appetitus ad sui destructionem, in tantum est perfectum, in quantum habet esse, quoniam esse est prima actualitas & prima perfectio, in tantum habet esse, in quantum est ens, est enim ens, cui debetur esse, vnde materia prima & Deus sunt duo extrema in latitudine entis, quoniam materia prima nullum habet esse, nisi potentiale, & ideo est propinqua nihil, Deus autem ex se habet perfectissimum esse, ideo est maxime ens, ergo à primo ad vltimum res in tantum bona, in quantum est ens, ex consequenti ens, & bonum, sunt idem re, intelligendo de bono secundum quid.

Secunda autem pars conclusionis videtur manifesta, quoniam conceptus entis est prior, cum sit simplicior, & est conceptus absolutus, & ens est subiectum, conceptus autem boni est posterior, & respectiuus, nam sicut verum addit super ens, ordinem ad intellectum, sic bonum addit ordinem ad appetitum, & bonum est passio entis, demonstratur enim de ente, sicut vnum & verum, patet igitur, quod licet sint idem re, tamen distinguuntur ratione.

Quantum ad quartum, aduerte aliqua argumenta, quae videntur facere aliquam apparentiam, contra determinationem factam.

Primum est de ente & vno, & arguit quod non sint idem, nam vnum & multa diuidunt ens, ergo contrahunt ens, ergo

addunt super ens ergo non sunt idem re, identitate conuertibili, de qua facta est determinatio.

Respondeo, licet ens diuidatur per vnum & multa, tamen vnum est conuertibile cum ente, quonia quecunque sunt multa, sunt aliquo modo vnum, vt quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto, & quæ sunt multa numero, sunt vnum specie, &c. Non tamen est necesse quod quecunque sunt vnum, sint aliquo modo multa, quonia est deuenire ad simplicissimum simplex. Diuisio igitur entis per vnu & multa, non est diuisio ex æquo, sed in vnum simpliciter, & in multa secundum quid. Nam & multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur in aliquo modo sub vno. Ad argumentum igitur, nego primam consequentiam. Ad hoc enim quod cõherent ens, esset necesse, vt multitudo nullo modo contineretur sub vno, vt accidens nullo modo continetur sub substantia, quoniam nullo modo accidens est substantia.

Secundo sic. Quæ sunt idem re, diuiduntur eisdem modis, siue eisdem differentiis. Sed ens & vnum nõ diuiduntur eisdem modis, vt patet in 5. lib. nam ens diuiditur in x. prædicameta, vnum autem in idem, simile, & æquale.

Respondeo. Quæ sunt idem inquantum sunt idem re, eisdem modis diuiduntur, & vt sic, dico quod vnu diuiditur in x. prædicamenta sicut ens, cum hoc tamen stat, quod inquantum distinguuntur ratione, possunt diuidi diuersis modis, sic est in proposito, quoniam ens dicitur ab esse, ideo secundum diuersos modos essendi, diuiditur in x. prædicameta, nam modi prædicandi sumuntur à modis essendi, vt dicitur in lib. 5. & quoniam vnum dicitur ab indiuisione, ideo secundum diuersos modos indiuisiõis, diuiditur in idem, simile, æquale. Nam quæ sunt indiuisa in substantia sunt idem, quæ in qualitate sunt similia, quæ in quantitate sunt æqualia.

Quod autem ens & verum non sint idem arguitur sic, verum verificatur tam de ente quam de non ente. Quod enim est, verum est esse, & q̄ non est, verum est non esse: ens autem non verificatur nisi de ente. hæc enim est falsa, non ens est ens, ergo &c.

Respondeo nego maiorem, ad probationem dico, quod hæc non posset formari ab intellectu. Quod nõ est, verum est non esse, nisi non ens esse comprehensum ab intellectu, & vt sic, non ens, est aliquo modo ens. Quoniam non ens apprehensum, est ens rationis. Et hæc videtur responsio beati Thomæ in primâ

parte quæstionis 16. argumen. 3. ad secundum.

Potest etiam dici, quod verum materialiter, est idem cum ente, non autem verum formaliter, quoniam illud habet esse in intellectu, & negatur, quod verum materialiter verificetur de non ente, & quando probatur, quoniam hæc est vera. Quod non est, verum est non esse. dico, quod probatio tendit ad verum formaliter, quod præcipue consistit in compositione, & diuisione, vt declarabitur in lib. 5. & aduerte quod in q. sequenti id magis ventilabitur.

Quod ens & bonum non sint idem re, probatur. Quoniam ens est obiectum intellectus, bonum, autem voluntatis. Sed intellectus & voluntas distinguuntur realiter, cum sint potentie distinctæ genere, ergo &c. Probatur consequentia, quoniam ex 2. de anima, potentia distinguuntur per obiecta. Si igitur obiectum intellectus & obiectum voluntatis non distinguuntur realiter, sed tantum ratione, ergo minor distinctio est causa maioris distinctionis: quod est falsum, patet cõsequencia, quoniam intellectus & voluntas distinguuntur realiter.

Respondeo. Dico quod distinctio realis inter intellectum & voluntatem non causatur præcise, ex distinctione rationis, siue formali suorum obiectorum, sed ex ordine reali, quem habet inter se. Nam voluntas supponit intellectum, & subsequitur actum eius, nihil autem supponit seipsum, aliter idem esset prius & posterius.

Tu tamen aduerte quod plenam resolutionem de distinctione potentiarum ex obiectis fecimus in quæstionibus nostris, super 2. de anima. Hæc de præfenti quæsto dicta fuerint.

Quæstio 4. si passiones entis sunt cõuertibiles cum ente.

IN hac quæstione sic procedemus. Primo assignabitur triplex cõuertibilitas, & dicemus de qua intēdimus loqui hic. Secundo mouebitur difficultas circa singulas passiones. quæ sunt hæc, transcendentia, vnu, verum, bonum, res, aliquid. Tertio determinabitur difficultas circa vnamquamque earum.

Quantum ad primam aduerte triplicem cõuertibilitatem, scilicet secundum rem, secundum cõceptum, secundum prædicationem.

Cõuertibilitas secundum rem est, quando duo dicunt eandem naturam adæquate, vt homo & rationale. Vnde licet species & genus dicant eandem naturam, non tamen cõuertibiles: quia in plus est genus, quam species.

QUARTI METAPHY.

Conuertibilitas secundū conceptum est quādo duo habent eundē conceptum omnino, ita quōd sunt idem re & ratione, ut duo sinonima, vnde quęcunq; non sunt sinonima, non sunt conuertibilia secundum conceptum.

Conuertibilitas secundum prædicationem est, quando duo adęquantur in suppositis, ita quōd de quibuscunq; prædicatur vnum, prædicatur & reliquum, vt homo & ritabile, par vel impar, & numerus.

Aduerte igitur quod hic non intendimus loqui de conuertibilitate secundum rem, quoniam probatum est in q. præcedenti, quod dicunt eandem rem adęquate, eo quod nulla passio entis addit aliquid reale supra ens. Nec de conuertibilitate secundum conceptum, quoniam probatum est in q. præcedenti, quod ens & passiones suę, licet sint idem re tamen distinguuntur per diuersas rationes. Intendimus ergo loqui de tertia conuertibilitate, & inuestigare, si de quocunq; prædicatur vnum, & conuerso, & idem intellige de vero, bono, re, aliquo, &c.

Quantum ad secundum aduerte, quod primo cadit difficultas super vnum, quoniam cum ens diuidatur per vnum & multa, vt per opposita, alterum diuidentium nunquā adęquatur secundum prædicationem ipsi diuiso, ergo vnum non conuertitur secundum prædicationem cum ente, sed vnum vel multa, sicut par vel impar adęquatur numero.

Secundo cadit difficultas super verum, quoniam priuationes, & entia rationis sunt intelligibilia, ergo, sunt vera, & tamen, vt patet, non sunt ens reale, de quo nunc loquimur, vt est subiectum metaphysicę, ergo verum non adęquatur enti secundum prædicationem.

Tertio cadit difficultas super bonum, quoniam non esse, & via ad non esse, aliquādo sunt appetibilia, vt patet de homine se occidente, ergo sunt bona, bonū enim & appetibile conuertitur, & tamen non sunt entia realia, vt patet, ergo ens & bonum non adęquantur secundū prædicationē. Præterea mathematica sunt entia, & tamen vt patet in 3. metaphy. tox. 3. in illis non est bonum, ergo &c.

Quarto cadit difficultas super rem, quoniam secundū Porphyriū in vniuersalibus, prædicatur de quinque vniuersalibus. Inquit enim. Harū rerū id est quinque vniuersalium cōpeditiofam traditionē faciēs &c. Cōstat autē quod vniuersalia de quibus

QVAESTIO IIIII.

56

agit Porphyrius, cum sint intēciones secundę, nō sunt entia realia: ergo in plus est res, quā ens reale, de quo hic intēditur.

Quinto cadit difficultas super aliquid. Nā aliquid importat distinctionē vnius entis ab alio ente. Est enim aliquid, quasi aliud quid. Sed ita distinguuntur ab invicē duo entia rationis, sicut duo entia realia, puta dexteritas in columna distinguitur ab identitate eiusdem ad seipsum: ergo hæc est vera dexteritas in columna est aliquid, sicut lapis est aliquid: ergo aliquid non conuertitur secundum prædicationem, cum ente reali.

Quantū ad tertium, pro resolutione difficultatis eadēntis super vnum, aduerte, quod in vno sensu est passio cōuertibilis cum ente, in alio autē est passio diuisa, nam vni aliquādo consideratur cōmuniter & absolute, aliquādo striete, siue cōtracte, vni cōmuniter dicitur, quod importat aliquā indiuisionē, & vt sic cōuertitur cum ente, quoniam nulla sunt adeo diuisa, q. nō sint aliquo modo vnum, vnde adducitur illud magni Dionisi de diuinis nominibus, non est multitudo non participās vno, sed quę non sunt multa partibus, sunt vni toto, & quę sunt multa accidentibus, sunt vni subiecto, & quę sunt multa numero, sunt vni specie, & quę sunt multa speciebus, sunt vni genere, & quę sunt multa processibus, sunt vni principio, hæc ille, sic ergo consideratum vnum, de quolibet ente verificatur, & vt sic, omnis multitudo est aliquo modo vnum, striete autē, siue cōtracte sumitur, prout opponitur multitudini, sicut indiuisum diuiso, & vt sic non conuertitur cum ente, sed est passio diuisa. Hæc enim est falsa, omne ens habet esse indiuisum & hæc est falsa, omne ens habet esse diuisum. Hæc autem est vera, omne ens habet esse indiuisum vt simplicia, vel diuisum aut diuisibile vt composita, & ideo signanter diuisit philosophus ens per vnum & multa, vt sunt opposita, & non prout multa sunt, aliquo modo vnum. Tunc enim diuisio nulla esset, quoniam vnum membrum prædicaretur de altero, nam hæc est vera, ex prædictis, omnia multa, sunt vnum aliquo modo.

Aduerte vterius quod diuisio entis per vnum & multa, est magis per oppositas rationes, quā per oppositas res nullum enim ens ea ratione est vnum, qua est multum, cum vniū & multiplurini sit oppositę rationes. Quodlibet tamen secundum rem est vnum, cum & multa sint aliquo modo vnum, & tamen non omne ens est multa secundum rem, quoniam

datur simplicissimus actus vt Deus, & simplicissima potentia, vt materia prima.

Ad argumentum ergo dico, quod diuisio illa est magis per oppositas rationes, quam per oppositas res. & quando diuisio non est per oppositas res, non inconuenit alterum diuidentiu conuerti secundum rem cum diuiso, exemplum habemus de motu, qui diuiditur per actionem & passionem, vt per oppositas rationes, & non per oppositas res, cum idem motus sit actio & passio, vnde secundum rem vtraque istarum est vera, omnis motus est actio, & omnis motus est passio, diuersa tamē ratione, vt declaratum est in 3. physicorum.

Pro resolutione difficultatis cadentis super verum. Dico quod verum conuertitur cum ente reali. Sed aduerte, quod sicut sunt plures gradus entis realis, sic & veri. Quaedam sunt entia realia perfecta per se existētia, vt substantia abstracte & composita, siue incorruptibilia vt caelum, siue corruptibilia vt elementa, & elementa, & ista sunt vera per se, quonia sunt cognoscibilia per se. Quaedam sunt entia realia, habentia esse non per se, sed in alio, vel supposito, vt materia, & forma, vel subiecto, vt accidentia, & ista sunt vera per alterū, quonia sicut habent esse per alterū, sic sunt cognoscibilia per alterū. Quaedam sunt entia realia non essentialiter sed suppositiue, vel fundamentaliter, sicut priuatio, quae fundatur in subiecto, & entia rationis, quae fundantur mediate in ente reali, quonia consequuntur rem, vt est obiectiue in intellectu, sicut declarauimus in tractatu de transcendentibus, puta praedicari de pluribus consequitur nabilem, abstractā a conditionibus indiuiduantibus, & non vt habet esse in singularibus, quonia vt sic est singularis, & ista sunt vera per alterum, sicut & cognoscibilia, nam priuatio cognoscitur per habitum, & negatio per affirmationem, & entia rationis supponunt apprehensionem naturae realis obiectae intellectui: quonia secunda intentiones fundantur in primis.

Ex his dico ad argumentum, quod licet verum consideratum tantum secundum vnum modum, puta verum per se, non conuertatur cum ente reali, considerato secundum omnes gradus suos, tamen verum consideratum in sua latitudine, conuertitur cum ente reali, considerato in tota sua latitudine, faciendo correspondere consimiles gradus adinuicem, ita quod haec regula non fallit. Vnumquodque sicut se habet ad ens, ita ad verum

rum: & sic dico quod entia rationis, sunt vera per alterum, & similiter priuationes, sicut sunt entia realia non per se & essentialiter, sed fundamentaliter, vt declarauimus.

Pro resolutione difficultatis cadentis super bonum, dico quod bonum non conuertitur cum ente reali absolute sumpto, sed cum ente reali in actu, vnde sicut vnūquodque est ens reale actu ita est bonum. Quae autem nondum sunt, aut amplius non sunt non dicuntur bona: vt rosa generanda, vel quae iam praeterit, nec sunt appetibilia, nisi extēdatur appetitus ad illud tempus, pro quo fuit, vel erit praesens, similiter materia prima non est bona, nisi vt respicit formam per quam fit actu. Quomodo autem in mathematicis non sit bonum, satis diximus in li. 3. in q. 1. Dico ergo quod cum primum appetibile sit ipsum esse, quod est prima perfectio, & prima actualitas, ens reale actu, conuertitur cum bono, ex quo sequitur, quod maior est amplitudo conuertibilitatis inter ens & verum, quam inter ens & bonum.

Ad argumentum igitur cum dicitur, quod non esse est bonū quonia est appetibile, vt patet de homine se occidente. Respondet quod aliquid est bonum tripliciter, primo aliquid est bonum per se, eo quod ex natura sua est appetibile, vt sanitas scientia, aurum, secundo, aliquid est bonum per alterum: & est illud, quod licet ex se non sit appetibile, tamen quia ordinatur ad aliquid per se bonum, dicitur bonum, vt medicina amara ordinata ad sanitatem, tertio aliquid est bonum, non quia sit per se bonum, nec quia ordinatur ad per se bonū: sed quia est ratio, siue via fugiendi non appetibile. Hoc modo mors est bona interficienti seipsum: quonia est via, qua effugiat infamiam, aut inopiam, aut seruitutem, quae non sunt appetibiles ex hac distinctione dico ad argumentum, quod bonum primo & secundo modo, quonia dicit aliquid esse reale, conuertitur cum ente reali, non autem tertio modo, quonia vt sic, non dicit aliquid esse, nec meretur dici bonum, nisi quia fuga mali sumitur sub ratione boni.

Pro difficultate cadente super rem, dico quod absolute conuertitur cum ente reali, eo quod res dicitur ens habens aliquam quidditatem. Quodlibet autem ens reale, eo modo quo est ens reale, dicit aliquam quidditatem: & quonia entia rationis non dicunt aliquam quidditatem cum habeant esse tantū obiectiue in intellectu: ideo non proprie dicuntur res. Ad argumentum dico, quod Porphyrius extendit hunc terminum res, ad

entia rationis, non ut deriuatur à rebus rebus. Sic enim verificatur tantum de ente reali, sed ut deriuatur à rebus rebus, quod significat actum animæ, & ut sic potest attribui enti rationis.

Pro difficultate cadente super aliquid, dico sicut dictum est de re, nam aliquid proprie est illud, quod comparatur alteri, dicit aliam quidditatem ab eo, & sic verificatur absolute tantum de ente reali, communi tamen necessitate loquendi, extenditur etiam ad entia rationis, verum, quia sicut non sunt entia simpliciter, sed secundum quid, sic non sunt aliquid simpliciter sed secundum quid.

Tu tamen aduerte, quod licet omnia transcendētia proprie consequantur ens reale, tamen extenso termino & improprie, & secundum usum loquendi solent applicari enti, & non enti, enti reali, & enti rationis, nam dicimus, unum lapidem unam negationem, unam priuationem. Ideo dico de vero quod applicatur enti reali & enti rationis, & priuationi. Idem dico de bono, nam solemus dicere, hæc vox est bona. Hæc est bona febris &c. Idem intellige de re & de aliquo, ut exemplificauimus. Sed de his applicationibus in propriis metaphysicis non curat: sufficit enim sibi, si seruat proprium significatum & propriam applicationem termini. Hæc de presenti quæsto dicta sunt.

Quæstio 5. si ens prædicatur quidditatiue, de passionibus suis, & de vltimis differentiis.

Circa hæc quæstionem aduerte quod Thomistæ penitus dissentiant à Scotistis. Pertractabitur igitur. Primo opinio Thomistica. Secundo opinio Scotistica. Tertio soluentur rationes eorum.

Quantum ad primum pono hæc conclusionem, ens prædicatur quidditatiue, id est in primo modo per se de differentiis vltimis, & de suis passionibus. Hanc solent Thomistæ probare variis rationibus, nunc adducentur tres, quæ reputantur firmiores.

Prima sumpta est ex 3. lib. metaph. tex. 10. philosophus illic probat ens non esse genus, eo quod non prædicatur genus de differentiis suis. Sed ens prædicatur de differentiis suis, eo quod nihil subterfugit prædicationē entis, ergo ens non est genus. Modo quarto quomodo maior sit vera. Nam si intelligatur de illa prædicatione identica, est falsa: quoniam genus & differentia sunt idem realiter: hæc est vera identice. Rationale est ani-

mal. & econuerso, si autem intelligatur de prædicatione quidditatiua & formali, sic est vera, ut declarauimus in li. 3. in quæstione 2. ergo in eodem sensu debet subsumi minor, scilicet ens prædicatur formaliter de differentiis, aliter ratio philosophi non concluderet: sed esset ex quatuor terminis, eo quod in maiore staret pro prædicatione formali, in minore autem pro identica, quam Scotistæ appellant realem vel essentialē. Et hæc rationem reputamus euidentem flante autoritate philosophi.

Secunda ratio. Omne superius prædicatur de suis inferioribus in quid, ergo formaliter, nam etiam apud Scotistas prædicatio quidditatiua & formalis idem sunt. Sed ens est superius ad vltimas differentiis, quia est vniuersalissimum prædicatum, ergo prædicatur de illis quidditatiue.

Huic rationi respondent Scotistæ: & dicunt ens non esse superius ad omnia formaliter, sed tantum ad ens creati & increati: & ad 10. prædicamenta: & ad essentialia, quæ sunt genera & species, eo quod de omnibus his prædicatur quidditatiue, quantum autem ad differentias vltimas, & ad passiones suas dicunt, quod est superius tantum virtualiter, eo quod continentur in his: de quibus prædicatur formaliter: puta passiones entis reperiuntur in ente creato & increato: & differentie continentur in speciebus.

Sed contra. Tam passiones entis quæ differentie vltimæ sunt dissimiles, vel saltem descriptibiles, ergo dissimulantur vel describuntur formaliter per ens, vel per nihil, quoniam non datur medium, inter ens communissimum & nihil, non est dicendum quod per nihil, ergo per ens, prædicatur ergo ens quidditatiue de differentiis vltimis & de passionibus suis, quoniam omne dissimilians siue describens saltem intrinsecum prædicatur in primo modo per se.

Tertia ratio quæ probat particulariter de passionibus entis unum in suo conceptu dicit indiuisiōnem ex 10. metaph. Quæro ergo aut dicit indiuisiōnem tantum, aut vltra indiuisiōnem dicit in suo conceptu aliquid positium, non primum, quoniam sola negatio non potest esse passio entis, ergo secundum. Sed illud positium non est nisi ens: quoniam nihil est commune omni enti, nisi ens. Cum igitur unum & reliquæ passiones entis conueniant omni enti, sequitur quod ens sit de formali conceptu earum, ex consequenti prædicatur de eis quidditatiue. Ad



QVARTI METAPHY.

hac rationem dicunt Scotiste, quod licet ens poneretur in conceptu vnus, adhuc non predicaretur de eo quidditative, id est in primo modo per se, quoniam passio diffinitur per subiectum, vt per additamentum ex 7. metaph. Huiusmodi autem diffinitiones non predicantur per se primo modo, sed solum diffinitiones intrinseca & essentialia.

Sed hac responsio non est ad mentem philosophi, quoniam in 1. post. ca. de modis per se: non ponit in primo modo solum diffinitiones intrinseca essentialia: sed dicit vniuersaliter & quaeunque insunt ratione dicente, quid est, & dat exemplum de puncto, qui licet sit terminus lineae, non tamen est de essentia eius, sicut nec instans est de essentia temporis.

Præterea non recte fundant se super philosophum in 7. metaph. Non enim ponit diffinitionem additamentum, nisi in accidentibus: & pro rei veritate, non vtimur diffinitione per additamentum, nisi in accidentibus, vel in substantiis, quae habent rationem partis, vt quando diffinimus animam per corpus sicut diximus in nostro epitomate super 7. metaph. Constat autem quod passiones entis non sunt accidentia, nec habent rationem partis: ergo non diffiniuntur per additamentum. Tenendum est ergo in via Thomistica quod ens essentialiter quidditative, & in primo modo per se, predicatur de passionibus suis, & vltimis differentiis.

Quantum ad secundum aduerte, quod Ant. And. in lib. 4. metaph. q. 3. concordans cum Scoto in 1. sent. di. 3. q. 3. tenet partem negatiuam: vult tamen quod predicetur de eis essentialiter siue realiter. Appellat autem Scotus prædicationem quidditatiuam. eam quae est in primo modo per se, quae apud ipsum dicitur formalis, secundum quam sola diffinitiones essentialia predicantur de diffinito. Appellat prædicationem essentialem prædicationem identicam, quando predicatum est idem cum subiecto, non tamen est diffinitum subiecti, vt haec est prædicationes essentialis, Motus est actio, vult ergo Scotus, quod ens non ingreditur formaliter conceptum vnus, nec conceptum vltimae differentiae, & quando predicatur de passionibus suis & de differentia vltima, sic prædicationes identica & non quidditativa. Et quo ad vltimas differentias probat Ant. And. in 4. metaph. q. 3. duplici ratione.

Prima ratio sint duae differentiae A & B, tunc vel A & B includunt ens quidditative, vel non, si non habetur, propositum, si sic,

QVAESTIO V.

58

tum non sint omnino idem, inter se habent, quo conueniunt, & quo differunt, ergo A & B non erunt primo diuersa, nec erunt vltimae differentiae, sed differentes, ergo differunt aliis differentiis. Sint illae aliae C & D, tunc arguitur de istis sicut de prioribus, quia vel includunt ens quidditative vel non, & sic procedendo, vel erit ire in infinitum in differentiis, vel stabitur ad aliquas non includentes omnino ens quidditative, quod est propositum, quia solum ille erunt vltimae.

Secunda ratio. Sicut est in compositione reali, ita est in compositione conceptuum, quia sicut ens componitur ex actu & potentia in re, ita conceptus compositus per se vnus, componitur ex conceptu potenciali & actuali, seu determinabili & terminante. Sicut ergo resolutio entis compositi stat vltimo ad simpliciter simplicia, scilicet ad actum vltimum & potentiam vltimam, quae sunt primo diuersa, ita quod nihil vnus includit aliquid alterius, alioquin nec hoc esset primo actus, nec illud primo potentia, nam quod includit aliquid potentialitatis, non est primo actus, nec e conuerso. Similiter oportet etiam in conceptibus, quod omnis conceptus compositus per se vnus, resoluitur in conceptum determinabilem & determinantem, ita quod illa resolutio stet ad conceptus simpliciter simplices, scilicet ad conceptum determinabilem tantum, qui nihil determinans includit, & ad conceptum determinantem tantum, qui nihil determinabile includit, conceptus ille determinabilis, est conceptus entis, conceptus autem determinans, est conceptus vltimae differentiae. Isti ergo conceptus erunt primo diuersi, ita quod vnus nihil includit alterius, & sic ens non poterit predicari in quid de vltimis differentiis.

Quantum autem ad passiones probatur propositum tribus rationibus.

Prima ratio, subiectum ponitur in diffinitione passionis, vt additum ex 7. metaph. ergo non predicatur in primo modo per se: quia talis prædicationes est per intrinseca, & quidditativa prædicata, quae sunt de rei essentia. Sed ens comparatur ad vnum sicut subiectum ad passionem: ergo &c.

Secunda ratio, ens diuiditur sufficienter, in ens creatum & increatum, & in 10. prædicamenta, & in partes essentialis, & de his omnibus quidditative predicatur, cum ergo passiones entis non contineantur sub aliquo diuidicium, sequitur quod ens non predicatur quidditative de eis. Quod autem non contineantur



QUARTI METAPHY.

sub aliquo vno diuidentis, probatur, nam si vnum contineret sub ente increato: ergo omne vnu esset increatum & si sub ente creato, ergo omne vnu esset creatum, & cum vnum conueniat Deo, sequitur Deum esse creatum, & quod dico de vno, intelligendum est de aliis passionibus entis. Quare, &c.

Tertia ratio, si vnum quidditatiue includit ens, quero aut includit ens precise aut aliquid ultra, non primum, quia idem esset dicere, ens est vnum, & ens est ens. Si secundum, quero illud ultra, aut includit ens, aut non, si includit: ergo vnum bis includit ens, si non: ergo illud erit passio entis, & sic quicquid dicitur esse passio entis, non includit ens quidditatiue.

Quantum ad tertium soluendae sunt rationes praemissae. Ad primam, de differentiis dico: quod A, & B, includunt ens quidditatiue, & quod conueniunt in ente, & quod distinctae sunt. Sed nego quod differant, & quin sint primo diuersae. Ad hoc enim quod sint primo diuersae, non est necesse, quod in nullo conueniant: aliter decem praedicamenta non essent primo diuersa: quia conueniunt in ente & in passionibus entis: sed sufficit quod non conueniant in aliquo vniuoco: nego ergo illam consequentiam: ergo A, & B, non erunt primo diuersae, nec vltimae differentiae, sed differentes, immo non erunt differentes, sed sunt quibus aliqua differunt, & sic non oportet assignare alias differentias, quibus differant A, & B, & per consequens non est procedere in infinitum. Tu tamen aduerte quod in via Scoti, tenentis ens vniuocum, haec ratio esset difficilis ad soluendum, quoniam non posset sustineri quod essent primo diuersae, apud nos autem conuenientia in analogo non repugnat primo diuersis.

Ad secundam, nego similitudinem, ad probationem nego illam consequentiam, quae stat in hoc, sicut resoluitur vltimate ens compositum in simpliciter simplicia, sic oportet conceptum compositum vltimate, resolui in conceptus simpliciter simplices, ita quod vnus nihil includat alterius. Hoc inquam non sequitur, quoniam licet non repugnet dari in entibus duo simpliciter simplicia, tamen repugnat in conceptibus, quoniam omnis conceptus resoluitur in conceptum entis, qui ingreditur quemcumque alium conceptum. Sicut omnis veritas complexa, ad veritatem primi principij complexi resoluitur. Negatur igitur, quod possint dari duo conceptus simpliciter simplices, ita quod vnus nihil includat alterius, & si dicas: ergo non dabuntur duo conceptus primo diuersi, nego consequentiam, quoniam con-

QVAESTIO VI.

60

uenientia in ente, non impedit primo diuersa, cum non sit vniuoca, sed analogae conuenientia, alioquin Deus & creatura, non essent duo prima diuersa.

Ad primam rationem de passionibus, nego consequentiam, quoniam in primo modo per se ponuntur omnia differentia, siue intrinseca, siue addita, quoniam dato quod sint extra essentiam diffiniti, vt subiectum extra essentiam accidentis, non tamen sunt extra rationem quidditatiuam, eo quod ex natura sua, sic sunt diffinibilia.

Praeterea potest negari antecedens, quoniam non est verum, nisi de passionibus determinati generis, & quae realiter distinguuntur a subiecto, vt risibile in homine. In passionibus transcendentibus, quae distinguuntur tantum ratione ab ente, antecedens non est verum.

Ad secundam, nego antecedens, diuiditur enim ens per vnu & multa, & priusquam per creatum & increatum, & per decem praedicamenta, vt dicemus infra. Vnde sicut ens prius diuiditur in transcendentia sic prius quidditatiue predicatur de transcendentibus.

Ad tertiã, dico, quod includit aliquid ultra, scilicet indiuisiõnem, & cum queritur si illud additum includit ens, dico quod non, quia est negatio: & cum inferitur: ergo illud additum est passio entis, nego consequentiam, quoniam passio entis non est indiuisio, sed ens, vt stat sub indiuisiõne. Haec de praesenti querito dicta sunt.

Questio 6. Quomodo ordinandae sunt passiones entis, quae sunt transcendentia secundum prius & posterius.

In hac quaestione, duae viae pertractandae sunt, prima est via b. Tho. secunda est via Scoti. Prius igitur pertractabitur via b. Thomae, pro cuius resolutione, duo principaliter agenda sunt. Primo ponitur quaedam distinctio. Secundo ponentur responsiuae conclusiones, cum probationibus suis.

Quantum ad primum aduerte, quod ordo in transcendentibus, potest dupliciter considerari. Primo quantum ad res significatas. Secundo quantum ad rationes formales, sub hoc sensu. Cuius transcendentis ratio, prius apprehendatur ab intellectu procedente ordinata a conceptu entis ad conceptum alio-



rum transcendentium, & quidem quantum ad res significatas, nullus est ordo inter ea, quoniam huiusmodi ordo supponeret distinctionem realem, cum sit relatio realis, quæ requirit extrema distincta realiter, vt dicemus in lib. 5. Sed transcendentia non distinguuntur realiter ab ente, vt supra diximus, nec realiter inter se, eo quod si sunt idem in ente, sunt idem inter se, ergo quo ad res significatas nullus est ordo inter ea. Quantum autem ad rationes formales, nõ inconuenit esse ordinem inter ea, nam cum primum quod concipimus sit ens, merito dubitari potest, si post ens immediate concipimus vnum, vel verum, vel bonum. In hoc igitur sensu quaerimus, quomodo ordinantur passionibus entis secundum prius & posterius.

Quantum ad secundum aduerte quod ex hac distinctione manifestabuntur quatuor conclusiones.

Prima conclusio. vnum secundum rationem formalem est prius aliis passionibus transcendentibus, & probatur sic, vnum est primum positium, quod concipimus immediate post ens, ergo &c. Probatur assumptum, nam primum quod concipimus est ens, ex communi sententia, secundum est non ens, quia ex opposito & cognoscitur oppositum: ergo ex ente, nõ ens, tertium apprehendimus distinctionem inter ens, & non ens, cum sint opposita, quartum est indiuisio, quoniam omne ens in seipso indiuisum, est aliquo modo indiuisio, vnde dicit philosophus in 10. metaphysic. text. 7. quod non est vnum, non est ens, quintum est conceptus vnius, cum enim omne ens sit diuisum à nõ ente & indiuisum in seipso, sequitur quod post ens, concipimus vnum. Notanter dixi. Primum positum, quod concipimus immediate post ens, quoniam ante vnum apprehenditur diuisio entis, à non ente, & indiuisio in seipso. Sed hæc non dicunt aliquod oppositum vt patet, quoniam diuisio dicit negationem vnius de altero, & indiuisio dicit negationem negationis.

Secunda conclusio. Post vnum statim apprehendimus aliquid. nam declaratum est, quod apprehendimus vnum ex eo quod apprehendimus ens indiuisum in seipso: ergo ex consequenti & immediate apprehendimus ipsum diuisum à quolibet alio. Sed in hoc stat ratio ipsius aliquid. Dicitur enim aliquid, quasi aliud quid, vnde si duo essent idem realiter, vnum non posset dici aliquid comparatum alteri, sicut si compararetur homo rationali non est aliquid.

Tertia conclusio. Post ly aliquid, immediate concipitur res, quoniam dicitur res à sua propria quidditate vel essentia, vñ quodq; autem propriam essentiam habet, in quantum eam habet vt indiuisam in se, & diuisam à quolibet alio. Alioquin sua essentia non esset sibi propria, sed communis: ergo post aliquid concipitur res.

Quarta conclusio. Conceptus veri est prior conceptu boni, nam qualis est ordo inter intellectum & voluntatem, talis est inter eorum obiecta, sed intellectus est prior voluntate, cum sequatur apprehensionem intellectus: ergo verum, quod respicit intellectum, est prius conceptum, quam bonum, quod respicit voluntatem. Præterea vniuersalia sunt priora in apprehensione nostra ex 1. phy. tex. 3. sed verum est vniuersalius bono, eo quod consequitur ens absolute. Bonum autem consequitur ens actu, vt dictum est supra: ergo bonum est posterius vero, secundum conceptum, & sic patet secundum viam Tho. qualis sit ordo non realis, sed secundum ordinatam apprehensionem intellectus, inter ens & passionibus suas, & inter eas adinuicem comparatas.

Posita via Tho. inuestigandum est, quid circa hoc sentiant Scotista. aduerte igitur, quod ipsi sequentes viam Scoti in 1. dif. 8. q. 3. & in quolibet. q. 5. prius diuidunt ens per quantum & nõ quantum, quam per vnum & multa. & pro euidencia huius opinionis tria agenda sunt. Primo declarabitur talis opinio, & adducentur præcipue rationes suæ. Tertio arguetur contra hanc opinionem, & soluentur rationes suæ.

Quantum ad primum aduerte, quod Scotus vbi supra diuidit ens reale vniuersalissimum prima diuisione, per quantum & non quantum. Deinde ens quantum, per finitum & infinitum. Deinde per vnum & multa, ita quod apud eum diuisio per vnum & multa est in tertio loco, & apud b. Tho. est in primo loco. Declarat autem Scotus, quomodo sumat ly quantum, & intendit per quantum, quantitatem virtualem, quæ est rei perfectio, & non quantitatem dimensionem, & per infinitum intendit ens infinitæ perfectionis qualis est Deus, & per finitum intendit ens finitæ perfectionis, qualis est homo & lapis. Intendit ergo Scotus, quod ens reale diuidatur per quantum & non quantum, quoniam entium quoddam dicit aliquam perfectionem formaliter, vt substantia, qualitas &c. Quoddam nullam perfectionem dicit formaliter, sed identice tantum, vt relationem

si relatio diceret formaliter aliquam perfectionem in diuinis, illa qua perfectio esset in parte, que non esset in filio, dicit tamen relatio in Deo aliquam perfectionem, prout id est cum essentia, & ut sic est in filio, ens autem quantum perfectionaliter, aut dicit perfectionem infinitam, aut finitam. Posita hac declaratione adduco rationes Scotistarum principales ad hoc propositum.

Prima ratio, ens prius diuiditur in ea, que sunt cuilibet enti magis intima. Sed finitas & infinitas virtualis sunt magis intima cuilibet enti, quam unitas & multitudo: ergo prius diuiditur per finitum & infinitum, quam per unum & multa. Maior est evidens. Ideo enim prius diuiditur genus per differentias essentialis, eo quod intimiores sunt & priores, quam per proprietates que consequuntur differentias. Minor autem probatur. finitas & infinitas conueniunt rei in esse quidditatiuo, & in primo modo per se, eo quod duae entitates vel quidditates precise sumptae, & ad inuicem comparate, una est perfectior altera, se habent enim rerum quidditates, sicut numerorum species, ex 3. metaphy. & praeterea constat, quod humanitas precise sumpta, est nobilior equinitas, ergo finitas & infinitas conueniunt rei in esse quidditatiuo. Unitas autem & multitudo, conueniunt in secundo modo per se, cum sint passiones entis: ergo intimius insunt enti, ex consequenti prius diuiditur ens in finitum & infinitum, quam in unum & multa.

Secunda ratio, finitas & infinitas perfectionis, supponuntur unitati & multitudini: ergo prius diuiduntur ens quam unum & multa. Antecedens probatur. perfectius est esse unum quam multa, aliter in prima causa, potius poneretur multitudo quam unitas, cum in illa ponatur summa perfectio, ergo unum supponit perfectionem, & per consequens posterius sequitur ad ens quam finitum & infinitum secundum perfectionem.

Quantum ad tertium, arguitur contra hanc positionem scilicet unum quodque est finitum vel infinitum perfectionaliter, in quantum est perfectum, ibi enim agitur de quantitate perfectionalis, unum quodque in quantum perfectum in quantum bonum, ratio enim perfectiui est ratio boni, unum quodque in quantum bonum in quantum habet esse, nam prima perfectio est esse. Quae enim nullum habent esse, sunt in pura potentia, & per consequens omnino imperfectae: ergo finitum & infinitum supponunt esse, ex consequenti posterius consequuntur ens quam unum & multa, eo quod unum consequitur ens simpliciter, finitum autem & infinitum, sicut & bonum, consequuntur ens actu.

Ad primam igitur rationem respondeo, & nego minorem. Ad probationem, nego quod finitas & infinitas conueniant rei in esse quidditatiuo, praescindendo ab omni esse actuali, & cum probatur quoniam duae quidditates precise sumptae, una est perfectior altera, nego: immo ut sic nulla est perfectior altera: & cum dicitur, quoniam quidditates rerum se habent ut numeri &c. ex hoc non habetur quod una sit perfectior altera formaliter & ex se, nisi forte fundamentaliter, prout una, pura humanitas est apta recipere nobilius esse quam equinitas, propter quod concludo, quod cum prima perfectior sit ipsum esse, per quod res est primo bona, quod finitum & infinitum conueniunt enti, post conceptum boni: est enim necesse prius concipere rem bonam, quam bonam finite vel infinite. Hoc enim est ex additione ad bonum absolute sumptum.

Ad secundam, nego antecedens, ad probationem, nego quod unum precise sumptum, ut abstrahit a quolibet esse, sit perfectius quam multa, & cum probatur, quoniam aliter multitudo potius quam unum poneretur in prima causa, haec probatio nihil valet, quoniam non ideo unitas ponitur in prima causa, quia precise sumpta sit perfectior: sed quia perfectius est habere esse indiuisum, quam diuisum sine partium, & sic patet quod unitas sumit perfectionem ab esse. Unde ex se non est perfectior, nisi fundamentaliter, ut dixi de quidditate precise sumpta.

Alias rationes solent adducere Scotista, quae parum valent in via nostra, puta quod essentialis perfectio rei, est idem cum re realiter & formaliter, eo quod conuenit rei in suo esse quidditatiuo, utrumque horum est falsum in via nostra: quoniam esse rei est sua perfectio essentialis, & esse in omni creato distinguitur realiter & formaliter ab eo cuius est esse, similiter falsum est ut diximus ad primam rationem, quod perfectio conueniat rei in suo esse precise quidditatiuo. Haec de presenti quaesito dicta sunt.

Quaestio 7. si unum transcendens, & unum quod est principium numeri, sunt idem.

Circa hanc quatuor agenda sunt. Primo ponitur quadam distinctio. Secundo recitabitur opinio Aui. Tertio arguetur contra eum. Quarto recitabuntur rationes Aui. & soluentur.

Quantum ad primum aduerte, quod aliqua possunt esse distincta dupliciter. primo quia sunt duae res, & una non est altera

nec prædicatur de ea, vt duæ species, duo indiuidua eiusdem speciei. & hoc modo clarum est quod vnum transcendens, & vnum quod est principium numeri, non distinguuntur, quoniam licet vnum numerale non prædicetur, saltem directe, de vno transcendenti: tamen vnum transcendens prædicatur directe de vno numerali, nam vnum numerale est ens: ergo est vnum transcendens. Probatum est enim supra, quod ens & vnum sunt conuertibilia secundum prædicationem. secundo, aliqua distinguuntur, quia comparata tertio ita se habent, quod vnum nihil reale addit super tertium, alterum autem aliquid reale, vt si homo & sententium comparatur animali, potest dici quod homo distinguitur à sententio, quoniam sententium nihil reale addit super animal, homo autem addit rationale: & hoc modo inuestigandum est, si vnum transcendens & vnum numerale distinguuntur, vel sunt idem, nam si vnum numerale nihil reale addit super ens, sicut non addit vnum transcendens, profecto essent idem. Si autem addit, non sunt idem. Quid vero addat ens numerale, dicemus in q. sequenti.

Quantum ad opinionem Auic. aduerte quod non inuenies eam eo modo quo allegatur à Comen. in hoc 4. lib. Comen. 3. vbi inquit, & etiã quia existimauit, quod vnum dictum de omnibus prædicamentis est illud vnum, quod est principium numerorum. Numerus autem est accidens, vnde existimauit quod hoc nomen vnum significat accidens in entibus. Comen. concordat b. Tho. exponens text. tertium. ego autem in tota metaphy. Auic. duo tantum dicta inuenio, quæ videtur aliquatenus tangere propositum, licet imperfecte. Primum dictum est in 3. lib. sue metaphy. cap. 1. vbi sic dicit. Dico igitur quod vnitas dicitur de accidentibus vel de substantiis, cum dicitur de accidentibus, non est substantia & hoc non est dubium, cum vero dicitur de substantiis, non dicitur de eis, sicut genus, nec sicut differentia. Non enim recipitur in certificatione quidditatis alicuius substantiarum. Sed est quoddam comitans substantiam, sicut iam nosti. Non ergo dicitur de eis, sicut genus, nec sicut differentia, sed sicut accidens, vnde vnum est substantia, vnitas vero est intentio, quæ est accidens. In lib. autem 7. in cap. 1. sic dicit, scias autem quod vnum & ens parificantur in prædicatione sui de rebus, ita quod de quocunque dixeris quod est ens vno respectu, est vnum alio respectu, nam quicquid est, vnum est: & ideo forte putatur, quia id quod intelligitur de vtroque, sit vnum & idem. Sed non est ita

sunt autem vnum subiecto scilicet quia in quocunque est hoc, est & illud, hæc ille nec aliud inuenio.

Quia tamen credere debemus, quod Comen. & b. Tho. vere & fideliter sententiã. Auic. siue eam extra xerint ex sua metaphy. siue ex alio loco, & optime cognouerint fundameta, quibus mouebatur ipse Auic. ideo arguendum est contra ipsum.

Primo igitur arguit sic. Quod est determinati generis, non est passio entis transcendens, nam passio est conuertibilis cum subiecto, eo quod fuit à principiis subiecti. Sed vnum numerale est determinati generis reductiuus, est enim in genere quantitatis, sicut numerus quantitatis: ergo non est passio entis transcendens, sed vnum transcendens est passio entis, vt declaratum est supra, & precipue quia est æquale enti secundum prædicationem: ergo vnum transcendens & vnum numerale non sunt idem.

Secundo. Quod est vnus prædicamenti, non reperitur in omni prædicamento, aliter prædicamenta non essent impermixta, sed vnum numerale est vnus prædicamenti, scilicet, quantitatis, sicut & numerus, vnum autem transcendens inuenitur in omni prædicamento, cum sit æqualis ambitus cum ente: ergo &c.

Tertio. Ante omnem quantitatem, res potest intelligi vna: ergo non omnis vnitas est de genere quantitatis, consequentia nota. Antecedens probatur. Quelibet res per essentiam suam est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio: ergo circumscripita omni quantitate, potest intelligi vna. Præterea. Intelligentia solis est vna: & non vnitate quantitativa, cum sit penitus inextensa: ergo &c.

Nunc superest adducere rationes Auic. & soluere. Tu igitur aduerte quod tam ex 3. sue metaphy. quam ex Comen. hic in 4. Comen. 3. & b. Tho. exponente, reducuntur ad tres.

Prima, vnum non est genus, nec differentia entis, nec ponitur in definitione quidditativa alicuius substantiarum: ergo est accidens.

Rõ. Accidens est duplex scilicet prædicamentale & prædicatiuum prædicamentale est illud, quod ponitur in aliquo nouo generis accidentium: & sic nego consequentiam, prædicatiuum est omne illud, quod non prædicatur de re in primo modo per se: & dicitur prædicari extrinsecum, id quod non ingreditur formalem rationem rei: & sic consequentiam, quoniam vnum non prædicatur de ente, nec de aliis in primo modo per se, ideo potest dici accidens prædicatiuum, nec est necesse huiusmodi accidens, addere aliquid reale super naturam rei, cuius est accidens, addit autem aliquid reale accidens prædicamentale: & in hoc deceptus fuit Auic. qui credit, vt inquit Comen.

ment hic in commen. 3. quod ens & vnum dicant dispositiones additas essentie rei, ita quod dicat aliquid distinctum ab essentia rei, quod est falsum & precipue de vno transcendentis, quod vt declarat animus supra, nihil addit super ens nisi indiuisiorem.

Secunda, si est idem aliquid esse ens, & vnum ergo est negatio dicere ens vnum, quonia per ly vnum non dicitur nisi ens secundum te, idem ergo est dicere ens vnum & dicere ens ens.

Respondetur. Ad hoc dicit Comēt. in cōmen. 3. quod non sequitur negatio, quoniam licet significant eandem essentiam, modis tamen diuersis id est diuersa ratione, ideo non committitur negatio. Decipitur autē Auc. quoniam non videtur facere differentiam inter nomina significantia idem, secundum rem & secundum eandem rationem, & nomina significantia idem sed diuersa ratione.

Tertia, vnum numerale & vnum transcens, per multiplicationem constituunt numerum, qui est accidens: ergo significant accides. Antecedens probatur, sicut bis vnum numerale constituunt binarium, ita bis vnum transcens.

Respondetur, licet vtunque sit constitutum numeri, non tamen eiusdem generis, nam sicut duplex est vnum: & distinguuntur, sicut accidens & non accidens, sic duplex est numerus transcens, qui dicitur formalis vel essentiarum, & hic constituitur ex vnitatibus transcendentibus: & non est accidens, sed abstrahit à substantia & accidere, sicut ens, & numerus quantitatus, qui constituitur ex vnitatibus quantitatis: & est accidens de predicamento quantitatis, & non inuenitur nisi in rebus quantis, eo quod causatur ex diuisione continui, ex 3. phyl. Decipitur ergo Auc. quoniam opinatur omnem numerum esse accidens, ex cōsequēti omnem vnitatem esse accidens: & hoc est quod dicit Comment. in cōmen. & etiam decipitur quia existimauit quod illud vnum, quod de omnibus predicamentis dicitur, esset illud vnum, quod est principis numerorum, numerus autem est accidens, vnde opinatus est iste, quod vnum significat accidens, hęc Commentator.

Alias rationes pro Auc. solent aliqui adducere, vt Iandum in 4. metaph. q. 5. quę nullius sunt apparentię ideo eas pertranso. Hęc de presenti quęsto dicta sint.

Quęstio 8. si ratio vnius transcendentis & numeralis est formaliter positua vel negatiua.

Circa hanc quęstionē aduerte quod difficultas stat in hoc, cum ratio vnius distinguatur à ratione entis, sicut ratio subiecti, à ratione passionis, quaeritur quid addat vnum super ens. Nam si illud additū est posituum, cum per ipsum distinguatur vni formaliter ab ente, sua ratio erit positua formaliter. Si autem additum est negatio, ratio vnius est negatiua formaliter. Non quod sit tota negatiua, aliter vnum esset mera negatio, sed quia formale quo distinguitur vnum ab ente, est negatio. Igitur pertractabimus primo de vno transcendentis, secundo de vno numerali.

Circa rationem vnius transcendentis, inuenio duas opiniones. Prima est Thomistica, secunda est Scotistica.

Quantum ad opinionem Thomi. Prepono vnam distinctionem. Deinde conclusionem responsiuam.

Distinctio est hęc. Ratio vnius duo includit scilicet materiale, per quod non distinguitur ab aliis transcendentibus, tale enim se habet vt genus & cōmune predicatum in quo omnia transcendentia conueniunt: & formale per quod distinguitur ab aliis transcendentibus: & se habet vt differentia.

Ex hac distinctione ponā hanc cōclusionē responsiuā. Ratio vnius transcendentis, quo ad materiale, est positua, quo ad formale, est negatiua. Prima pars probatur, ens est de ratione vnius, quonia est illud in quod omnes cōceptus resoluuntur: & q̄ de omnibus quidditatiue predicatur, vt probatū est supra, cōtra Scoti: & nō est formale in ratione vnius, quonia per ens non distinguitur ab aliis transcendentibus ergo est materiale. Sed ens de quo intendimus hic, est positiuū. Intendimus enim de ente reali, quod est subiectū suarū passionum: & est de quo metaphy. considerat: ergo ratio vnius, quo ad materiale est positua, secunda pars sic probatur, formale inclusum in ratione vnius, aut est posituum aut negatiuū, non positiuū, quonia cum omne posituum sit ens, erit etiam vni, ens enim & vnum sunt cōuertibilia, secundū predicationē, vt dictū est supra. Quęro ergo de illo vno, aut est vnum formaliter per positiuū, aut per negatiuū, si per negatiuū, eadē ratione standū erat in primo, si per positiuū, iterū quęro, cum tale positiuū sit ens, erit etiam vnum: & sic vel procedetur in infinitū, vel dicendum est, quod formale in vno est negatio, ex consequenti ratio vnius transcendentis, quo ad formale est negatiua & aduerte quod hęc ratio est b. Tho. in 1. parte, q. 11. art. 1. ad primum, quam traxit

QVARTI METAPHY.

1 Comment. in 4. metaph. commen. 3. Et quoniam Auto. And. in 4. metaphysic. q. 3. conatur hanc determinationem improbare, ideo adducam hic rationem suam principalem, & solvam. Sic igitur arguit.

Nulla negatio est idem realiter alicui positio, quoniam idem esse realiter positium, & realiter negatum, quod implicat contradictionem. Sed vnum est idem realiter enti, quod est positium: ergo vnum non est formaliter negatio.

Respondetur. Deceptus fuit Ant. And. in ly formaliter, accipit enim ipsum, pro tota ratione formali vnius, & non pro eo solo, quod complet rationem vnius. Nā sic argumentū concluderet. Sed non accipimus solū pro eo quod complet stante materiali positio: ideo ratio sua nihil valet contra nos. Imaginatur enim quod dicamus vnitatem esse puram in diuisionem. Sed decipitur: quoniam apud nos, vnitatis est entitas, vt stat sub indiuisione, & in hac falsa imaginatione, peccant alie rationes suae, ideo eas praetermitto. Deinde conatur soluere rationem, per quam probauimus secundam partē conclusionis, quam diximus esse Comment. & b. Tho. Sed tu illā defende sicut nos defendimus in hoc 4. lib. in q. 3. vbi eandem rationem adduximus ad probandū hanc conclusionem, ens & vnum transcendens, sunt idem realiter, sed distinguuntur formaliter.

Quantū ad opinionem Scotistica aduerte, quod dicitur duo, primo dicunt, quod vnum transcendens est formaliter positium, id est non dicit puram negationem. Quod probant multipliciter. Primo, quia vnitatis est perfectio simpliciter, aliter non poneretur in primo ente. Secundo quia priuationes & negationes non reducuntur ad vnum summū. Sed omnes vnitates reducuntur ad summam vnitatem. Tertio, quia negationes nō suscipiūt magis & minus, sed vnum suscipit magis & minus. Quod enim est actu vnum, est magis vnum quā quod est positium vnum. Quarto, quia numerus cum sit quid positium non potest componi ex partibus, quae sint negationes, ergo vnum non est formaliter negatio. Dicunt secundo, quod formale importatum per vnum est positium. Quod sic probant. vnum est passio entis, ergo vel ratione fundamenti, vel ratione additi, non ratione fundamenti, quoniam cum fundamentum sit ens, idem esset passio sui ipsius, ergo ratione additi, ergo additum non est negatio, quoniam cum negatio sit non ens, non potest esse passio entis: ergo additum est appositium, & sic patet quod formale

QVAESTIO VIII.

65

formale in vno, est positium. Sed si aduertis, Scotista in primo dicto non attingunt sensum nostrum. Nos enim non tenemus per ly formaliter negatum, quod vni sit pura priuatio, vel negatio. Sed quod de ratione vnius est priuatio, siue negatio, ita tamen, quod materiale siue fundamentum est positium, & illud est ens, formale autē, quo distinguitur ratione ab ente, est negatio. Cum igitur non attingant sensum nostrum, nō sunt eorum rationes soluendae, vere enim concludunt quod vnum non potest esse mera negatio secundum autem dictū eorum est falsum, quoniam secundum viam nostram, id quod est formale in ratione vnius est negatio, & dicitur indiuisio, & ideo respondendo rationi suae, negatur diuisio tanquam insufficientes. Datur enim tertium scilicet ens vt stat sub illo addito, quae est indiuisio, est passio entis, vnde nō ens solū, nec indiuisio sola. Sed ens vt stat sub indiuisione, est vnum transcendentem.

Circa rationem vnius numeralis, aduerte quod communis sententia, dicitur positua formaliter, eo quod addit super ens aliquod positium reale, quod est accidens, de quo inquit Comment. in 4. lib. in commen. 3. & in lib. 10. commē. 5. licet vnum quod est sinonimum enti, sit significans substantiam rei, tamē vnum quod est principium numeri dicit accidens.

Quid vero sit illud accidens est dissentio inter Thomistas, nam quidam tenent, quod sit illud esse, quod dat quantitas continua rei quantae. Pura si quaratur quare lapis sit vnus numeraliter, dicitur quia habet esse quantitatum indiuisum, fluens à quantitate continua lapidis, ita quod tandiu lapis erit vnus, quādiu est indiuisus, si enim quantitas lapidis diuidatur, sit alterum & alterū esse quantitatum ex consequenti sunt duo lapides. Hae sententiae videtur tenere b. Tho. in 1. sent. in di. 24. vbi refert opinionē de vno, positā ab Auic. & licet improbet ipsum, quantum ad hoc, quod vnum numerale non distinguitur ab vno transcendenti, non tamen quantum ad hoc, quod vnitatis numeralis est esse quantitatis continuae.

Quidam autem dicunt vt Paulus Socinas vt patet in quaestione vnius suis in lib. 10. metaph. in q. 13. quod vnum numerale est accidens, sed illud accidens nō est esse quantitatis continuae. sed est ipsa quantitas continua, puta vnitatis lapidis est quantitas continua lapidis, & probat hoc duplici ratione.

Primo quantitate continua, res est indiuisa in seq. & diuisa à quolibet alio, ergo quantitas continua est vnitatis rei quan-

QVARTI METAPHY.

hæ. Consequencia patet, à dissinitione ad dissinitū. Antecedens probatur, diuisibilitas primo conuenit quantitati continuæ, vt alijs probatum est, ergo per quæritatem continuam res quanta est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio.

Secundo per solam quantitatem continuam, quocunq; alio circumscripto, res quanta facit numerum cum alia. Posito enim lapide A, & sua quantitate continuâ, similiter posito lapide B, constituitur binarium, ergo sola quantitas cōtinua est ipsa vnitatis numeralis.

Verum quia credendum est mentem bea. Tho. fuisse, quod ipsas vnitatis sit esse indiuisum quantitatis continuæ, studebitus arguere contra hanc propositionem, deinde soluemus rationes suas.

Arguitur ergo sic, nullum ex natura sua diuisibile, & cui repugnat indiuisibilitas, potest habere rationem vnitatis, ex dissinitione sua, est enim vnum, quod non diuiditur. Sed quantitas continuâ est diuisibilis, etiam in infinitum, ita quod repugnat deuenire ad indiuisibilia, ex 3. physico, ergo non potest habere rationem vnitatis.

Forse respondetur, quantitatem continuam dupliciter considerari posse. Primo vt habet partem extra partem, & vt sic est extensa & diuisibilis, nec vt sic potest habere rationem vnitatis. Secundo vt est indiuisa in se & diuisa à quolibet alio, & sic habet rationem vnitatis.

Sed contra & probatur, quod nec secundo modo, habet rationem vnitatis, nam quod conuenit alicui ex sua ratione formalis, & in suo esse quidditatio, quocunq; modo consideretur semper cōuenit ei, predicata enim quidditatio sunt inseparabilia & secundum esse & secundum cognitionem. Sed habere partem extra partem, & esse diuisibilem conuenit quantitati continuæ ex sua ratione formali & quidditatio, vt patet in 6. phys. text. 2. vbi philosophus diffiniens continuum dicit. Continuum est, quod est diuisibile in semper continuâ, & nullum continuū est diuisibile in impartibilia, ergo, quantitas continuâ quocunq; modo consideretur, non potest habere rationem vnitatis.

Ad primam autem rationem, negatur antecedens, & probatio sua nihil valet, immo potius sequitur oppositum. Nam ex hoc quod diuisibilitas prima conuenit quantitati continuæ, sequitur, quod indiuisibilitas constituens vnitatem, non conuenit ei, cum sit opposita.

QVAESTIO VIII.

Ad secundam negatur antecedens, & probatio nō valet. dicto enim quod secluso esse indiuiso dato rei quantæ à quantitate continuâ, duo lapides non constituunt binarium, quoniam neuter eorum esset vnus. Tenendum est ergo secundum mentem b. Tho. vnum numerale addere quid posituum, & illud est esse indiuisum quantitatum, quod dat quantitatis continuæ rei quantæ. Et aduerte quod eiusdem sententiæ est Capraro, in 1. sen. di. 2. q. 1. arti. 1. in probatione primæ conclusionis.

Sed contra hanc determinationem duo insurgunt dubia, primum est, quia dicit b. Tho. in 4. metaph. lectione secunda improbens Auicem. vnum quod est principium numeri, addit super substantiam, rationem mensuræ quæ est propria passio quantitatis, quæ primo inuenitur in vnitare, & dicitur per priuationem & negationem diuisioni secundum quantitatem continuam. Hæc b. Tho. non ergo illud quod addit vnum numerali, est esse indiuisum &c.

Respondetur, non est inconueniens quod addat vtrumq; diuersa ratione, nam addit esse indiuisum quantitatis continuæ, vt prædicatum essentiale de vno numerali. Addit autem mensuram, vt proprietatem consequentem & fluentem à prædicato essentiali, nam ex hoc quod dicit esse indiuisum, dicit consequenter rationem mensuræ, quoniam ex 10. metaph. text. 3. necesse est mensuram esse indiuisibilem aut à natura, aut ex proposito, siue decreto humano, & ideo primo conuenit vni.

Secundum est, si indiuisio est de ratione formali, tam vnus numeralis, quam vnus transcendentis, ergo cum indiuisio sit negatio, & non quid posituum, ita ratio vnus numeralis erit formaliter negatiua, sicut ratio vnus transcendentis, cuius oppositum determinatum est.

Respondetur. Ratio vnus numeralis, nō dicitur positua formaliter, quasi non includat negationem, hoc enim falsum est, cum de ratione sua sit indiuisio. Nam quod non est indiuisum non est vnum. Sed ideo positua formaliter, quoniam id quod addit super rei substantiam, est vere posituum, quale est esse indiuisum quantitatis continuæ. Id autem quod addit vnum transcendentis est sola indiuisio, propterea possumus vere dicere rationem vnus transcendentis esse formaliter negatiuam, rationem autem vnus numeralis esse formaliter posituam, quoniam additum est posituum, licet concipiatur cum negatione. Apprehendimus enim simplicia per negationem, hæc de præ-



QUARTI METAPHY.

senti quæsto dicta sint. Et hic terminatur consideratio nostra de passionibus entis,

Quæstio 9. quod sit primum principium complexum simpliciter primum.

Circa hanc quæstionē duo pertractanda sunt. Primo. Quod est principium primum. Secundo. Quod est principium primo primum.

Circa primum inuenio duas opiniones, prima dicit q̄ principium primum complexum est hoc. De quolibet est affirmatio vel negatio vera, & id manifestare conatur dupliciter, primo Comment. in 4. metaph. Commen. 9. dicit, manifestum est quod affirmatio & negatio non congregantur simul, & loquitur de primo principio, secundo vel est hoc quod dictū est, vel est illud. Impossibile est idem simul esse & non esse. Sed non est illud, quoniam necesse est primum principium esse propositionem affirmatiuam. nam omni negatiua est aliqua affirmatiua prior. Sed hæc impossibile est &c. est negatiua vt patet exponendo, ergo non est primum principium, sed illud. De quolibet &c.

Secunda autem opinio dicit, quod est hoc. Impossibile est idem simul esse & non esse, & probat eo quod philosophus, in 4. metaphy. pertractans de primis principiis, non dicit aliud esse primum & firmissimum, nisi hoc, & quod ad ipsum reducuntur omnia alia, unde dicit in tex. 9. Quapropter omnes demonstrantes, in hanc reducunt vltimam opinionē, natura nāq̄ principium & aliarum dignitatum hæc omnium, vbi & Commen. dicit, & ideo hæc dignitas est prior omnibus dignitatibus, & communis naturaliter omnibus. Impossibile enim est vt disputatio aut ratiocinatio fiat sine ea.

Et quoniam hæc secunda opinio, videtur magis ad mētem philosophi, ideo sustinemus eam, licet pro veritate non discorde à prima in sensu, sed tantum in verbis. Pro quo aduerte, q̄ idem principium designatur per has duas propositiones. De quolibet est affirmatio &c. Impossibile est &c. sed diuersa consideratione. Nam quia primum principium complexum consideratur à logico & à metaphyico, quorum alter considerat res per secundas intentiones, alter per primas, ideo logicus enunciat primum principium per intentiones secundas, vt per affirmatiuam & negationem, metaphyicus autē enunciat per primas

QUAESTIO IX.

vt per esse & non esse. Vnde patet has duas opiniones dissentire verbis & non sensu. Nam ex parte rei bene sequitur. Impossibile est idem simul esse & non esse, ergo de quolibet est affirmatio vel negatio vera.

Quod autem prima opinio dicit hanc esse negatiuam. Impossibile est &c. nō est verum, quoniam secundū sensum æqui pollet isti, necesse est, idem non simul esse, & non esse, quæ quidem est affirmatiua de modo. Ex consequenti non est necesse quod habeat aliquam priorem aut notioerem.

Circa secundum aduerte duas opiniones, vna est Thomistarū. Ipsi tenet q̄ principium primo primum complexum est hoc. Impossibile est idem simul esse & nō esse, & fundamentū eorū est quoniam tres conditiones assignat à philosopho in 4. metaph. tex. 8. quarum prima est q̄ circa principium primo primum, nō contingit deceptio, propter sui euidentiā, secūda est q̄ eius veritas est absoluta, & non cōditionata, ita q̄ si omnis alia propositio esset falsa. Adhuc principium primo primum esset verū. tertia est q̄ nō cognoscatur per demonstrationē, eo q̄ principio primo primo, nō potest esse aliquid notius, ex quo deducatur. Istæ inquam tres conditiones non attribuntur ab Aristor. vt patet in 4. metaphy. tex. 9. nisi hinc complexo. Impossibile est idem &c. Ergo vel non datur principium primo primum, & sic tollitur omnis demonstratio, vel est hoc complexum. Impossibile est &c. Et confirmatur dicto Commen. dicentis in comen. 9. Ista dignitas est prior omnibus dignitatibus, ergo est primo prima.

Alia opinio est Scotistarū, vt patet per Ant. And. in 4. metaphy. q. 1. Ista opinio dicit duo, primo quod principium primo primum si datur, est hoc complexum, ens est ens, secūdo quod non est hoc, impossibile est idem simul esse & non esse. Primū dictum sic probat. De ratione principij primo primi est quod habeat terminos, ex quibus componitur primo primos, & non resolubiles in priores. Sed istæ conditiones conueniunt hinc complexo, ens est ens: quoniam ens est terminus primo primus, & non resoluitur in priores, vt patet, ergo hoc complexum est principium primo primum, secundum autem dictum sic probat. Hoc complexum. Impossibile est idem &c. habet terminos resolubiles in priores conceptus. Nam ly idem, est resolubile in conceptum relatiuum, est enim indentitate idē, quæ est relatio, & in conceptum absolutum, id est in



conceptum entis, quoniam idem includit ens, ergo non est principium primo primum. Præterea. Omni propositione modali prior est aliqua de inesse, cum possit resolvi in eam, quæ est de inesse. Sed impossibile est idem &c. est propositio modalis: ergo habet priorem ex consequenti non potest esse principium complexum primo primum.

Sed si bene consideras ista opinio non attingit mentem Arist. Multum enim differt, esse complexum primo primum, & esse principium primo primum. Nam complexum primo primum requirit quod componatur ex terminis primo primis & qui non sint resolvable in priores conceptus & sit propositio de inesse & affirmatiua. Principium autem primo primum non requirit de necessitate ista. Sed solum tres condiciones supra assignatas secundum Arist. & præcipue, quod sit illud per quod firmatur veritas cuiuscumque alterius complexi, si de eo dubitare contingit, & sit illud ad quod resoluitur quodcumque aliud complexum resolvable.

Ex his respondeo ad rationes Ant. And. & dico quod omnes solvantur hoc verbo, ly ens est ens, est complexum primo primum, sed non est principium primo primum, quoniam non deducitur ex eo omnis alia propositio, nec ad ipsum est status in demonstrationibus, immo hoc complexum ens est ens, potest sustineri per omne ens vel ens, vel non ens, vel ens & non ens, non secundum, quoniam oppositi non prædicatur de opposito: non tertiis, quia impossibile est idem simul esse & non esse: ergo primum, ly autem est complexum primo primum, eo quod termini componentis non sunt primo primi &c. & sic patet quod Ant. And. in hoc decipitur, quia non ponit differentiam, inter complexum primo primum, & principium complexum primo primum.

Ad illam de modali, dico similiter quod licet non possit esse complexum primo primum, non tamen inconuenit quod sit principium primo primum, nec obstat quod sit resolvable in unam de inesse. Hoc enim licet tollat rationem primi complexi, non tamen rationem primi principij complexi.

Sed aduerte quod contra hanc determinationem insurgunt duo apparentia argumenta, quorum vno probatur, quod hoc complexum non sit verissimum: altero, quod non sit principium primo primum.

Primo igitur arguitur sic, possibile est idem simul esse, & non esse, ergo hoc complexum. Impossibile est idem &c. non est verissimum. Consequenter nota. Antecedens probatur. Aliquod est generabile, quod nunquam generabitur, aliter omnia euidenter de necessitate, quod tamen improbabitur in libr. 6. & præterea concedit Arist. in 2. de generatione tex. 94. quod futurus quis incedere non incedet, ergo possibile est idem simul esse & non esse. Consequenter probatur, sit A. generabile, ergo in aliquo instanti potest esse. Sit illud instans B, ergo in B, potest esse, ponatur quod nunquam generetur, ergo in B, non habet esse, si non habet esse in B, potest non esse in B, ergo pro eodem instanti, possibile est idem esse, & non esse, si pro eodem instanti, ergo simul.

Respondetur, ly simul, potest se tenere ex parte possibili, vel potentia, ut sit sensus, idem per eandem potentiam potest esse & non esse, puta Sortes per voluntatem potest sedere & non sedere, & potest se tenere ex parte esse & non esse, ut sit sensus, possibile est ut idem quando habet esse, habeat non esse, ita quod hæc erit vera. Idem est & non est. In primo sensu. Hoc complexum, possibile est idem &c. est verum, ut dicitur in libr. 9. quando agemus de potentia rationali, & ut sic non opponitur principio primo. In secundo sensu est falsum, nec potest esse verum & ut sic opponitur principio primo. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam in 2. sensu, dato, de ly simul. Ad probationem dico quod nihil aliud concluditur, nisi quod A. generabile habet potentiam, qua potest habere esse in B, & pro eodem potest habere, non esse diuisum, sed non coniunctum. & hoc est quod dicunt aliqui quod ista propositio A. potest esse & non esse in B, est vera in sensu diuiso, & falsa in sensu composito, & in sensu composito tantum opponitur principio primo. Et aduerte quod huic argumento nesciuit aliter respondere. Iamdu. in 4. metaph. q. 7. nisi sequendo viam eorum, qui dicunt quod impossibile est secundum doctrinam Arist. aliquid esse generabile, quin generetur. Sed de positione istorum, discutimus in libr. 9. querendo, si aliquid est possibile, quod tamen nunquam fuit, nec erit.

Secundo arguitur sic. Aristoteles in 4. metaphysicæ textu 2. docet nos, & probat hoc complexum. Impossibile est idem &c. esse primum principium, ergo hoc complexum non est cuiusdemmodi, vanum enim est docere & probare propositio-

nem evidentissimam: ergo non est principium primo primū.
Respondetur. Arist. non docet nos, nec probat hoc complexum esse verum in dicto rex. quoniam eius veritas manifestissima est huiusmodi sane mentis, sed docet & declarat q̄ conditiones convenientes primo principio, conveniunt huic complexo. Impossibile est &c. Et id non præiudicat quin sit primū principium, immo magis corroborat. Secus autem esset, si probare conaretur eius veritatē, & si dicas immo probat eius veritatem contra negantes. Respondeo, non probat nisi elenchice: ut declarabitur in q. seq. Sed hic modus probationis, non præiudicat dignitati, & firmitati primi principij.

Vltimo adverte, quoniam diximus supra, nō esse idem primum principium & primum complexum, ut id manifestius appareat quod intellectus hoc ordine procedit, primo concipit primos terminos incomplexos, qui sunt ens & non ens, deinde format ex eis, tres propositiones affirmativas, quibus correspondet tres negativas. Primo format hanc, ens est ens, cui correspondet hęc neg. ens non est non ens. Secundo hanc universalem. Omne ens est ens, cui correspondet hęc neg. nullum ens est non ens. Tertio hanc omne ens est, vel non est, cui correspondet hęc, nihil est, & non est. Tunc 4. loco intellectus inspicit hoc principium esse verissimum. Impossibile est idem simul esse & non esse. Hęc de presenti quæstio dicta sunt.

Quæstio 10. si principium primum est cognoscibile cognitione sensitiva vel demonstratione.

Pro resolutione huius quæstioni, pono tres conclusiones. Deinde solum quædam dubia.

Prima conclusio sic ista, pro notitia primi principij, necessarium requiritur cognitio sensitiva, nō solum interior, sed etiam exterior. Pro qua adverte, quod requisitum ad alterum est triplex. Quoddam propter causalitatem in aliquo genere cause, ut ferrum requiritur ad productionem gladij, eo quod est materia sua, & anima requiritur ad productionem animati, eo quod est causa sua formalis. Quoddam, quia est tamen, sine qua non, ut approximatō requiritur inter agens & patiens, eo quod nisi approximentur, non sequitur actio. Quoddam propter necessariam connexionem duorum, ita quod se mutuo ponunt, & se mutuo remouent, & sic vnum relatiuum requirit aliud correlatiuum.

His prænotatis, dico, q̄ cognitio sensitiva requiritur in proposito, ut ratio sine qua non, nam nisi apprehendantur termini per sensum, nunquam apprehendatur complexio illa, qua constituitur primum principium complexum, & huius ratio est, quia apud philosophum in 3. de anima. text. 30. pro hoc statu nihil intelligit anima sine phantasmate, est ergo necesse, ut phantasia habeat operationem suam, ad hoc quod intellectus exeat in actum suum, phantasia autem nō habet operationem suam, sine sensu exteriori, eo quod sensus interior supponit immutationem factam in sensu exteriori, ut declarauimus in 3. de anima, vnde Aristot. diffiniens phantasiam inquit, eam esse motum factum à sensu exteriori, qui est vel fuit in actu, est ergo necesse, q̄ apprehensio sensitiva terminorum incomplexorum præcedat apprehensionem intellectiuam primi principij, vnde communi sententiā dicitur, quod primum principium apprehenditur lumine naturali, ex euidentiā terminorum. Tu tamen adverte q̄ illa cognitio sensitiva, nullam causalitatem dicit super apprehensione primi principij. Tunc enim illa cognitio sensitiva esset, sicut principium, à quo deduceretur primum principium ut conclusio, & sic cognitio primi principij esset acquisita per discursum, quod est impossibile, quoniam non esset naturaliter cognitum, nec super ipsum fundaretur omnis deductio & disputatio, cuius oppositum dicit philosophus & Comment. in hoc 4. lib. rex. & comment. 9. Patet igitur quod ad apprehensionem primi principij, requiritur cognitio sensitiva, non ut causa, sed ratio sine qua non.

Secunda conclusio. Primum principium nō potest demonstrari absolute. Adverte. q̄ circa hanc conclusionem nō est immorandum, constat enim q̄ demonstratio absoluta, ex 1. poster. est ex prioribus & notioribus, nihil autē est prius & notius hoc primo principio, aliter posset cōtingere deceptio circa ipsum, & sic nō esset firmissimum, nec primū principium: ergo est impossibile, q̄ demonstraretur absolute. vnde bene dixit philosophus in 4. metaph. tex. 9. Qui volunt hoc principium demonstrare, ostendant meruditionem suam, nesciūt enim quorū sit, & quorum nō sit demonstratio. & Comment. in commen. 9. dicit. Quidam existimant possibile esse demonstrare hanc propositionem dicentem, quod duo contradictoria non congregantur. & hoc contingit eis, quia non fuerunt instructi in dialectica.

Tertia conclusio. Primum principium potest demonstrari re-



QUARTI METAPHY.

arguitiue. Aduerte q̄ demonstratio absoluta differt à redar-
guitiua in hoc, q̄ absoluta est ex notioribus simpliciter. Redar-
guitiua autē est ex concessis ab aduersario, minus quidē notis
simpliciter, magis autē ipsi aduersario. Ex his sic probo cōclu-
sionē. Qui negat hoc principū, impossibile est idem &c. po-
test deduci ad aliquod incōueniens, sibi magis notum, quā pri-
mum principū; ergo potest demonstrari redarguitiue. Conse-
quētia nota. Antecedēs probatur. Potest deduci ad hoc, q̄ cōtra-
riæ opinionēs erunt in eodē intellectu. Quod quidem reputat-
ur manifestius incōueniens apud negantē primum principū.
Nam quilibet potest aduerrere, q̄ sic cōtrariæ formæ esse in
eodē subiecto simul & in actu perfecto, repugnat sensui, eo q̄
vna consistit alterā, multo magis repugnat intellectui habere
in seipso opinionēs cōtrariæ simul de eadē re. Quod autē ne-
gans primū principū, possit deduci ad hoc incōueniens, de-
claratū est in lib. 2. peribernet. vbi manifestat Arist. q̄ opinio-
nēs cōtradictoriæ sunt contrariæ; ergo si quis opinetur duo
cōtradictoria esse simul vera, habet in suo intellectu duas opi-
niones contrariæ simul, nō solum autem ad hoc incōueniens
deducit Arist. negantem primum principū, sed ad plura a-
lia vt manifestauimus in nostro epitomate in 4. metaphys. in
tra. 2. in capitu. 1. vbi sex rationibus arguitur contra negantem
primum principū.

Positis & probatis his tribus conclusionibus, soluenda sunt
duo dubia. primum est contra conclusionem secundam, & se-
cundum est contra tertiam.

Dictum est in secūda conclusionē, q̄ primū principū nō est
demonstrabile absolute. Cōtra, propter q̄ vnumquodq; & illud
magis, sed propter primū principū, ad quod reducitur cōclu-
siones, ipse conclusiones sunt demonstrabiles; ergo multo ma-
gis primū principū est demonstrabile.

Respondetur. Illa regula p̄pter q̄ &c. nō valet nisi predicatū
in quo sit cōparatio, cōueniat, & verificetur de vtroq; cōparato-
rum, q̄ si tantū vni conueniat, argumentū nō valet. v. g. si arguit-
sic, propter quod vnumquodq; & illud magis, sed propter ignem
aqua est calida: ergo ignis est magis calidus, argumentum
valet, quoniam vtraque istarum est vera. Ignis est calidus, &
aqua est calida, si autem arguant sic, propter quod &c. sed pro-
pter albedinem paries est albus: ergo albedo est magis alba.
Argumentum non valet, quoniam hæc est falsa, albedo est

QVAESTIO X. 70

alba. Sic in proposito argumentum non valet, quoniam licet
hæc sit vera. Conclusio est demonstrabilis. Hæc tamen est falsa.
primum principū est demonstrabile.

Dictum est in 3. conclusionē, quod est demonstrabile redar-
guitiue, quia negans potest deduci ad hoc incōueniens, quod
contrariæ essent simul in eodem. Sed hæc ratio non videtur
efficax, quoniam videtur petitio. Nam omnis ratio deducens
ad impossibile, cuius conclusio non est manifestior in falsitate
quam præmissa interimenda: est petitio. Sed consequens rati-
onis Arist. non est magis incōueniens, quam antecedēs. Nam
qui concedit contradictoria esse simul vera, multo magis con-
cedet contraria posse simul esse in eodem.

Respondetur. Anto. Andr. in 4. q. 4. dicit quod philosophus
non inducit hanc rationē ad negantes, sed ad recipientes pri-
mum principū, probando quod sit firmissimum.

Sed hæc responsio non est ad mentem philosophi, quoniam
Commen. introducit hanc rationem contra negantes. Vnde
inquit in commen. 9. Contingit enim dicēti hoc scilicet quod
contradictoria sunt simul vera, opinari quod duo contraria
existent simul in eodem in actu.

Et ideo aliter respondeo: & dico quod negans primū prin-
cipū, existimat maius incōueniens duo cōtraria esse simul,
eo quod hoc repugnat ad sensum, videmus enim quod vnum
expellit alterum, non autem expugnat sensui nisi quia cōtra-
ria in actu perfecto, habent repugnantiam adinuitem, ergo
in quocunque inueniatur, siue in materia, siue in sensu, siue in
intellectu erunt repugnāta, & per consequens, notius erit ne-
ganti primū principū cōtraria non posse esse simul in eo-
dem, quam quod contradictoria non sint simul vera. Nam duo
contradictoria non cadunt sub sensu, cum alterum sit non ens,
quod non cadit sub obiecto alicuius sensus, sed bene duo con-
trariæ vt patet de duabus qualitatibus sensibilibus contrariis.
Hæc de presenti quæsto dicta sunt.

*Explicunt quæstiones Fratris Chrysostomi Iacelli
Canapicij ord. præd. philosophie, & sacre
Theologie professoris in 4. libro
metaphysicæ.*

QVINTI METAPHY.

Incipiunt quaestiones eiusdem in 5. libro metaphisicæ
In 5. libro resoluenda sunt infra scripta Quæstia.

- 1 Si principium & causa sunt idem conuertibiliter.
- 2 In quo consistat causalitas siue ratio causæ materialis.
- 3 In quo consistat causalitas formæ.
- 4 In quo consistat causalitas efficientis.
- 5 In quo consistat causalitas finis.
- 6 Si finis est causa, ut habet esse in anima uel extra.
- 7 Si idem effectus numero, potest produci à pluribus cau-
sis perfectis & eiusdem ordinis.
- 8 Si causæ sunt sibi inuicem causæ.
- 9 Si causa in actu, et effectus in actu, simul sūt & nō sunt.
- 10 Si materia prima est proprie elementum.
- 11 Si philosophus sufficēter numerauit omnes modos na-
turæ.
- 12 Si necessaria habent causam efficientem.
- 13 Si diuisio secunda unius est logica.
- 14 Si hæc propositio, unū numero sunt, quorū est materia
una, est uera uniuersalitatē, uel tantū particulariter.
- 15 Si materia signata uel hecitas est principium indiui-
duationis in rebus materialibus.
- 16 Si prædicamēta distinguuntur secundum diuersos mo-
dos predicandi.
- 17 Quæ substantia sit genus generalissimum: & quæ sit
ratio sua.
- 18 Si plura accidētia eiusdem speciei possunt esse in eodē.
- 19 Si cuiuslibet potētia actiua, correspondet potētia passiua.
- 20 Si diuisibilitas est propria ratio quantitatis.
- 21 Si modi relatiuorum, sunt bene assignati à philosopho.
- 22 Si relatio distinguitur realiter à fundamento.
- 23 Si ultima prædicamēta, dicunt absolutū uel respectum.

Omnes enim causæ principia. Tex. 1.

QVAESTIO I. 71
QVAESTIO PRIMA.

Si principium, & causa sunt
idem cōuertibiliter.



IRCA hanc questionē aduerte, quod dif-
ficultas cōsurgit ex eo quod philosophus
dixit in 4. metaphy. tex. 3. quod ens & unū
se adinucē consequuntur ut principium &
causa &c. Igitur pro resolutione quæstio-
nis, quatuor agēda sunt. Primo declarabitur
ratio principij & causæ, loquēdo absolute
& metaphy. Secundo declarabitur mens

philosophi circa hoc propositū. Tertio ponentur duæ conclu-
siones responsiue. Quarto soluetur quoddam dubium.

Quantū ad primū aduerte qd principium ut principium, impor-
tat processum unius ab altero, inter quæ distinctio realis, unde
quocūque modo processum ille ponatur, siue secundū ordinē, ut
dies procedit à mane, siue secundū doctrinam ut scientia pro-
cedit à suis principiis, & conclusio à præmissis, siue secundū ef-
ficientiam, ut calor in aqua procedit ab igne, in quolibet taliū
modorum, id quod procedit, dicitur principiatū, id à quo pro-
cedit dicitur principium. Abstrahit autē à prioritate, & efficien-
tia: distinctio essentiali. A prioritate quidē, quoniam non est
necesse in omni natura principium esse prius principiato, sicut
tenent Theologi, patrem esse principium filij, non tamē priorem
filium, ab efficientia uero, quoniam non est necesse omne princi-
piatum esse à suo principio effectiue. Constat enim quod dies
principiatur à mane, & motus à termino à quo: & tamen dies
est effectiue à solo moto, & motus à mouente. A distinctio
essentiali uero, quia stat principiatum distingui sola relatione
à principio: & non essentialiter ut tenent theologi de personis
diuinis. Dicemus ergo, quod absolute principium est illud à
quo alterum quocumque modo procedit, siue specificatione
prioritatis aut efficientiæ, aut distinctio essentiali.

Causa uero ut causa absolute, dicit dependentiam unius ab
altero, cum prioritate & distinctio essentiali. Dico depēden-
tiā, quoniam causa est illud ad cuius esse sequitur aliud: & quod
insluit super causatum. Dico cum prioritate, quoniam necesse
est causam præcedere effectum saltem prioritate naturæ. Dico

cum distinctione essentiali, quoniam nihil seipsum causat, ideo inter causam & causatum necessaria est distinctio realis & essentialis: & per consequens causatum est posterius causa, quoniam nihil seipsum comunicat alteri distincto essentialiter, nisi supponatur esse: & per consequens est prius natura. Constat igitur quod causa duo addit super rationem principij, scilicet prioritatem & distinctionem essentialem.

Quantum ad secundum scilicet quid circa hoc senserit philosophus, adverte quod philosophus de ratione principij tria cognouit. Primo quod est communis quam causa. Cognouit enim punctum esse principium linee, non tamen causam quoniam maxime esset causa materialis, pura pars componens lineam, sed hoc est falsum, quoniam ex 6. physic. nullum continuum componitur ex indiuisibilibus. Cognouit manere esse principium diei, non tamen causam, ut patet. Et ideo dicit Comment. in 5. lib. metaphy. commen. 4. Principium autem est quasi uniuersalius causa, cum dicatur de principij transmutationis: & de 4. causis. Cognouit secundo quod inter principium & principiatum est necessaria distinctio realis, cum inter ea sit relatio realis. Cognouit 3. quod principium est prius principiato, eo quod apud ipsum non fuit notum, quomodo sit possibile principium & principiatum esse idem essentialiter. Hoc enim verificatur apud theologum solum de diuina personis & propterea apud philosophum, principium productiuum & effectiuum non distinguitur a causa productiua & effectiua, sed sunt idem conuertibilia, quoniam non cognouit aliam productionem, nisi per distinctionem essentialem inter producens & productum, unde apud ipsum, omne principium productiuum est causa productiua, & e converso: & sic patet quod licet apud ipsum, principium in sua ueritate sit communis quam causa, tamen principium in specie pura principium productiuum non est communis quam causa productiua, non enim potuit altius ascendere ex sensatis.

Quantum ad tertium ponuntur duae conclusiones responsive. Prima conclusio. Principium ut principium non conuertitur cum causa. Quoniam causa contrahit rationem principij, addit enim prioritatem & distinctionem realem essentialem, ut declarauimus, ergo &c. Preterea, principium predicatur de his quae non sunt causa, ut punctus est principium linee, & instans temporis: & terminus a quo, motus: ergo non conuertitur cum causa.

Secunda conclusio. Principium productiuum secundum philosophum, non tamen secundum ueritatem conuertitur cum causa produ-

ctiua, nam philosophus non potuit deprehendere ex sensatis, quod producens sit eiusdem essentiae cum producto, ergo secundum ipsum omne principium productiuum est causa productiua & e converso. Dixi non tamen secundum ueritatem, quoniam fides tenet oppositum, cui non subest falsum. Sed id considerare est altioris negocij.

Quantum ad quartum aduerte quod dubium insurgit contra primam conclusionem. Quod est tale, stante prima conclusione uidentur philosophi sibi contradicere in lib. 4. in tex. 3. ubi inquit ens & unum sibi inuicem consequuntur ut principium & causa, unum autem & ens sunt idem conuertibiliter, ut probatum est in 4. lib. ergo similiter principium & causa: ergo principium non est communis causa.

Respondetur. Dicunt aliqui, quod philosophus posuit illud gratia exempli, non quod ita sit. Sed melius est dicere, quod philosophus illic accipit principium, non in sua uniuersalitate, sed secundum suam familiaritatem: acceptio enim famosiore autem acceptio est de causis extrinsecis, qualis est causa efficiens, ut dicit Comment. in 5. lib. comen. 4. Superius ergo pro principio productiuo, dico quod secundum philosophum, ut declarauimus, est idem conuertibiliter, cum causa productiua, uolo enim quod sicut accipit principium e converso, sic accipiat causam contractam: & sic patet quod nulla est contradictio in philosopho. Nam haec duo non contradicunt, principium ut principium & causa, ut causa, non sunt idem conuertibiliter, principium contractum ad principium productiuum & causa contracta ad causam productiuam sunt idem conuertibiliter. Haec de praesenti quaestione dicta sunt.

Quaestio 2. in quo consistat causalitas siue ratio causae materialis.

Causa uero, uno modo dicitur, ex quo sit aliquid ut in existente, ut res statuae. Textu. 2.

In hac quaestione tria agenda sunt. Primo uidentur est, in quo essentialiter consistat causalitas causae materialis. Secundo in quo consistat modus huiusmodi causalitatis. Tertio solentur quaedam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quod in eo consistit essentialiter causalitas materiae, sumendo materiam pro quolibet receptiuo formae, tam substantialis quam accidentalis, per quod est causa distincta, contra causam efficientem formalem, & finalem. Hoc autem est recipere & conseruare formam siue sustinere, ita quod materia causare, non est aliud quam recipere & sustinere formam. Quod sic declaratur. Materia est causa,

vel quia producit formam, & hoc non, quia hoc spectat ad agens, ut declarabitur in lib. 7. producens enim totum siue compositum per accidens producit formam eius, vel quia dat esse formaliter ipsi formæ, & hoc non, quia hoc spectat ad actum. Dicemus enim infra, ideo forma dat esse, quia est actus in materia, materia autem est potentia, & non actu. Vel quia ad ipsam ordinatur forma, & hoc non quia id ad quod aliud ordinatur, perfectius est eo, constat autem materiam esse imperfectiorem formam. Unde forma verius dicitur finis materix, quam econverso. Vel quia recipit & sustentat formam, & hoc est verum à sufficienti divisione. Præterea, cum materia sit potentia passiva in eo consistit sua causalitas quod convenit potentix passivæ ex natura sua. Potentix autem passivæ convenit recipere, ergo &c.

Quantum ad secundum dico quod modus causalitatis materix consistit in limitare & restringere amplitudinem forme quæ recipit, pro quo adverte, quod si daretur forma receptibilis in materia extra materiam, haberet omnem perfectionem & omnem gradum debitum nature suæ, ut si esset calor separatus, esset perfectissimus calor, ex hoc autem quod recipitur in materia, necesse est ut proportionetur capacitati materix, ex consequenti quod non recipiatur secundum omnem esse debitum sibi ex natura sua, sed secundum dispositionem materix. Hinc est, quod forme separate à materia, dicuntur habere quandam infinitatem, quia nullo modo terminantur nec arctantur ex materia, ex opposito forme materiales dicuntur finitæ, quia restringuntur ex diversâ capacitate. Dicimus igitur quod materia ideo est causa, quia recipit & sustentat formam. Ex hoc autem quod recipit formam, ad ipsam consequitur talis modus, qui est limitare formam, & per se limitare, non intelligas quod materia aliquid det formæ, nec influat, nec perficiat formam, sed limitare formam, est recipere eam proportionaliter capacitati suæ, & non secundum totum esse debitum nature talis formæ. Et in his stat causalitas & modus causalitatis ipsius cause materialis prout distinguitur contra alia genera causarum. Et adverte quod in hac de determinatione secutus sum doctrinam Capreoli in 1. sent. dist. 4. q. 1. artic. 7. ad argumenta facta contra tertiam conclusionem in primo loco.

Quantum ad tertium adverte tria dubia quæ consurgunt contra demonstrationem factam.

Primo videtur quod materia nullo modo sit causa: quoniam materia

materia ut materia potentialitate dicitur, potentialitati autem repugnat causalitas, quoniam causare supponit esse actu. Cum igitur materia ut materia non habeat esse actu, nullo modo est causa.

Respondetur, potentialitas significat esse in potentia, quod non repugnat, nisi causalitati agentis, eo quod unumquodque est agens, in quantum est actu, ex lib. 9. metaph. Agere enim supponit esse & causalitati formæ, eo quod forma est actus & dat esse actu. Non autem repugnat causalitati materix, eo quod materia est causa in quantum est receptiva formæ, esse autem receptivum, dicit potentiam passivam & esse potèntiale, nec repugnat causalitati cause finalis, ut declarabimus infra, agentes de causalitate finis.

Secundo non videtur quod sustentare formam sit de causalitate materix, nam si esset de causalitate eius, ergo omnem formam in se receptam sustentaret, hoc autem est falsum respectu anime intellectivæ, quæ non pèdet à materia, propter sui incorruptibilitatem.

Respondetur, licet sustentare formam conveniat materix, ut est receptiva formæ, non tamen eadem ratione, nec eodem modo respectu cuiuscumque formæ. Nam quo ad formas eductas à potentia materix, sustentat eas, quo ad esse, & quo ad actum informandi, quoniam si separantur à materia desinunt esse, & desinunt informare. Quantum autem ad animam intellectivam, non sustentat eam quo ad esse, supposito enim quod sit incorruptibilis, separata à materia adhuc stat in esse, utrum vero sit incorruptibilis, manifestavimus in lib. de anima, & iterum manifestabitur in lib. 12. metaph. ad mentem Arist. sustentat autem eam quo ad actum informandi, eo quod separata non est actu forma corporis. Dicemus ergo quod causalitas materix consistit in receptione formæ, & sustentatione eiusdem quo ad esse, vel quo ad actum informandi.

Tertio non videtur quod materia habeat limitare formam, omne enim quod est sui natura habet esse limitatum, non indiget aliquo extrinseco limitante. Sed omnis forma creata, sive materialis, sive immaterialis, cum sit finitæ & determinate nature, ex sui natura habet limitatum esse, ergo &c.

Respondetur, esse limitatum sumitur dupliciter, primo ut opponitur illimitato simpliciter, quod est absolute infinitum, & sic excelsitur omne formam creatam habere esse limitatum, nec indigere aliquo extrinseco limitante, quasi quod ipsa sit simpli-

eter & secundum se illimitata secūdo ut opponitur illimitato secūdo quid, puta albedo ut tria, opponitur summæ albedini, sicut limitatum illimitato secūdo quid, & sic nego omnem formam creatā habere esse limitatum ex sui natura, immo ex se habet esse illimitatū secūdo quid, quoniam si existeret, nō recepta in materia haberet omnem gradum perfectionis convenientis sibi ex natura sua. Ad hoc ergo quod limitetur ad certum gradum indiget materia, quæ non recipit, nisi secundum quod est capax formæ, verum est ergo materiam limitare formam. Hæc de præsentī quæstio dicta sint.

Quæstio 3. in quo consistat causalitas formæ.

Alio vero species & exemplum. Text. 1.

In hac quæstione tria agenda sunt. Primo in quo consistat causalitas formæ, siue causæ formalis. Secundo in quo consistat modus siue proprietas huius causalitatis. Tertio soluentur quedam dubia.

Quantū ad primum, dico quod consistit in hoc, quod est facere rem existere actu quæ prius erat talis in potentia. Pro quo adverte, quod ut dicit Arist. in 1. phys. tex. 11. tam in artificialibus, quæ in naturalibus, nihil est actu tale in specie sua, ante aduentum formæ in subiecto vel in materia. nullus enim dicit lignum esse scannum, nisi receperit formam scanni, neque carnē esse actu carnē, nisi habeat formam carnis. Idē intellige in accidentalibus. Non enim aqua est actu calida, nisi per actualem receptionē caloris, ex hoc ergo quod nos videmus artificiata & naturalia composita, siue substantialia, ut lapis, homo, lignum siue accidentalia, ut homo albus aqua calida &c. nō prius transire suam, deprehendimus formā ideo esse causam quia facit rem esse actu, quæ prius erat in potentia facit autē rem esse actu, quia dat sibi esse tale. Ex hoc autē quod facit rem esse actu, est constitutiva rei in sua propria & determinata specie & ab eadem sumitur differentia completiva definitionis. Dicemus ergo quod causalitas formæ cōplectitur hæc omnia, dare esse rei, facere rem, existere actu, quæ prius erat in potentia. Constituire rem in propria specie, eo quod ab ipsa sumitur differentia specifica.

Quantum ad secundum adverte quod sicut modus causalitatis materiæ stat in hoc quod est limitare amplitudinem formæ, ut declarauimus in quæstione præcedenti, sic modus causalitatis

formæ stat in hoc quod est arctare materiam, siue potentialitatem suam. Pro quo adverte secundum doctrinam b. Tho. in 1. par. q. 7. art. 1. quod ex receptione actuali formæ in materia, materia arctatur pro quāto ante aduentū huius formæ erat in potentia ad varias formas, postquam autem hanc recepit, quandiu est sub ista, nō potest aliā recipere, aliter opposita disparata se cōparentur in eodem, & id intellige non solum de materia prima in naturalibus sed & de materia artificiari, & de subiecto accidentis, nam postquam lignum est sub forma archæ, non potest aliam formam recipere quandiu est sub illa, & postquam paries recepit albedinem, non potest alium colorem recipere, quandiu sub albedine steterit.

Arctare ergo materiam, est proprietas consequens causalitatem formæ.

Quantum ad tertium adverte duo dubia, primum est contra causalitatem formæ, secūdo est contra modum causalitatis,

Contra determinationem causalitatis arguitur sic, facere rem esse actu, siue dare esse conuenit causæ efficiēti. Nam homo generans hominem, facit hominem esse actu, qui prius erat in potentia. Cum igitur debeatur esse distinctæ causalitates formæ & efficiētis, videtur fuisse male assignata causalitas formæ.

Respondetur, utriūque dat esse, sed diuersa ratione, nam forma dat esse formaliter, id est seipsa & non per actionem, nam esse naturali sequela, sicut à forma, efficiens autem dat esse effectiue per actionem quæ erigitur ab efficiēte, vel sic forma dat esse ut principium iointersecum, efficiens autem dat esse ut principium extrinsecum.

Contra modū siue proprietatem causalitatis, arguitur sic, si ex proprietate formæ arctare materiam, ergo arctabit omnem materiam in qua recipitur, quod tamen est falsum, quoniam non potest forma cœli arctare materiam cœli, complet enim & omnino perficit ipsam, ita quod tantum perficit, quantum perfectibilis est.

Respondetur, & dico quod hæc proprietas conuenit formæ particulari, quales sunt formæ inferiores, quæ non adæquant totam potentialitatem materiæ, forma autem cœli est forma vniuersalis, continet enim virtualiter omnes formas inferiores materiales, & ex sua vniuersalitate terminant omnem potentialitatem materiæ cœli. Potest etiam aliter dici quod hæc

QVINTI METAPHY.

proprietates verificatur respectu cuiuscunque materie capacis plurimum formarum successiue, quod non conuenit materie cœli, supposito quod sit alterius rationis à materia inferiorum. De hoc autem loquimur in libro 8, Hęc de presentibus quæstio dicta sint.

Quæstio 4. in quo consistat causalitas cause efficientis.

Amplius, vnde principium permutationis primum aut quietis. Textu 2.

IN hac quæstione tria agēda sunt. Primo pertractabitur quedam opinio quam non credo veram. Secundo pertractabitur opinio quam credo esse de mente b. Tho. Tertio soluetur quedam dubia.

Quantum ad primum aduerte qd causalitas agentis, secundum omnes, in eo consistit, quo posito, est causa condistincta contra alia genera causarum, & quo remoto, nulla alia ratione est causa. Quid autem sit illud, est vna opinio, quam recitat Herueus in 4. quolibet. q. 8. Hęc dicit, quod actio est causalitas agentis, quia agens actione agit. Item denominatur agens ab actione. Item quia actione posita, ponitur agens, & ea remota remouetur, ergo &c.

Sed hęc opinio non est vera, quoniam causalitas agentis, nō est effectus agentis, sed actio est effectus agentis, cum sit realiter idem cum re facta, vt probabitur in lib. 9. ergo &c. Maior autem sic probatur, causalitas agentis est ratio ipsi agēti, vt sit causa. Sed ratio rei præcedit omnem effectum suum, vt patet, ergo &c. Præterea, remota actione, adhuc stat causa agens & efficiens, nam de rana genita, adhuc est verum dicere quod pendet à sole, vt ab efficiente, ergo in actione non stat causalitas agentis. Et ad rationes huius opinionis, responderetur vnico verbo, quod concludunt actionem siue in præterito siue in presenti, siue possibilem in futuro, esse necessario requisitam in causa efficiente, non tamen concludunt, quod sit primum præstans causalitatem efficienti, sicut non datur mouens sine motu, tamen non dicitur primo mouens propter motum, sed propter potentiam motiuiam, nec est verū, quod remota actione actuali, remouetur causa agens, vt diximus de rana genita, sufficit enim quod actio sit, vel fuerit, vel possit esse.

Quantum ad secundum aduerte, quod apud Thomistas causalitas agentis consistit in hoc, quod est efficere vel producere

QVÆSTIO IIII.

76

tem siue secundum totam substantiam, siue secundum partē, siue secundum accidens. Primo dicitur efficere vel producere rem, quoniam in hoc distinguitur à materia, cuius causalitatem diximus consistere in recipere formam, & distinguitur à forma cuius causalitatem diximus consistere in hoc, quod est dare esse formaliter et cuius est forma, & distinguitur à fine, cuius causalitas, vt dicemus, consistit in hoc quod est esse id gratia cuius &c. Et aduerte quod hęc tria videntur esse idem, dare esse rei productiue & non formaliter. Deducere rem ad esse, efficere rem, & per vnumquodque istorum solemus manifestare causalitatem agentis, vt distinguitur ab aliis generibus causarum. Dicitur secundo, siue secundum totam substantiam, quoniam agentium quoddam producit totam rem, vt agens primum. Quoddam producit partem, puta formam, vt agens naturale, quod materiam supponit in generatione substantiali. Quoddam producit tantum accidens, vt ignis calefaciens aquam in generatione accidentali. Item aduerte, quod ly efficere rem multipliciter contingit, scilicet cum nouitate essendi, vt si mundus est productus in tempore, vel sine nouitate, vt si mundus est productus ab æterno per simplicem emanationē, quæ est propria actio Dei, vel per motum & mutationem instantaneam, quæ conueniunt agenti naturali per generationem substantialem, vel per solum motum, vt quando agens supponit rei substantiam, causans in re quantitatem, vel qualitatem &c. Et aduerte quod in hac determinatione secutus sum doctrinā Heruei in 2. quolibet. q. 1. vbi inuestigat causalitatem cause efficientis & finalis, & hanc viam puto esse ad mentem b. Tho. vt patet in 5. metaph. in expositione tex. 1. ibi, & adiuuicem cause, vbi exponens inquit, efficiens est causa finis, finis autem est causa efficientis, efficiens est causa finis, quantum ad esse quidem, quia mouendo producit efficiens ad hoc quod sit finis, finis autem est causa efficientis, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis. Nam efficiens est causa, in quantum agit, non autem agit, nisi causa finis &c. & intendit per agere, rem efficere vel ad esse producere, vel tribuere esse effectiue & non formaliter.

Quantum ad tertium aduerte duo dubia quæ insurgunt contra determinata.

Primo videtur quod secunda opinio coincidat cum prima, nam hęc videntur esse idem. Actio, agere, efficere rem, dare

esse effectiue, causare effectiue, sed per secundam opinionem. causalitas agentis consistit in agere, siue efficere rem ergo consimiliter consistit in actione.

Respondetur, cum actio & agere siue efficere, se habeant vt abstractum & concretum, dico quod differant quantum ad modum significandi, actio enim significat formam, quae est actio, agere autem significat habere actionem, & efficere rem, significat habere efficientiam super rem. Ad argumentum ergo, nego quod sint idem, quantum ad modum significandi, & ideo non inconuenit quod in concreto dicant causalitatem agentis, non autem in abstracto.

Secundo videtur, qd efficere siue agere rem, non dicat causalitatem agentis, nam causalitas agentis verificari debet de quolibet agente, sed efficere rem non verificatur de quolibet agente, dicimus enim in lib. 9. quod sunt quaedam agentia, quorum finis non est aliquid operatum, sed ipsa operatio: vt citharizare, videre, audire, appetere. De his ergo non est verum quod efficiant rem, cum nihil praeter operationem efficiant, nec alicui effecto siue producto dant esse, ergo &c.

Respondetur, efficere rem, principaliter verificatur de agente aliquid producere ultra actionem, quale est agens primum & agentia naturalia, secundario autem verificatur de agente, nihil producere ultra actionem, quale est agens actione immanenti, nam actio immanens aequipollens rei productae, & est verus effectus agentis in quo, & subiectiue recipitur. Ad argumentum nego minorem. Ad probationem dico, quod respectu agentium quorum finis est ipsa operatio, res effecta, & cui agens dat esse, est ipsa operatio, cum sit effectus agentis, & sic patet qd causalitas assignata agenti, verificatur de quolibet agente. Vtrum autem per actionem immanentem aliquid ultra actionem producat, manifestabitur in lib. 9. Haec de praesenti questione dicta sunt.

Questio 5. in quo consistat causalitas causae finalis.

Amplius vt finis, hoc autem est quod est cuius causa. Text. 2.

IN hac questione tria agenda sunt. Primo proponitur quaedam distinctio. Secundo ponuntur duae conclusiones responsivae. Tertio soluentur quaedam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, qd finis potest ad duo com-

parari. Primo ad agens intendens & operans propter finem. Secundo ad media ordinata ad consecutionem finis, puta sanitas potest comparari ad medicum, & ad medicinam.

Quantum ad secundum, sic haec prima conclusio. Comparando finem ad causam agentem propter finem, causalitas eius est esse illud, cuius amore, vel desiderio, vel delectatione aliquid agitur ab alio. Hanc conclusionem primo declaro, deinde probabitur. Aduerte igitur quod de natura finis est imprimere sui amorem & inclinationem in ipso agente, quibus trahitur ad operandum, & id patet ad sensum, nisi enim finis alliceret agentem, agens non ageret & propterea consuetum est dici, quod finis mouet agentem. Aduerte insuper quod ly agitur ab alio, non sumitur solum pro fieri vt distinguitur ab esse. Sed etiam pro eo quod est esse effectiue ab alio, quod competit rei creatae secundum totam suam durationem in esse, respectu primi agentis. Hanc conclusionem sic proba. causalitas finis, secundum philosophum, vbicunq; loquitur de siue, est esse id, gratia cuius aliquid fit, sed esse id gratia cuius non est aliud, quam esse illud, cuius amore aliquid agitur ab alio, & effectiue habet esse ab alio, nam esse id, gratia cuius est esse amatum ab agente, esse amatum ab agente infert quod ex amore agitur ab agente, ergo &c.

Secunda conclusio est: Comparando finem a media ad finem, eius causalitas consistit in hoc, quod est dare rei ordinatae in finem quandam bonitatem & amabilitatem, ex hoc quod ordinatur in finem, praeter eam quam habet ex natura sua. Hanc sic declaro, sanitas desiderata ab infirmo, dat medicinae dulci quaedam bonitatem & amabilitatem, in quantum ordinatur ad causandam sanitatem, ita quod etiam si non sit dulcis, immo abominabilis & foetida, amatur & desideratur in ordine ad sanitatem, sublato autem hoc ordine, reicitur, vt quid horrendum. Idem experimur in quibuscuq; aliis mediis arduis & difficilibus, quae in ordine ad finem desideratum, inuoluntate difficultatem suam. Haec conclusio adeo est manifesta omni vrenti ratione, quod non indiget alia probatione.

Quantum ad tertium aduerte tria argumenta contra determinationem factam satis apparentia.

Primo, agere amore alicuius, conuenit agenti per intellectum & voluntatem. Sed non omne agens est agens per intellectum & voluntatem, vt patet de agente naturali, & irrationali,

QVINTI METAPHY.

ergo non omnis finis correspondens agenti est illud amore cuius aliquid agit.

Respondetur, cum dicimus finem esse illud cuius amore &c. non sumitur ly amore pro actu appetitus sequente cognitionem, sed pro appetitu naturali impresso in omnibus agentibus & mouētibz effectus suos in determinatum finem præstitutum sibi ab agente primo, quod est agens per intellectum & voluntatem.

Secundo imprimere amorem & inclinationem in agente, dicit causalitatem causæ effectiuz, sic enim imprimere, est rem puta amorem efficere, ergo causalitas finis coincidet cum causalitate agentis, quod est falsum cum sint distincta genera causarum.

Respondetur, imprimere amorem in agente dicit causalitatem effectiuam metaphorice, sed non proprie. Metaphorice dico, quoniam finis trahit agentem, ac si esset causa efficiens, non repugnant autem causalitas finalis, & causalitas effectiua metaphorica, vel potest dici, quod non inconuenit idem habere causalitatem effectiuam & finalem, diuersa tamen ratione, sicut non inconuenit, idem habere causalitatem formalem, & effectiuam, diuersa ratione. Nam calor in igne, dat igni esse calidum formaliter, & dat aquæ esse calidum effectiue. Sic sanitas, in quantum imprimat sui amorem in infirmo, habet causalitatem effectiuam, in quantum est perfectiua infirmi, & propter ipsam suscipit medicinam, quæ facit esse amabilem, habet causalitatem finis.

Tertio, mouere supponit esse. Sed finis vt causa non semper est, quoniam plerunque actione agentis produciuntur, vt dicimus in questione sequenti, ergo non est verum vniuersaliter, quod finis moueat agentem.

Respondetur. Ad motionem metaphoricam sufficit esse potentiale cum apprehensione, ad motionem realem requiritur existentia finis, & si non proximi, saltem præcedentis, verbi gratia. Sortes infirmus desiderat sanitatem, & hanc propter conseruationem sui in esse, & hanc propter filios paruulos, licet autem sanitas non sit, ipse tamen est, & filij sunt. Ad argumentum ergo dico ad minorem, quod licet finis proximus non semper sit aliquis, tamen præcedens est, & sufficit, & dato quod finis proximus non sit in actu, est tamen in potentia cum apprehensione, quod est possibilis acquiri, & hoc sufficit. Aduer-

QVAESTIO VI.

te tamen quod id magis clarum erit ex questione sequenti. Hæc de præsentibus quæritur dicta sint.

Quæstio 6. si finis est causa vt habet esse in anima vel extra animam.

Amplius autem quemadmodum finis. Text. 2.

In hac questione pertractanda sunt opiniones, & secundum tertiam determinabitur quæsitum, deinde soluentur quædam argumenta.

Prima opinio est Auicæ. in libr. 6. suæ metaphysicæ. cap. 15. qui tenet, quod est causa vt habet esse in anima: & probat duplici ratione.

Primo, finis vt habet esse actu extra animam, est causatus, quoniam est effectus agentis propter finem, vt sanitas causata in infirmo, ergo non est causa.

Secundo ideo finis est causa, quia est causa quod alie causæ causent. Nam propter finem intentum agens agit, & forma dat esse, & materia recipit formam, sed postquam productus est finis non est causa quod alie causent, quoniam iam causantur, ergo &c. Hanc opinionem communiter sequuntur moderni Thomistæ, vnde & Paulus Soncinas in 5. metaphysic. q. 3. idem probat quatuor rationibus, quæ coincidunt cum rationibus Auicæ, verum quid veritatis contineat hæc opinio, declarabitur in tertia opinione.

Secunda opinio est cuiusdam moderni, qui dicit duas esse condiciones finis, scilicet mouere agentem ad operandum vt consequatur finem, & quietare desiderium agentis. quantum ad primam conditionem, dicit quod finis mouet, nõ vt productus ad extra sed vt habet esse in anima per apprehensionem, & probat vt probauit Auicæ. Quantum ad secundam dicit, quod necesse est ipsum esse actu, & acquisitum ab agente. Nam donec producibilis aut acquisibilis est, non quietat, vt patet de mercatore non quiescente, donec lucrum fecerit.

Sed hæc nihil sunt ad rem. Non enim finis vt causa habet quietare, sed mouere agens & facere media amabilia. Quietare autem essequitur sui productionem, siue acquisitionem. Non differt ergo hæc opinio à prima quantum ad id in quo consistit formaliter ratio causalitatis finis.

Tertia opinio, quam reputo veram & resolutam ad mentem b. Tho. & Commenta. dicit quod finis complectitur duo.

Primo id per quod est causa. Ex est illud per quod mouet agens. Secundo illud sine quo non moueret agens. & dicitur conditio necessario requisita. Causa finalis habet primum ab esse reali ad extra producibili vel acquisibili. Puta, sanitas possibilis realiter causari in infirmo, est id quod mouet medicum. Ideo enim medetur, vt sanitatem potentialem reducat ad actum. & athleta pugnat, vt acquirat brauium propositum, secundum autem habet ab esse in anima. Nam si medicus non apprehenderet sanitatem, vt possibilem causari in Socrate, & postquam erit producta, perficiet Socratem, non moueretur ad medendum, & athleta, nisi apprehenderet se posse consequi brauium non decertaret. Et hanc opinionem reputo magis resolutam, nec realiter discordat a prima, sed eam magis explicat. Sentias enim primae opinionis non est, quod finis sit causa solū quo ad esse in anima. Sed intendit quod finis possibilis produci vel acquiri, ita tamen quod sit apprehensus possibilis produci, habet rationem causae.

Et aduerte q̄ sequendo hanc determinationem, clare exponitur & verificatur dictum Comment. in 1. metaph. comment. 36. ubi inquit forma Balnei ad extra, mouet vt finis. & vt est in intellectu, agit desiderium. Sic exponitur forma Balnei producibilis ad extra, vel attingibilis aliqua actione nostra, mouet vt finis, id est habet rationem causae finalis, cuius est mouere agens. Vt autem est in intellectu, agit desiderium, id est, & quam nō potest causare desiderium in agente, nisi apprehēditur. ideo vt habet esse in intellectu agit desiderium. Ex esse ergo potenciali producibili vel attingibili ad extra, habet quod sit finis, ex apprehensione autem habet quod actu appetatur propterea dicitur apprehensio conditio necessario requisita.

Quantum ad vltimum, aduerte quod contra hanc determinationem sunt tria argumenta apparentia.

Primo sic, causa realis realiter refertur ad effectum suum, finis est causa realis, quia realiter causat: ergo inter finem vt est causa & effectum suum, est relatio realis. Sed relatio realis requirit extrema realia actu, vt dicemus infra, ergo finis vt est causa, debet esse actu ad extra, & non solum in potentia.

Respondetur ad hoc quod inter causam finalem, & suum effectum sit relatio realis, non sufficit solum esse potentiale ad extra, nec solum esse actu apprehensum, sed esse potentiale ad extra: vt stat sub actuali apprehensione, & dico quod

vt est producibilis & actualiter apprehensus est sufficiens ad fundandum relationē realem. Ad argumentū ergo nego illam consequentiam, ergo finis vt est causa, debet esse actu ad extra. Hoc inquam non est necesse, sed sufficit quod habeat esse potentiale cum actuali apprehensione. Ex his enim duobus simul iunctis tantam habet actualitatem, quanta sufficit ad relationem realem.

Secundo sic, causa non causat, nisi inquantum est ens, eo quod causare supponit esse: ergo si finis debet esse causa, est necesse quod sit. Sed antequam producat, non est: ergo antequam producat, non potest esse causa.

Respondetur licet hic inueniantur plures responsiones, melior videtur esse ista, non tanta entitas requiritur in causa materiali & finali, quanta in causa formali & effectiua, quoniam in his requiritur esse actu, eo quod forma quae non est, nō potest dare esse, similiter vnūquodque agit inquantū est actu. In materiali autē sufficit esse potentiale, eo quod materia est causa inquantū recipit formam. Recipit autem inquantū est in potentia, similiter finis est causa inquantū mouet agens ad sui productionem vel acquisitionem, ad hoc eutem sufficit quod sit apprehensus possibilis produci: & cum productus fuerit, sit bonum perfectum ipsius appetentis.

Tertio sic, ex 2. phys. tex. 31. finis vt est causa, habet rationem optimi. Sed antequā producat, non habet rationem optimi, cum tantum habeat esse potentiale: ergo antequam producat, non est causa.

Respondetur. Non dicit Arist. quod habet rationē optimi, sed quod inter causas est optima causa, eo quod dicit quodammodo causalitatem alii causis, vnde dicitur esse causa causari, stat autem quod habeat optimam causalitatem, & tamen non habeat optimum esse, nisi post productionem, aut acquisitionem. Hae de presenti quaelico dicta sint.

Quaestio 7. si idem effectus numero potest produci a pluribus causis perfectis eiusdem ordinis.

Contingit autem multas eiusdem causas, esse non secundum accidens. Tex. 2.

Circa hanc quaestionē aduerte quod potest sub duplici sensu pertractari. Primo sic, vtum idem effectus numero possit produci a pluribus causis perfectis & totalibus eiusdem



generis, & eiusdem ordinis, puta quod tres ignes quorū quilibet est sufficiens ad producendum ignem B. possit producere ipsum B. Secundo sic, vtrum effectus qui est productus ab A. si esset productus ab alia causa, an esset idem numero. Vtroque sensu intendo eam pertractare.

Quantū ad primum sensum duo agenda sunt. Primo declarandus est titulus quæstioni. Secundo ponitur cōclusio responsiua.

Quantum ad titulum aduerte, quod per ly perfectis & totalibus, intendo causas, quarum vnaqueque est sufficiens ad producendum effectum, ita quod non indiget alia causa concouasante, nam si indigeret alia, non totalis sed partialis esset, vt duo trahentes nauem, per ly eiusdem generis intendo, quod omnes sint efficientes, vel omnes formales &c. Nam si vna sit efficiens, alia formalis, iam non sunt eiusdem generis, per ly eiusdem ordinis, intendo quod omnes sint immediatæ & non subordinatæ, vt duo homines generātes. Nam si vna sit vniuersalis vt sol, & alia particularis vt homo, non est vtraque immediata, nec sunt eiusdem ordinis.

Quantum ad secundum ponitur hæc conclusio responsiua, licet eiusdem effectus numero possint esse multæ causæ, non totales, non eiusdem generis, non eiusdem ordinis, non tamen multæ totales eiusdem generis & eiusdem ordinis. Prima pars clara est, & ad sensum cōcessa, nam eiusdem tractus nauis contingit esse multos trahentes, eiusdem status est es causa materialis, figura causa formalis, artifex causa efficiens, eiusdem hominis geniti, causæ sunt Deus, sol, & homo, secunda autem pars sic probatur communitè ab omnibus, & præcipue ab Ant. And. in 5. metaphy. q. 1. quem ad litteram sequitur Paulus Soncinas in 5. metaphy. q. 6. Si eiusdem effectus &c. ergo effectus à nulla talium causarum dependeret essentialiter, consequens est falsum, quoniam de ratione determinati effectus est, vt essentialiter & per se à suis propriis causis dependeat, quoniam effectus alicuius causæ est effectus, consequentia autem sic deducitur, sic A. & B. totales & eiusdem generis ac ordinis ipsius C. Tunc sic, C. non dependet ab A., quoniam cum sufficienter habeat esse à B. totali causa sua potest esse sine A. nec dependet à B., quoniam cum sufficienter habeat esse ab A. totali causa sua potest esse sine B. ergo C. non dependet ab A., nec à B. essentialiter. Et aduerte quod hæc ratio non valeret, si A. & B. essent diuersorum ordinum, vt quæ sunt essentialiter subordinatæ, vt

sol, & homo, quoniam vt determinauimus in 1. lib. omnes simul requiruntur in productione effectus, aliter non seruaretur connexio causalitatis inter eas.

Quantum ad secundum sensum, præponitur quædam distinctio, deinde conclusio responsiua.

Distinctio est hæc, agens respectu alicuius effectus potest esse duplex scilicet agens per se & agens per accidens, agens per se est illud, quod ex sua virtute & causalitate influit in effectum vt ignis A. per suam formam influit in ignem B. ab ipso producto, deducens ipsum ad esse, agens autem per accidens, est illud quod nihil influit in effectum, vt muscus in quantum muscus edificans, nihil influit in edificato.

Conclusio responsiua sit hæc, licet effectus A. qui est à B. agente per accidens, possit idem numeri produci à C. agente per accidens, non tamen id verificatur respectu duorum agentium per se. Prima pars est cōmunitè concessa, & ad sensum patet, nam idem leo qui occisus est à Platone, potuit occidi à Socrate, ex consequenti eadem numero forma cadaueris causata à B., potuit causari à C., quia dispositio materialis quæ est in materia bouis & virtute cuius generatur forma cadaueris, est eadem numero à quocumque bos interficeretur, propter quod oportet forma cadaueris eius virtute genita etiam sit eadem, similiter Sortes componens ligna, per accidens generat ignem A., & si Plato esset componens eadem ligna, generaret per accidens A. secunda autem pars sic probatur à Capreolo in 2. di. 20. q. 1. ad tertium Scoti factum contra tertiam conclusionem, causa & effectus sibi proportionaliter correspondet, ergo sicut calidum est à calido, sic hoc calidum est ab hoc calido præcise, & hic homo, ab hoc homine præcise, aliter inter causam efficientem & suum proprium effectum non esset ordo per se, sed à casu, nec effectus determinatus haberet causam determinatam, sed indifferenter, ex quo potest esse ab hoc agente & ab alio. Alias probationes adducit Capreolus in eodē loco, quas omnes formalizat Paulus Soncinas in 5. metaphy. q. 6. & tu vide eas ad placitum, ne tempus conteram. Et aduerte quod hæc conclusio consonat philosopho in 8. lib. metaphy. text. 12. vbi tenet, quod diuersitas effectuum provenit propter diuersitatem materie proximæ & propter diuersitatem agentis proprii. Distincta ergo agentia non possunt eundem numero effectum producere. Præterea distincta agentia habent distinctas actiones, distincta



actiones terminantur ad distinctos terminos, qui sunt effectus ipsarum actionum: ergo distincta agentia necessario producent distinctos effectus, intelligendo de agentibus non partialibus, nec subordinatis, sicut hic intelligimus. Et adverte quod in epitomate in 2. de generatione in fine, tenet oppositum, nunc autem melius considerans determinavi pro parte negativa.

Sed contra hanc determinationem sunt aliqua argumenta apparentia, & quidem contra primum sensum sic communiter arguitur, sic minima materia combustibilis summe disposita, & applicentur tres ignes quorum quilibet sit sufficiens ad generandum ignem A, ex dicta materia. Tunc arguo sic A, ignis aut generabitur ex distincta materia, aut non: si non, ergo agente naturali debite approximato & materia debite disposita, non sequitur actio, quod est manifeste falsum, ut probabitur in libro 9. Si sic, cum non possit assignari ratio quare sit magis ab uno igne, quam ab alio, sequitur quod à tribus generabitur quorum quilibet ponitur sufficiens.

Ad hoc argumentum & Paulus sone. ubi supra, & Capreolus ubi supra, quasi eodem modo multipliciter respondent, & omnes concedunt, quod illa materia ignis erit, ergo autem dico quod non: & causa huius non esset, quod dicti ignes non essent debite approximati, nec quod materia esset indisposita, sed quia implicaretur contradictio, scilicet quia daretur effectus, quia nulla causarum suarum dependeret, supposito, (ut supponitur) quod quilibet eorum esset totalis & sufficiens.

Contra secundum sensum, arguitur sic, idem effectus numero est corruptibilis ab hoc agere & ab alio, ut patet, quod idem ignis potest extinguere ab hac aqua & ab alia, ergo potest generari ab hoc agente & ab alio, tenet consequentia, quia non videtur maior ratio hic, quam ibi.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem dico, quod est maior ratio hic quam ibi. Nam quod res desinat esse, contingit pluribus modis, quod autem producatur, contingit tantum uno modo, unde videmus solum edificatorem edificare domum, quam contingit pluribus modis destrui. Præterea, si omnes causas corruptivæ essent generativæ, sequitur eorum posse generari ab igne, & ab aqua, & à ligno, quoniam ab his omnibus potest corrumpi.

Item arguitur sic, si idem effectus numero, puta. Sortes generatus à Platone, non potuisset produci ab alio homine, ergo

inter individua eiusdem speciei, esset ordo per se & essentialis, cuius oppositum probatum est in secundo libro: quoniam in per se & essentialiter ordinatis, non est processus in infinitum individuis autem eiusdem speciei, est processus in infinitum, quare &c.

Ad hoc respondetur, concedo quod inter individua eiusdem speciei, est ordo per se causalitatis, in hoc sensu, quod A, ita est à B, quod non potest esse nisi à B, & B, ita est à C, quod non potest esse nisi à C, &c. non tamen concedo, quod inter ea sit essentialis ordo, quoniam, ut diximus in secundo libro, causa essentialiter subordinata, sunt diversarum naturarum, & una est formaliter perfectior altera, negatur ergo hæc consequentia, A, est per se à B, ergo A, essentialiter subordinatur B.

Plura alia argumenta, solent adduci, quæ videbis in questionibus Martij super libro 1. de gener. in q. 8. Hæc de præsenti quaestio dicta sint.

Quæstio 8. si causæ sunt sibiinvicem causæ.

Et adinvicem causæ sunt. Text. 1.

Circa hanc questionem adverte quod difficultas stat in quibusdam inconuenientibus, quæ videntur sequi ex hoc textu, & sunt tria. Primum si causæ sunt sibiinvicem causæ, ergo idem respectu eiusdem est causa & effectus, puta finis apprehensus possibilis produci, movet agentem, & ut sic respectu agentis est causa, in quantum autem producit in esse, est effectus agentis, ergo finis est causa agentis & est effectus eiusdem. Hoc autem videtur inconueniens, quoniam cum causa sit prior effectu, sequitur quod idem respectu eiusdem sit prius & posterius, puta finis comparatus agenti, ut est causa agentis, est prior agente, ut autem est effectus agentis est, posterior agente, & augetur difficultas ex eo quod causa est naturaliter prior effectu, & effectus naturaliter posterior, ex quo sequitur quod si idem respectu eiusdem est causa & effectus, ergo idem erit prius & posterius natura seipso, quod videtur penitus impossibile.

Secundo sequitur, quod cum effectus possit demonstrari per causam, si causæ sunt sibiinvicem causæ, quod efficiens potest demonstrari per finem, in quantum finis est causa efficiens, & finis per efficientem, in quantum efficiens est causa finis.

QVINTI METAPHY.

Hoc autem est inconueniens, quoniam tunc demonstratio esset circularis, quæ non admittitur ex. 1. poster.

Tertio sequitur quod idem sit causa sui ipsius, nam finis est causa agentis, & finis causatur in esse ab agente: ergo finis causatur seipsum. Tenet consequentia ex illa maxima, Quicquid est causa causæ, est causa causati à causa. Repugnat autem ex natura rei, idem esse causam sui ipsius: ergo &c.

Respondetur. Ad primum concedo, quod idem est causa & effectus, sed non in eodem genere causæ, unde finis est causa agentis, ut finalis, & finis est effectus agentis, ut effectus causæ productiue, & cōcedo quod idem est prius & posterius respectu eiusdem, sed nō eodem modo, nec eadem ratione. Nam finis est prior agente secundum intentionem & desiderium. Prius enim agens intendit & desiderat finem, quàm agat, est autem posterior quo ad esse actū, producit enim, vel attingitur actione agentis, nec augetur difficultas, ex eo quod idem erit prius & posterius natura seipso. Nā prius natura dicitur multipliciter, & pro nunc duo modi sufficiant. Primo aliquid est prius natura, quia est illud quod natura in sua actione supponit. Sic materia est prior natura, quàm forma, & forma est posterior: & finis est prior natura quàm agens, quoniam agens supponit finem, aliter non induceretur ad agendum. Secundo aliquid dicitur prius natura: quia est illud, quod natura prius intēdit, ut perfectius. Sic forma est prior natura, ordinat enim materiam ad formam, & non e conuerso: & agens est prius natura, quàm finis, ut mouet, agens enim ut agens est actū, finis autem ut mouet, est in potentia producibilis vel acquisibilis: perfectior est autem esse actū, quàm esse in potētia. Dico ergo non esse inconueniens idem esse prius & posterius seipso natura, dummodo sumatur prius & posterius natura distinctis modis, unde finis, ut supponitur agenti, est prior natura primo modo assignato, ut autem est producibilis ab agente, est posterior natura secundo modo assignato.

Ad secundum concedo consequentiam, & nego quod sit inconueniens, ad probationem nego, q. esset demonstratio circularis, talis qualem reprobatur philosophus in 1. poster. Nam illic reprobatur demonstrationem circulare in eodem genere causæ, puta si demonstrarem A. per B. & B. per A. in genere causæ effectiue, si autem demonstratur A. per B. ut per causam finalem, & B. per A. ut per causam effectiuam, non est inuicem demonstratio

QVAESTIO IX.

monstratio, nec talem reprobatur philosophus.

Ad tertium, negatur consequentia. Ad probationem dico, q. illa maxima non verificatur nisi in eodem genere causæ, puta quia ignis est causa effectiua caloris in aqua, & calor in aqua est causa effectiua caloris manus, vere dicitur quod ignis est causa caloris manus. In proposito autē licet finis sit causa agentis, & agens causa finis, non tamen in eodem genere causæ, ut patet per prædicta, ideo non sequitur quod idem sit causa sui ipsius. Hæc de præfenti quæsto dicta sint.

Quæstio 9. si causa in actu, & effectus in actu simul sunt & non sunt.

Differunt autem intantum quod agentia quidem singularia simul sunt & non sunt, cum his quorum sunt causæ. Textu 3.

Circa hanc quæstionem aduerte quod licet multi multa dicant, tamen habito sensu philosophi, non est magna difficultas, tria igitur agenda sunt. Primo declarabitur sensus philosophi, ex quo apparebit quomodo hæc conclusio est vera, causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt. Secundo declarabitur, quomodo ex dicta conclusione, verificantur istæ duæ maximæ, posita causa ponitur effectus. Remota causa, remouetur effectus. Tertio soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte quod sensus philosophi est iste, causa in actu, eo modo quo est causans, & effectus in actu eo modo quo causatur à causa, simul sunt, & nō sunt, nam quædam est causa effectus in fieri, & in esse, & in conseruari, & respectu talis causæ, clara est propositio philosophi, nam bene sequitur. Sol actu illuminat aerem, ergo aer actu illuminatur, & e conuerso, similiter valet, si arguatur negatiue. Quædam autem est causa solum in fieri, sicut ædificator respectu domus, & omnia agentia naturalia inferiora, & respectu talis causæ vera est propositio philosophi, solum in fieri, vel in causari. Nam bene valet, Hic ædificator ædificat hanc domum, ergo hæc domus ædificatur, similiter valet negatiue. Non autem valet quo ad esse, non enim sequitur. Sorres genitor Platonis est, ergo Plato est, nec e conuerso. Stat enim genitorem esse, & genitum non amplius esse, & e conuerso. Id autem non contingit in causa effectiua & conseruariua, quoniam ipsa

non diuiditur in priorē speciem, & quoniam hæc tria propriis-
sime seruantur in materia prima, ideo credidit ipsam esse ve-
re & proprie elementum, quatuor autem corpora simplicia
esse elementa secundum famositatem, & præcipue quoniam
antiqui credebant ipsa esse prima componentia simpliciter,
non enim peruenierunt ad cognitionem materiæ primæ, vt pa-
ter ex 1. lib. huius scientiæ.

Quantū ad secundū aduerte q̄ b. Tho. in expositione huius
tex. tenet partē negatiuā & fundamentū suū fuit, quoniam ultra
tres cōditiones assignatas in opinione Cōmē. arbitrat elemen-
tū includere quartam, scilicet q̄ habeat aliquā speciem, ita q̄ sit
corpus, sed non sit resolubile in priora corpora, quæ sint disti-
ctarū specierū, siue naturarum, & quia materia prima præcise
sumpta, non habet aliquam speciem, nec est corpus, ideo licet
nō sit resolubilis in priora, tamen nō est vere elementum, &
sensu quidē b. Tho. videtur magis cōformis literæ. Dicit enim
philosophus, in diuisibili specie in aliam, speciem, ly aliam vi-
detur præsupponere, quod habeat propriam speciem, & ideo
tenendum est diffinitionem elementi datam ab Arist. non pro-
prie conuenire materiæ primæ, sed 4. corporibus simplicibus.

Quantum ad tertiuū aduerte q̄ Paulus Soncinas in 5. meta-
in expositione huius tex. arbitrat b. Tho. non dissentire à Cō-
mentā. & adducit dictū b. Tho. in 1. de celo. lec. 18. vbi dicit q̄
materia prima est elementum & quoniam hic exponens præ-
sentem tex. dicit oppositū. (Sic enim inquit. Quartum est vt di-
cat aliquam speciem, quæ non diuidatur in species diuersas in
quo differt elementum à materia prima, quæ nullā habet spe-
ciem) ideo Paulus conatur exponere hoc dictū, & dicit q̄ b. Tho.
accipit elementum secundum communem vsum loquendi
secundum quem consueuimus appellare elemēta, quatuor cor-
pora simplicia. Quæ dicuntur simplicia, nō q̄ sint omnino sim-
plicia, componuntur enim ex materia & forma, sed quia non
componuntur ex prioribus corporibus,

Sed q̄ pro vtroque dicto non habeat mentem b. Tho. decla-
ro, & primo ad autoritatē b. Tho. in 1. de celo, dico quod b.
Tho. illic accipit elemētū similitū dinarie. Nā in tex. 91. philo-
sophus dicit, tribus enim entibus elemētis corporali. que sunt
cælū terra & intermedia &c. Cōstat autē q̄ cælū non est pro-
prie elemētū, cum nō veniat in veram compositionem alicui-
us, nisi ipsius vniuersū. Quod quidem non est totum ex cōposi-

tionē, sed ex ordine. Sicut ergo Arist. improprie dixit cælū esse
elemētū, sic b. Tho. dicit materiam primam esse elemētū. Præ-
terea dicit illic b. Tho. q̄ philosoph. accipit elemētū pro quo-
cunque corpore simplici, & dicitur elementum corporale, ad
differentiam materiæ primæ, quæ est elemētum, sed non cor-
porale, prout consideratur absque omni forma, hæc ille. Acci-
pit ergo omne simplex ex quo res componitur, posse dici ele-
mentum. Sed hoc est accipere elemētū large, vt etiam illic di-
cit b. Tho. cum ergo hic in 5. metaph. seruetur elemētū secun-
dum propriissimam rationem, & in 1. cœli in tex. 91. loquatur
de elemēto large dicto, non debemus facere fundamentum sit
per dictū in 1. cœli, sed super dictum hic in 5. metaph. constat
autem quod hic negat materiam esse elementum. Quare &c.

Quod etiam expositio, quæ dat dicto b. Tho. in 5. metaphysi-
nō valeat, sic declaratur, philosophus & b. Tho. diffiniūt elemē-
tum in suo propriissimo signato, ergo falsum est, quod sumat
elemētū secundum communem vsum loquendi, & confirma-
tur quoniam philosophus illic explicat de propriissimis elemē-
tis in diuersis generibus, vt in vocibus & sillabis, & in descri-
ptionibus geometricis & in demonstrationibus. Tenendum est
ergo quod b. Tho. dissentiat à Cōmē. quia scilicet non conce-
dit materiam primam dici elemētum, nisi vt quoddam sim-
plex & primum componēs. Sed verū elemētū vltra hoc requi-
rit quod habeat propriā speciem, quod non verificatur de ma-
teria prima secundum se considerata.

Et aduerte quod Iandu. in 5. metap. quæstio. 5. pro defensione
Commentā. sic arguit. Quando aliquid prædicatum vniocū
conuenit causæ & causato, prius conuenit causæ quā causato.
Sed esse elemētū, & substare conuenit mixtis, & simpli-
cibus, & materiæ primæ, & omnibus aliis conuenit per ma-
teriam primam, quoniam est primum subiectum. ergo ma-
teria prima prius & magis proprie est elementum quā cor-
pora simplicia.

Respondetur, non est idem esse elementum, & substare,
nam substare conuenit alicui inquantū est in potentia passiuā,
& quia materia prima, est proprie potentia passiuā, ideo prius
conuenit ei, & si conuenit aliis, conuenit inquantum partici-
pant potentiam passiuā.

Sed esse elemētū, conuenit rei simplici hñti aliquā deter-
minatā speciem, nō diuisibili in diuersas species, & quā materia

QVINTI METAPHY.

prima nullam habet determinatam speciem ex se, prima autem corpora componibilia adinuicem habent determinatam speciem, & sunt indiuisibilia in diuersas species, ideo illa sunt proprie elementa, materia autem prima improprie. Ad argumentum ergo concedo, quod substare primo conuenit materiae primae, & si inferatur ergo & esse elementum, nego consequentiam, quam non probat, deceptus est autem Iandus, quoniam arbitratur cui primo conuenit substare, eidem primo conueniat esse elementum, quod est falsum, ut declarauimus. Haec de praesenti quaesito dicta sint.

Quaestio 11. si philosophus sufficienter enumerauit omnes modos naturae.

Natura quidem dicitur vno modo nascentium generatio. Text. 5.

Circa considerationem de natura, satis immorati sumus in 2. phy. superest nunc declarare quod pluribus modis dicitur, quia hic dicitur à philosopho, nec tamè propter hoc fuit diminutus, quoniam non assumpsit prouinciã declarandi omnimodã multipliciter terminorũ comunis, qui cadit sub consideratione metaphysici, sed solũ ut expedit metaphysico, cuius signum est quod agens de modis entis non enumerauit omnes, non enim distinxit per respectuum & absolutũ, per finitum & infinitum, & agens de substantia non posuit expresse modum, ut dicitur de materia, pro vniuersali igitur doctrina numerabimus omnes modos quibus solet dici natura, & in summa sunt decem.

Primo, natura dicitur generatio uiuentium, quasi nascitura vel à natiuitate dicta, & hic modus satis patet in textu.

Secundo, natura dicitur illud quod est intrinsecum principii motus primo & per se in re naturali, siue hoc sit materia, siue forma, & sic considerata est & distincta in 2. phy.

Tertio, natura sumitur pro quacunque essentia, vel quidditate, ut cũ dicimus alia est natura substantiae, alia quantitatũ, alia qualitatũ, &c.

Quarto, natura sumitur pro quacunque differentia specifica essentialiter distinguente, ut cum dicimus, natura hominis est esse rationale, equi vero esse hinnibilem.

Quinto, natura sumitur pro quacunque proprietate consequente rem inseparabiliter, sicut dicimus, homo natura, id est, naturali inclinatione scire desiderat, natura lapidis est descen-

QVAESTIO XI.

dere, ignis autem ascendere.

Sexto, natura sumitur pro causis moriuis vniuersalibus ipsius vniuersi, tam intellectualibus quã corporalibus, sicut cum dicimus, tota natura comparatur Deo, ut instrumentum principali agenti. Itẽ cum dicimus, conseruatio speciei est per se intentã à natura. Item cum dicimus, corruptio & mors sunt intentae à natura vniuersali, non autem particulari.

Septimo, natura sumitur pro essentiali rerum ordine, concurrentium per se & principaliter ad perfectionem vniuersi, ita quod talis ordo est firmatus & immutabilis, ut cũ dicimus solem stare, est cõtra naturam. Mortuum resurgere, est contra naturam Dari vacuum, est contra naturam.

Octauo, natura sumitur pro Deo non in se considerato, sed prout est dirigens omnes causas secundas in actionibus suis naturalibus, & inquitum est omnium motuum primum principium, iuxta ordinem rebus institutum firmum & stabilem, ut cum dicimus, natura instituit solem declinare ab æquinoctiali, propter alternam generationem & corruptionẽ in inferioribus vnde aduerte, quod in actionibus miraculosis, Deus non debet dici natura, sed naturae dominator.

Nono, natura sumitur à medicis pro complexione, ut cum dicitur, Reubarbarum est calida naturẽ. Aliquando pro virtute formatiua, quae deseruit generatiuẽ, ut diximus in 2. de animalibus cum dicimus, natura in generatione animalis incipit à formatione cordis, aliquando sumitur pro collo matricis.

Decimo, natura sumitur apud philosophum moralem pro consuetudine, ut cũ dicimus, natura veri regis est seruare subditos, tyranni autem natura est opprimere. Et aduerte quod hic modus cõcordat cũ quinto. Haec de praesenti quaesito dicta sint, nec occurrunt apparentia argumenta, quae indigeant solutione.

Quaestio 12. si necessaria habent causam efficientem.

Horum quidem altera causa essendi necessaria, horum autem nulla. Text. 6.

Circa hanc quae pro declaratione tituli, praepoño duas distinctiones. Prima est. Necessarium est duplex scilicet incomplezum & complexum, incomplezum ut Deus & entia incorruptibilia, & de his verum habet causam effectiuam dicimus in li. 12. quãdo quaeremus si omnia praeter primum habet esse esse.



QVINTI METAPHY.

fectiue à primo. Aliud est complexum & præcipue in 1. modo per se, vt hominem esse animal. & de tali necessario queritur hic, & est sensus. vtum sit aliqua causa effectiua, quæ facit hominem esse animal. Secunda distinctio est de causa, nam complexi necessarij, saltem in 2. modo per se, potest assignari causa formalis, puta quod homo sit risibilis, causa formalis est, quia est rationalis. Sed dubiū est de causa effectiua, licet enim clarum sit, quod risibilitas causatur in homine à producente hominem, tamen adhuc dubitatur, vtum hoc totum enunciatum necessarium, hominem esse risibilem, habeat causam efficiētem. Pro resolutione igitur huius dubij tria agenda sunt. Primo quia intendo sequi Herueum in quodlibet 1. q. 10. cuius sensum in hoc dubio reputo esse Thomisticum, præpono aliquas distinctiones. Secundo respondebitur per conclusiones. Tertio soluentur rationes Pauli Soncinaris, qui in 5. metaphy. q. 10. tenet contra Herueum.

Quantum ad primum præpono quatuor distinctiones.

Prima est, Complexa necessaria affirmatiua sunt triplicia. Quædam componuntur ex terminis, quibus nullū correspondet esse, vt chimera est chimera. Quædam ex terminis diuinis intrinsecis, vt Deus est infinitus, omnipotens, summum bonum. Quædam ex terminis significantibus ens productum, vt homo est animal.

Secunda est, complexa necessaria 3. modo dicta, dupliciter considerantur, scilicet quo ad habitudinē terminorum, & quo ad esse reale actu, puta hoc complexum, homo est animal, potest considerari prout prædicatum ex natura sua est aptum conuenire subiecto, siue homo & animal existat, siue non, eo quod animal est de ratione hominis, potest etiam considerari prout homo & animal sunt actu, & non potest esse homo actu, quin sit animal actu, & hæc connexio significatur per copulam, vnde hoc complexum. Actu homo est actu animal, est complexum reale actu, ex parte significari.

Tertia est, necessitas complexorum potest esse duplex, scilicet absoluta & conexiois, siue comparationis. Illud est necessarium absolute, quod secundū se impossibile est aliter se habere, vt Deus est infinitus. Illud autem est necessarium conexione, quod non potest esse sine aliquo alio ad quod comparatur in se, tamen potest non esse. Sicut nō potest esse cursus sine motu, nec homo sine animali, nec subiectum sine propria pas-

QVAESTIO XII.

sione, & hæc non dicuntur necessaria absolute, eo quod homo & cursus, & similia in se considerata possunt non esse.

Quarta est, subiectū complexi necessarij, puta huius, homo est animal, potest considerari in sensu diuiso, vt considerando hominem vt hominem præcise, & in sensu composito, vt considerando hominem vt actu existentem, ita quod sicut albu potest accipi pro subiecto albedinis, & albu vt stat sub albedine, sic potest considerari homo vt homo & homo, vt existens.

Quantum ad secundum ex his distinctionibus ponuntur 4. conclusiones.

Prima conclusio. Complexū necessariū constans ex terminis, quibus nullū esse correspondet, neq; actuale, neq; potèriale, non habet causam efficiētem, probatur, omnis causa effectiua est respectu alicuius producti, vel producibilis, sed complexum constans &c. nō est productum, nec producibile, vt patet, ergo &c.

Secunda conclusio. Complexa necessaria composita ex terminis significantibus ens diuinum, nullam habent causam efficiētiā, probatur, quod Deus sit, nulla est causa, eo quod est pectus independens cum sit ens à se, ergo quod Deus sit Deus, & bonus, & sapiens, &c. nulla est causa effectiua, quoniam sua perfectio est sua substantia, quæ non pendet ab alio.

Tertia conclusio. Complexa necessaria significantia ens productum, vt homo est animal, si considerentur in habitudine terminorum nullam habent causam effectiuam, probatur, talis habitudo est resolutio rationis, vt declarabitur in libr. 6. cum disputabitur de ente vero, sed resolutio rationis, cum sit ens rationis, nullam habet causam effectiuam, declarabitur enim in libr. 7. quod ens rationis, vt distinguitur contra ens reale, à nullo est effectiue, & in nullo est subiectiue, ergo &c.

Quarta conclusio. Complexa necessaria significantia ens productum, si considerentur quo ad esse reale actuale, habent causam effectiuam, probatur, esse reale actuale huius complexi, homo est animal, homine existente, & animali existente, est ens reale actu, vt patet, ergo vel est ens increatum, vel creatū non increatum, quoniam esset Deus, ergo creatum, sed omne creatum habet causam effectiuam, vt patet, ergo &c.

Huic rationi conatur respondere P. Scolas. & dicit, qñ dicitur homo est animal, ly est, nō significat aliquid ens reale, sed ens rationis, per opus intellectus componentis, quod quidem competit homini & animali, etiam si nō essent in rerū natura,

Sed constat quod non responderet ad propositum, quoniam sumere hoc complexum, homo est animal, in habitu sine terminorum, est iuxta sensum tertie conclusionis. Hic autem loquimur iuxta sensum quartae conclusionis, quae requirit actuale esse reale, quod necesse est esse creatum, vel increatum, laborat ergo Paulus in aequiuoco, quoniam non attingit sensum Heruei pro 4. conclusionis.

Sed dices, quae est causa effectiua huius complexi, homo est animal, quo ad esse reale actuale.

Responderetur eadem causa quae dat homini & animali existentiam, dat homini existere animal, & probatur sic. Quod conuenit alicui secundum id quod est eodem modo, habet causam, sicut illud cui conuenit. Sed ista complexa considerata secundum esse actuale reale conueniunt rebus, secundum illud quod sunt. Conuenit enim homini existere animal secundum quod homo existit, quia non potest aliter existere. Repugnat enim quod homo existat, & non existat animal, ergo hoc totum, homo est animal, eodem modo habet causam, sicut homo existens & animal existens. Constat autem quod homo existens, & animal existens, habent causam effectiuam, quia non existunt à se, ergo &c.

Et aduerte quod huic rationi, quae est Heruei, nescit Paulus aliter respondere, nisi negando maiorem. Dicit enim, Ad tertium negatur maior, si id quod alteri conuenit sit ens rationis. Sed iterum deuiat à sensu Heruei. Non enim considerat Herueus in hac 4. conclusionis necessaria complexa, nec sua componentia, quo ad habitudinem terminorum, sed quo ad esse reale actuale, & sic patet quod maior non infringitur ad sensum Heruei. Patet enim quod complexa necessaria significantia ens productum, considerata quo ad esse reale actuale, non sunt ens rationis.

Quantum ad tertium aduerte quod Paulus contra Herueum format sex rationes, ex quibus nonnullae formaliter solvuntur ab Herueo. Omnes autem virtualiter ex distinctionibus datis.

Prima, omne habens causam agentem habet causam finalem, quoniam omne agens per se intendit finem propter quod agit. Sed hoc complexum, homo est homo, non habet causam finalem. Dicit enim philosophus in 7. metaphys. tex. 59. Quare propter quid homo est homo, nihil est querere, ergo hoc complexum non habet causam agentem.

Responderetur, philosophus in 7. metaph. considerat hoc complexum in habitudine terminorum, & ut sic per conclusionem ter-

tiam positam, non habet causam efficientem, nec finalem. Dicit etiam potest quod Arist. in illo tex. non sumit ly propter quid, pro causa finali, sed pro quod propter quid, in ratione demonstrandi praedicatum de subiecto, nam in 2. poster. enumerans quaestiones, quibus utimur in demonstratione, dicit. Querimus quatuor, quia est, propter quid est, si est, quid est, unde ly propter quid, potest dicere causam formalem, ut propter quid homo est risibilis, quia est rationalis.

Secunda identitas quae est inter hominem & animal, non habet causam efficientem, ergo hoc complexum, homo est animal, nullam habet causam efficientem, consequentia patet. Probatur antecedens. Talis identitas est resolutio rationis, eo quod est eiusdem de se, ipsam resolutio rationis & ens rationis, ens rationis non habet causam efficientem, eo quod causalitas efficiens est causalitas realis, ergo debet terminari ad aliquod reale aliter terminus esset minoris entitatis, quam ipsa productio.

Responderetur, Herueus virtualiter soluit hanc rationem, nam loquens de complexo necessario, significante aliquid possibile esse, ut rosam possibile esse esse rosam, dicit quod possibilitas non habet causam efficientem, sed fundamentum possibilitatis quod est res possibilis produci, habet causam non quidem actu agentem, sed potentem agere. Sic dico in proposito. Illa identitas ut resolutio non habet causam efficientem, fundamentum tamen identitatis, quod est hominem existentem esse animal existens, habet causam efficientem, eam scilicet, quae est causa extremorum. Nam quodcumque agens facit quod homo existat, & quod animal existat, facit etiam quod homo existat animal.

Tertia, si per impossibile, Deus non esset, nec aliqua creatura esset, adhuc esset verum, quod homo est animal, eo quod propositio per se secundum Linconensem est perpetua veritatis, ergo talia complexa non habent causam efficientem.

Responderetur, Antecedens est falsum sumendo ipsam complexum quo ad esse reale actu, in quo sensu loquitur Herueus ad dictum Linconensem, concedo quod est perpetua veritatis, solum ex habitudine terminorum, & concedo quod ut sic non habet causam efficientem, sed non est ad propositum.

Quarta, Deum esse Deum, non habet causam efficientem, ergo hominem esse animal, non habet causam efficientem. Antecedens patet, & consequentia probatur, sunt aequae necessariae, eo quod sua opposita sunt aequae impossibilia. Implicat enim contradictione





QVINTI METAPHY.

scilicet Deum non esse Deum, & hominem non esse animal.
Ad istam respondet Hercules & dicit quod non sunt eque necessaria, nec sua opposita sunt eque impossibilia, nam ista, Deus non est Deus, est impossibilis in sensu diuiso, & in sensu composito. Diuiso quidem, quoniam Deus ut Deus, non potest non esse, composito autem, quoniam Deus ut existens, non potest non existere. Hæc autem homo non est animal, non est impossibilis in sensu diuiso, homo enim ut homo, potest non existere, & per consequens non existere animal, est autem impossibile in sensu composito. Impossibile est enim quod homo ut existens, non existat animal.

Sed aduerte quod Paulus conatur hanc responsionem infringere, dicens, Hoc complexum, Homo est animal, non potest exponi, per sensum compositum & diuisum. Primo quia ibi non est aliquis terminus exponibilis per sensum diuisum & compositum. Secundo quia secundum b. Tho. sensus diuisus & compositus non possunt inueniri, nisi in his que sunt abinueniem separabilia secundum rem vel secundum intellectum. Sed animal cum sit de ratione hominis, non est separabile ab homine, nec intellectu, ergo responsio Herculi nulla est.

Sed hæc non infringunt propositum, nam ad primum dico, quod ly homo est exponibilis per sensum diuisum & compositum eo quod potest considerari ut homo præcise, & ut homo existens, idem dico de ly animal. Nam & ista, lapis est immaterialis, est similiter exponibilis, quoniam potest considerari ut lapis, & ut lapis intellectus, unde dicitur esse falsa in sensu diuiso, & vera in sensu composito. Ad secundum dico quod licet homo & animal præcise considerata, sint inseparabilia, tamen animal existens, potest separari ab homine præcise sumpto, licet enim homo ut homo, sit animal, non tamen homo ut homo, existit animal, quoniam homo ut homo, potest non existere. Hæc tamen est impossibilis, homo existens, non existit animal.

Quinta. Quod est commune possibilibus & impossibilibus non habet causam efficientem, quoniam impossibilia non possunt fieri. Sed complexa necessaria sunt communia possibilibus & impossibilibus, quoniam ita est necessaria ista, Chimera est chimera, sicut ista homo est homo, ergo &c.

Ad hoc respondet Hercules & concedit, non omne complexum necessarium habere causam efficientem, ut patet in cœlu-

QVAESTIO XIII.

87

sione prima & secunda, supra positus, non tamen ex hoc sequitur quod nullum complexum necessarium habeat causam efficientem, unde mirum de hoc homine qui non aduertit se impugnare Hercules rationibus solutis ab Herculeo.

Sexta. Hoc complexum. Antequam rosa generetur, possibile est rosam esse rosam, est necessarium, & tamen non habet causam agentem, quia non dicit aliquod reale. Quod probatur, quoniam si dicit aliquod reale productum, vel est ipsa rosa & esse rose, vel ista oratio, rosa est rosa, non primum, quia per casum rosa non est, non secundum, quia enunciabile distinguitur ab enunciatione.

Ad hoc respondet Hercules & dicit, quod sicut rosa antequam generetur, est ens possibile produci, ita habet causam agentem in potentia, similiter hoc complexum possibile est rosam esse rosam, considerari secundum suum esse reale potentiale habet causam agentem in potentia, & quando dicit Paulus quod hoc complexum non dicit aliquod reale, si intendit reale actu, concedo, quia sumitur rosa antequam generetur, si reale potentiale, nego, & sua probatio non valet, non enim dicimus quod sit quid reale productum, sed producibile. Et sic patet quod opinio Herculi nullum continet inobueniens, nec declinat à via Thomistica in eo sensu, in quo illam pertractauimus. Hæc de præfenti quaestio dicta sunt.

Quæstio 13. si diuisio secunda vnius est logica.

Amplius autem, alia secundum numerum sunt vni, tex. 12. vbi inquit b. Tho. ponit aliam diuisionem quæ est magis logica, & supra exponens b. Tho. tex. 8. dixerat. Primo distinguit modos vnius realiter, id est secundum conditiones in rebus inuentas.

Secundo vero logice id est secundum intentiones logicales.

Circa hanc q. aduerte, quod difficultas stat in declaratione quam facit philosophus circa modos vnius, tam in prima, quam in secunda diuisione, nam in prima diuisione, quæ tenetur realis, declarat tertium & quartum modum per terminos logicos, unde declarans tertium inquit, dicuntur autem vnum, quorum genus vnum, differens oppositis differentiis. Hæc quidem videtur declaratio logica, cum genus & differentia dicat intentiones secundas, similiter declarat quartum inquit, vnum

QVINTI METAPHY.

dicuntur, quorumcumque ratio indiuisibilis: id est qua habent
vnam diffinitionem, huiusmodi autem termini ad logicum spe-
ctant. In secunda autem diuisione exponit primū & quartum
modum, non logice sed realiter. Primum quidem cum dicitur,
vnum numero sunt, quorum est vna materia, quarum autem
cum dicitur, proportione & quęcunque vnum proportione. Con-
stat autem quod remoto quocunque opere intellectus aliqua
sunt vnum proportione, puta 4. & 2. 6. & 3. sunt vnum propor-
tione quoniam conueniunt in proportione dupla. Pro resolu-
tione igitur huius dubij tria agenda sunt. Primo declarabitur
quomodo prima diuisio est realis. Secundo quomodo secunda
est logica. Tertio soluetur quoddam dubium.

Quantum ad primum dico duo, primo quod non inconti-
nit primam dici realem, sed non puram realem, secundā dici
logicam, sed non pure logicam: quia tamen prima est magis
realis quā logica, ideo dicitur realis, & quia secunda est ma-
gis logica, quā realis, ideo dicitur logica, & vt philosophus
insinuatet primam non esse mere realem, ideo in declaratio-
ne modorum inserit aliquos terminos logicales, sicut sunt ge-
nus, differentia, diffinitio, ratio. Idem dico de secunda, quam
vt declarat non esse mere logicā, inserit aliqua realia sicut sunt
materia, proportio, & id quidem artificiose fecit, quoniam phi-
losophus primus, & logicus, in subiecto & in omnium considera-
tione conueniunt, vt dicit in lib. 4. & reputo hanc meliorem
rationem, quę possit assignari in præsentī proposito.

Dico secundo, quod aliquo modo potest saluari primā diui-
sionem esse mere realem, & secundam mere rationis, siue lo-
gicam, eo quod prima datur per res primæ intentionis, quę
ponuntur remoto omni actu intellectus, secunda autem datur
per secundas intentiones, & quidem quod prima datur per res
primę intentionis, sic declaratur, primus modus est vnitas con-
tinuitatis, quam constat esse in linea & in motu, etiam remo-
to omni actu intellectus, secundus modus est vnitas forme,
præcipue in omogeneis, quam constat esse realem, omnis enim
pars aquę est aqua & omnis pars ligni est lignum, tertius mo-
dus est vnitas generis, quę quidem potest esse realis, si sumat-
ur natura generis, non vt fiat sub intentione vniuersalitatis,
sed vt habet esse in re, puta animal, vt habet esse in homine &
leone, patet enim quod remoto omni opere intellectus adhuc
habet esse in eis, & licet non habeat aliquā indiuisibilitatem

QVAESTIO XIII.

88

in speciebus, potest tamen fundare hunc modum vnitatis, eo
quod est apta ex se obici intellectui indistincte & sine diffe-
rentiis, si vero sumatur pro intentione vniuersalitatis, sic est
vnitas rationis in natura generica, & iuxta talem intencionem,
assignabitur particularis modus in secunda diuisione.
Hęc dicta sūt disputatiue, determinatiue autem, melius est
dicere iuxta primum modum respondendi, primam diuisio-
nem non esse mere realem, & per consequens, tertius modus
erit magis logicus quā realis. Difficile enim est videre apud
Thomistas, quomodo natura generica, quę nullam habet vnita-
tatem realem in suis inferioribus, potest fundare modum re-
alem vnus. Quartus modus est vnitas diffinitionis. Hic po-
test esse realis, si consideretur diffinitio, vt dicit naturam &
quidditatem diffiniti, est autem logicus, si consideretur vt con-
stat ex genere, & differentia. Quintus modus est indiuisibili-
tas in substantia, ita quod maxime sunt vnum, quorum sub-
stantia non componitur cum aliis, nec ex aliis, sicut est dispo-
sitiō primi entis, in quo nulla est pluralitas realis absoluta.
Constat autem quod hic modus est realissimus, quoniam sim-
plicitas substantię incompositę, non pendet ex actu nostri in-
tellectus, patet igitur, quomodo prima diuisio vnus est realis.

Quomodo autem secunda diuisio sit logica, declaro sic. De
2. & 3. modo constat, quoniam genus & species sunt termini
secundę intentionis. De 1. autem & 4. est difficile videre stan-
te tex. philosophi, quoniam quidam exponit primum modum,
non exponit per terminos secunda, sed primæ intentionis. Hoc
enim quod est habere vnam materiam, pertinet ad confide-
rationem realem, & non logicam. Aduerte igitur quod si phi-
losophus exposuisset ly vnum numero, per hoc quod est esse
singulare vel indiuiduum, sua expositio manifeste fuisset per
secundas intentiones, verum quia cōsiderauit philosophus ex-
positionem debere dari per manifestiora, datur autem per ma-
nifestiora, si datur per principia sua, principium autem vnus
numero est materia, ad quam vt ad causam sequitur singula-
re & indiuiduum, ideo potius exposuit per terminum primæ
intentionis, ad quem sequitur ly singulare. Dico igitur quod
primus modus est logicus, licet expositio non sit formaliter
logica, sufficit autem quod sit logica consecutiue, similiter dif-
ficile est saluare, quomodo quartus modus sit logicus stante tex.
philosophi, dicit enim vnū, proportione quęcunque se habent,

QVINTI METAPHY.

vt aliud ad aliud. Constat autem qd talis cōparatio cōuenit rebus, vt res sunt & nō solum vt cadunt sub nostra apprehensione, nam ex parte rerū, qualis est habitudo inter 4. & 2. talis est inter 6. & 3. Dico igitur cum Ant. And. quod hic modus potest esse realis, si considerentur proportionalia, vt res, & potest esse logicus, si consideratur modus prædicandi qui seruetur inter ea, modus enim prædicandi non est sine opere intellectus, quoniam prædicari est per actum intellectus attribuentis aliquid alicui, vel remouentis aliquid ab aliquo, & sic dico quod philosophus accipit vnitatem proportionis iuxta modum prædicandi, vnde est modus vnus logicus secundum hunc sensum, pater igitur, quo secunda diuisio est logica.

Quantum ad tertium aduerte qd circa secundam diuisionem insurgit dubium, nam videtur insufficiens, quoniam non solum aliqua sunt vnum numero, & aliqua specie & aliqua genere, & aliqua proportione, sed etiam differētia, vt omnes homines sunt vnum in rationali, & proprio, vt omnes asini sunt vnum in rudibili, & in accidente, vt omnes corni, sunt vnum in nigredine, & tamen isti modi non assignantur à philosopho in secunda diuisione, ergo est insufficiens.

Respondetur & dicitur, quod omnes isti modi assignati sunt virtualiter in illis quatuor, nam omnis differentia vel est individualis, & sic quæcunque conueniunt in ea, sunt vnum numero, vel specifica, & sic conuenientia in ea sunt vnum specie, vel generica, & ab ea prouenit vnitatis generica, vel analogica, & ab ea prouenit vnitatis proportionis. Idem intelligendum est de proprio & accidente, quare &c. Hæc de præsentibus quæstionibus dicta sint.

Quæstio 14. si hæc præpositio vnum numero sunt, quorum est materia vna, est vera vniuersaliter, vel tantum particulariter.

Vnum numero sunt, quorum est materia vna. Textu 12.

Circa hanc q. aduerte quod difficultas stat in hoc, si est vniuersaliter vera, cum intelligentia Saturni sit vna numero (est enim singularis, aliter non moueret) ergo habet materiam, quod tamen est contra philosophum in lib. 12. qui text. 29. dicit. oportet autem tales substantias esse sine materia, ergo non est vniuersaliter vera, si autem est vera particulariter tan-

QVAESTIO XIII.

tum, ergo philosophus non sufficienter notificat quid sit esse vnum numero, nam cum sumplerit prouinciam diuidendi vnum in modos suos absolute, & metaph. debuit etiam dare descriptionem & notificationem de eo, quod est vnum numero in omni genere entium, in quo inuenitur vnitatis numeralis. Vt igitur præsens quæstio resoluetur, intendo pertractare tres opiniones, scilicet Commen. & b. Tho. & Scoti.

Quantum ad viam Comenta. aduerte quod Commenta. in 5. lib. & in comen. 12. ibi, & vnum numero dicitur &c. intendit qd dictum philosophi sit verū vniuersaliter, non enim concederet Comen. qd in abstractis sit vnum numero, sed principium numeri, vnde dicit in eodem comen. & differētia inter illud & vnum, quod est principium numerorum, est, quia hoc vnum est in materia, & vnum quod est principium numeri, non est in materia, hæc Comenta. & debet sic intelligi, per ly vnum numero, intendit vnum quidditatum, quod inuenitur in solis materialibus, & est principium numeri quæsitatiui vel materialis, cum autem dicit vnum principium numerorum, accipit vnum transcendens, quod est principium numeri transcendentis, qui dicitur numerus formalis vel quidditatum, & hic inuenitur in abstractis, que proprie dicuntur vnitates, & quidditates, & actus propter sui perfectionem & simplicitatem. Dico igitur, qd apud Comenta. esse vnum numero modo exposito, & habere materiam vnam, conuertuntur, ita qd in quocunque genere inuenitur vnum numero, ibi est materia vna, & e converso, & negandum est secundum Comenta. qd in abstractis inueniatur vnum numero. in eis enim singulare dicitur vnitatis propter substantiæ simplicitatem.

Sed contra Comenta. dupliciter arguit Ant. And. in 5. metaph. q. 6. & 1. contra illud dictum Comen. vnum quod est principium numeri, non est in materia, nam hoc dictum, vel æquipollet vniuersali negatiue vel particulari negatiue. si primo modo, ergo nullum vnum principium numerorum erit in materia, quod est falsum, quia si nullum vnum principium numerorum est in materia, nullus numerus est in materia, quod est falsum, nam numerus causatus ex diuisione cōtinui ex 3. phys. est in materia, si æquipollet particulari negatiue, ita quod loquatur de vno transcendenti, contra illud vnum non tantum proprie est in rebus immaterialibus, sed etiam in materialibus, nam cum vnum transcendens conuertatur cum ente, verū est dicere de la-



pido, quod sicut est ens, ita est vnus transcendent. secundū sic, in materialibus est aliqua vnitas maior vnitate specifica, sed nulla alia est maior quā vnitas numeralis, ergo vnum numero est in rebus immaterialibus maior patet, quia aliquis angelus ita est vnus, quod non predicatur de pluribus, ergo est magis vnus, quā vnus specie.

Respondetur. Ad primum possumus respondere dupliciter. Primo quod equipollet particulari negatiuæ, ad probationē diceret Comenta. q. licet lapis sit vnus etiam transcendēter, tamen non denominatur vnus proprie & vsitate, nisi vnitate quantitatiua, oppositum autem contingit in abstractis, quæ vere & proprie dicuntur vnum vel plura transcendent. Secundo dicitur, & forte melius, quod dictum Comenta. non equipollet vniuersali negatiuæ, nec particulari negatiuæ, sed est destructiuū cuiusdā, quod prædixerat, nam dixit ante, quod vniū numero, id est vnum quantitatiuum est in materia, ita quod non reperitur extra materiam. Destruens autem hoc, de vno transcendentē dicit. Vnum principium numerorum, non est in materia id est non arctatur ad materiam, sed reperitur in non habente materiam. Et est simile, sicut si diceretur, sensitiuum est in materia, quoniam arctatur ad materiam. Intellectiuum nō est in materia, quoniam non arctatur ad materiam, reperitur enim extra materiam, sicut in intelligentis, cum hoc tamen stat quod reperitur in materia, sicut patet de anima intellectiua, quæ est forma materiæ.

Ad secundam dicitur, q. vnitas numeralis potest dupliciter accipi. Primo vt distinguitur contra vnitatē specificam, & sic conceditur esse in abstractis, & similiter cōceditur quod in eis est vnum numero, prout distinguitur contra vnum specie, nec vnquam negasset in hoc sensu commēt. vnum numero ab abstractis. Secundo sumitur vnitas numeralis pro hac vnitate quantitatiua, & sic Comenta. negat eam, & vnum numero esse in abstractis. Ad argu. igitur dico, quod concludit vnitatem numeralem, & vnum numero in primo sensu esse in abstractis, non autem secundo modo, in quo sensu loquebatur Comenta. Hæc pro opinione Comenta. dicta sint, quæ vt declarata sunt, non discordant à via Thomistica, vt magis patebit immediate sequentibus.

Quantū ad viam b. Tho. aduerte quod arbitratū dictum philosophi esse verū particulatim tantum, scilicet in solis ma-

terialibus, eo quod vt ipse dicit, exponēs dictum philosophi, materia prima vt stat sub dimensionibus signatis, est principium indiuiduationis formas, & propter hoc singulare, habet ex materia, quod sit vnum numero, hæc ille. Cum autem singulare reperitur in abstractis, in quibus non est materia, constat dictum philosophi non esse vniuersaliter sed particulariter verum. Et cum arguitur quod philosophus non sufficienter notificasset, quid sit vnum numero, respondetur, quod sufficit philosopho notificasse per exemplū manifestum in his materialibus, non enim describit ibi quid sit vnum numero. Tunc enim esset necesse, si id quod est habere vnā materiam, est descriptio, quod conuertatur cum eo quod est vnum numero. Exemplum autem non est necesse esse conuertibile cum eo quod notificat. Si autem querat, quæ sit descriptio eius quod est vnum numero vniuersaliter. Dico q. est esse singulare siue incommunicabile, siue hoc aliquid.

Sed aduerte q. Ant. And. in 5. metaph. q. 6. conatur instare contra hanc determinationem b. Tho. & sic arguit. In rebus immaterialibus, etiam secundum ipsam scilicet b. Tho. est vnum numero, & tamen ibi non est materia sub dimensionibus signatis ergo non bene saluat dictum philosophi.

Respondetur Ant. And. docipitur in hoc quod credit philosophum & b. Tho. per ly habere vnā materiam, describi vniū numero, quod si esset verum, vtrique sua instantia concluderet, quoniam necesse est descriptionem conueniri cum descripto. Dico igitur quod est exemplificatio, quam nō est necesse conueniri cum exemplificato. Sicut si dicerem, fortes sunt, qui pugnant pro patria & tamen pugnare pro patria, non conuertitur cum esse fortem, potest enim esse fortis, qui aduersam fortunam bene tolerat, qui pro virtute, pro amico, pericula aggreditur.

Quantum ad opinionem Scoti, aduerte quod Ant. And. in 5. metaph. q. 5. & 6. tenet dictum philosophi, esse verū vniuersaliter, & q. ly habere vniū materiā, est descriptio conuertibilis, cum ly esse vniū numero, & fundamentum suum est, quod materia nō sumitur hic à philosopho, vt est pars cōpositi, sed vt est differētia indiuidualis, quā appellat materiā totius, imaginatur enim, quod sicut est duplex forma scilicet partis & totius, quæ dicitur quidditas, ita sic duplex materia scilicet partis, quæ est pars cōpositi, & ens in pura potentia, & materia totius, quæ

QVINTI METAPHY.

opponitur quidditati, eo qd est extra ratione quidditatis specifi-
ca. & hanc vocat proprietate individuale, & ponit eam princi-
pium individuationis, tam in materialibus, qua immateriali-
bus, & dicit qd de tali materia loquitur hic philosophus, unde
sic exponit dictu philosophi, vnu numero sunt, quoru est mate-
ria vna id est vna, differetia individualis, sed hac imaginatio-
ne sua no aliter probat esse de mente philosophi, & ideo est no-
strum inuestigare, si ex doctrina philosophi, debet admitti ma-
teria sub tali sensu. Aduerte igitur qd mens philoso. fuit loqui
de materia, quæ est pars copolici qd manifestatur duplici via.

Primo sic. Illa materia quæ ex pluralitate sua causat plurali-
tate numeralem, ex sua vnitare causat vnitare numerale. Sed
materia quæ est pars compositi, ex sua pluralitate causat plura-
litate numerale, ergo ex sua vnitare causat vnitare numerale.
Maior patet, quia eodem principio quo res plurificatur ipso plu-
rificato, remanet vna ipso non plurificato. Minor est philoso.
in 7. meta. tex. 28. vbi loquens contra Platonem de idæis dicit, qd
generis est sufficiens causare in materia, & loquitur de mate-
ria receptina formæ, quæ constat esse parte copolici. & subiungit,
omnis vero talis species in his carnibus & osibus, Callias
& Socrates diuersi quide, propter materia, diuersa naq; scilicet
est eoru materia, super que tex. dicit Comen. in co. 28. causa in
multiplicatione generabiliu ab vno genere, est multiplicatio
materiau in quas agit. patet ergo, qd philosophus illic lo-
quitur de materia partis, eodem modo intelligendu est qd loqua-
tur hic in 5. libr. aliter non sufficienter declarat distinctione &
vnitatem numeralem, si vteretur materia æquiuoce.

Secundo sic. Materia in eo sensu est causa vnitatis & plurali-
tatis numeralis apud philosophu, quæ assignat pro causa, pro-
pter qua primu principiu no plurificatur, vt patet in li. 12. tex.
49. Sed illic loquitur de materia partis, loquitur. n. de illa ma-
teria, quæ in eodem li. tex. 30. negauerat esse in moueribus æter-
nis, illa autem constat esse materia partis. Dicit enim, Tales substã-
tias, oportet esse sine materia. Quod si dicas, ly sine materia,
sumit pro hæcheitate. Hoc est cõtra ipsum Ant. And. qui in in-
telligentiis concedit hæcheitate, & quide qd illic loquatur de
materia partis, aperte monstrat Comen. 49. dicit, & iam decla-
ratu est qd in primo non est materia, non fuit autem declaratu
nisi in text. 30. in quo expresse loquebatur de materia partis,
quam remouet ab intelligentiis &c. patet igitur quod positio

QVAESTIO XV.

91

de materia totius, quam Scotus ponit principium indiuidua-
tionis, fuit inuentio sua, sed non peripatetici.

Sed remanet dubium, nam si quæ habent vnam materiam
sunt vnum numero, ergo generatum & corruptu sunt vnum
numero, & duo contraria erunt idem numero, quoniam cõtra-
ria habet fieri circa idem, & ex primo de generatione, eadem
est materia geniti & corrupti.

Respondeatur secundum vii Tho. non est eadẽ materia prout
est principiu indiuiduationis, nisi remaneat sub eisdẽ dimensio-
nibus, & quia apud b. Tho. non remanent eadem dimensiones
in genito & corrupto, ideo non sunt idem numero. Ad illud de
contrariis dico, ad hoc qd sint vnum numero requiruntur duo,
primo eadem materia cõ eisdẽ dimensionibus, secundo simul-
tas tẽporis, ita qd eadem generatione generentur, & quoniam no
simul tempore generantur nec recipiuntur in materia, sed suc-
cessiue, ideo non sequitur, quod sint vnum numero.

Sed Ant. And. instat, qd non requiratur simultas tẽporis, nam
si talis simultas requiritur, sequitur, quod mathematica quæ
abstrahunt a tempore & a motu, ex lib. 3. no possent esse distin-
cta numero, quod est falsum, quoniam duæ lineæ rectæ sunt
eiusdem speciei, & distinctæ solo numero.

Hæc instantia nulla est, quoniam mathematica secundu esse
naturale non abstrahunt a tẽpore, nec a motu, cõ ponatur mo-
tus ad quantitatem, quãdo autem dicit philosophus in 3. lib. qd
abstrahunt a tempore & a motu, accipit mathematica vt cadit
sub consideratione mathematici, sicut declarauimus in 3. lib. in
q. 1. Hic autem loquimur de vnitare numerali & distinctione
quæ rei competit secundum esse suum reale, & non vt caden,
sub apprehensione nostra. Hæc de presenti quæsto dicta sunt

Quæsto 15. si materia signata vel hæcheitas est princi-
pium indiuiduationis in rebus materialibus.

Vnum vero numero sunt, quorum est materia
vna numero. Text. 12.

In hac q. Thomista & Scoti. diffuse scribunt, resolute ut-
tem procedendo, tangenda sunt fundamenta & rationes
veriusque opinionis sustinendo Thomisticas & soluendo oppo-
sitas: igitur agenda sunt quatuor. Primo declarabitur titulus
quæsti. Secundo pertractabitur opinio b. Tho. Tertio opinio
Scoti. Quarto soluentur quedam dubia.

quantitatem, sicut potentie materie, non addit aliquid super materiam, distinctum realiter, sed tantum ordinem vel respectum ad talem vel talem formam. Qui respectus non distinguitur realiter a materia, ut dicemus agere de relatione & fundamento. Sic dico in proposito, & materiam signatam sic intellectam dicunt esse principium individui, quoniam si individuum diffinitur, ponitur in eius diffinitione materia, ut receptiva huius quantitatis, & non alterius, & hic sensus meo iudicio verior est, eo quod ante omne accidens assignari potest principium distinctionum individui, ut substantia est, & per hunc sensum solvantur multa argumenta aduersantium, ut patebit infra.

Circa tertium adverte quod positio sic declarata potest sic probari. Materie signata, id est, ut habet potentiam ad hanc quantitatem & non ad aliam, repugnat primo communicari, pluribus ergo ex se primo incommunicabilis est. Sed quod est ex se primo tale est causa & principium quod aliquid aliud sic tale in quo reperitur. Sed materia signata est in quolibet individuo, cui convenit esse incommunicabile: ergo per materiam signatam, ut per principium in se in individuo, est incommunicabile, & per consequens in individuo est incommunicabile. Quod materie signata, id est, ut respicit hanc quantitatem repugnet communicari, probatur, quoniam ut sic, sit propria huius individui, & ex ratione materie communis. Proprio autem condistincto contra commune, repugnat communicari sicut huic albedini. Quod autem hanc incommunicabilitatem conveniat ex primo, probatur. Quoniam quocumque alio circumscripso ab individuo materiali, adhuc remanet substantia incommunicabilis. Si autem auferatur materia signata, loquendo realiter & non logice, non potest assignari ratio, quare individuum fiat incommunicabile, nam ex forma non habet, quoniam forma secundum se competit communicabilitas, ex materia secundum se non habet, quoniam materia secundum se communis est omni individuo materiali, ex nullo autem communi redditur res incommunicabilis, ex quantitate & aliis accidentibus non habet, quoniam ut diximus supra, saltem natura subsequitur substantiam individui: ergo hoc solum habet ex materia signata, & per consequens ei primo repugnat communicari.

Sed dices, quod hanc ratio non probat totale principium individui, solum enim probat principium incommunicabilitatis vel indistinctionis in seipso. Sed ultra hoc requiritur, quod assignetur principium distinctionis a quolibet alio.

Respondetur. Materia ut signata, est principium sufficiens utriusque, ex hoc enim quod ponitur capax tantum huius quantitatis, sic incommunicabilis & indistincta, ex hoc autem quod per agens disponens, respicit talem quantitatem & non aliam, signatur distinctio a quacunque alia materia respiciente quamcumque aliam quantitatem, & per talem distinctionem signatur in materia distinguitur individuum a quocumque alio.

Circa quartum adverte, quod contra predicta quedam insurgunt dubia, & primo contradicitur immediate, & arguitur sic, cum hec signatio in materia secundum se causetur, puta materia respicit hanc quantitatem, quare aut hanc quantitatem supponitur esse actu in materia, aut non, si sic, oppositum dictum est supra, si non ergo effectus precedit causam. Hanc enim signatio ponitur in illo priori, & tamen secundum se non ponitur quantitas, quare est eius causa.

Ad hoc respondens quidam Thomista dicit, quod in illo priori individuo non est distinctum a quolibet alio, distinctione numerali, sed transcendente, & intendit per distinctionem numeralem distinctionem quantitativam, & intendit per distinctionem numeralem distinctionem essentialis. Sed contra secundum viam Thomistam, in quolibet materiali ponitur unitas transcendens & unitas numeralis, sed illo priori, hoc individuum, puta Sortes est quid materiale, componitur enim ex materia & forma ergo &c. Præterea, materia in se nullam habet distinctionem, cum sit pura potentia, & actus est qui distinguit, si ergo materia A, debet distingui a materia B, hoc erit, vel per formam, vel per quantitatem: non per formam, quoniam forma particularis non recipitur nisi in materia distincta, aliter omnem, aut nullam materiam informaret: ergo distinguitur per quantitatem, & per consequens individuum in quo est materia distincta distinguitur ab alio, distinctione non solum transcendente, sed etiam numerali. Præterea non esset maior distinctio in illo priori, inter sortem & hunc lapidem, quam inter duo entia immaterialia in quibus apud Thomistas est sola distinctio transcendens, & numerus transcendens, quod tamen est falsum ex se. Et propterea teneo, quod in illo priori est distinctio quantitativa, individuo materiali comparato ad quodcumque aliud individuum, & cum arguitur, quod in illo priori quantitas non est, ergo non potest causare illam distinctionem. Dico quod in illo priori quantitas non est in genere cause materialis, quoniam nondum est inhaesiva in individuo, sed ut sic non est causa signationis materie, immo e converso, materia signata est causa materialis quantitatis, eo quod est receptiva eius. Dico autem quod in illo

lo priori quæritas est in genere causæ formalis, & ut sic, est causa signationis materiæ, & est prior materia signata, sicut patet in simili de forma substantiali receptibili in materia, ut est in potentia ad ipsam, forma enim in genere causæ materialis est posterior quâ potentia materiæ, prius enim saltè natura, materia habet potentia receptivâ formæ, quâ recipiatur forma in genere. tamè causæ formalis forma est prior, quâ potentia materiæ, eo quod talis potentia est in materia in ordine ad formam: ergo ut sic, forma est prior. Sic in proposito. Quia talis signatio non esset in materia, si non respiceret hæc quantitatem & non aliam, ideo ut sic hæc quantitas est prior. Si autem inferas, si ut sic est prior, ergo hæc quantitas in illo priori est simpliciter, & cum non sit extra materia, ergo est in materia, negatur consequentia: quoniam tu transis à causa formali, ad causam materialem.

Sed iterum instatur, quoniam effectus in actu, requirit causam in actu, signatio materiæ in illo priori est actu in materia, & est effectus causatus à quantitate: ergo in illo priori quantitas est, quod est contra te.

Ad hoc dico, quod sufficit effectui in actu habere causam formalem existentem non in se, sed in radice sua, nam illa quantitas & si non sit actu in se, est tamè in materia, ut in radice, prout fit capax huius quantitatis & non alterius actione agentis, & tu adverte quod illa quantitas existens ut in radice in materia, non debet dici forma talis signationis, sed ratio formalis, sine qua non esset talis signatio, & ideo cõcesso quod sit necesse omnem vere formam esse actu, si effectus eius est actu, non tamen id à quo sumitur ratio formalis, necesse est esse actu, sicut patet in potentiis actiuis, quarum rationes formales sumuntur ab actibus, ut declaratum est in 2. de anima, & tamè sunt priores, saltè natura suis actibus.

Sed iterum est dubium contra prædicta. Dicitur enim quod per materiam signatam intelligitur materia cum potentia receptiva huius quantitatis, nam ex hoc sequitur materiam signatam dicere aggregatum ex substantia & accidente, cuius contrarium dictum est supra. Consequentia probatur, quoniam potentia ad hanc quantitatem est in eodem prædicamento cum quantitate, nam ex 12. metaph. potentia ad rem alicuius prædicamenti est in eodem prædicamento, & dicitur Cõmen. in 3. phys. potentia ad unumquodque prædicamentum est in illo genere prædicamenti quod est actu. Sed quantitas est in prædicamento accidentis: ergo &

potentia receptiva quantitatis, cum ergo materia sit substantia, & potentia receptiva quantitatis sit accidens, sequitur quod materia signata dicat aggregatum ex substantia & accidente.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem dico, quod illa propositio potentia est in eodem genere cum actu cuius est receptiva, non est vera, nisi respectu illius actus, quem primo & per se respicit, non autem quem secundario respicit, aliter sequeretur quod anima ut receptiva suarum potentiarum, quæ comparantur ad animam sicut actus ad potentiam, esset in prædicamento qualitatis, sicut potentia suæ. Dico igitur quod potentia materiæ qua est receptiva huius quantitatis, est substantia, & est idem re cum materia, quoniam primo & per se respicit formam hanc vel illam substantialem, sed quia non potest recipere tale formam, nisi sit receptiva talis quantitatis, ideo secundario respicit hanc vel illam quantitatem. Sed ut diximus, propter actum secundario respectum non est necesse potentiam esse in eodem genere cum tali actu, & si hanc distinctionem de actu primo & secundario respectu considerasset, Tho. Caletanus, super primam partem b. Tho. q. 29. art. 2. non retractasset id quod dixerat de materia signata in suo commento, super librum de ente & entia, capitulo 2.

Hæc dicta sint de principio individui ad mentem b. Tho. secundum considerationem realem, nunc autem quid dicendum sit secundum considerationem logicam, investigandum est. Adverte igitur, quod principium individui secundum considerationem logicam est illud per quod individuum, ut est unum numero, reponitur in prædicamento sub specie specialissima. Illud autem est gradus individualis, à quo sumitur differentia individualis, cõtrahens speciem ad individuum. Imaginationum est enim quod sicut gradus specificus à quo sumitur differentia specifica, contrahit genus ad speciem, sic gradus individualis contrahit speciem ad individuum. Qui gradus differt à materia signata, quoniam illa est pars individui, iste autem gradus, dicit totam substantiam individui, à quo gradu sumitur differentia individualis, quæ prædicatur in recto de individuo, sicut differentia specifica prædicatur in recto de specie.

Sed dice, si tu ponis differentias individuales, ergo coincidet cum opinione Scoti, quod est contra communem opinionem Thomistarum.

Respondetur, licet concedamus differentias individuales, tamen non convenimus cum Scoti, quantum ad principia vnde

QVINTI METAPHY.

sumuntur, nam Scotus imaginatur, quod differentia indiuidualis sumatur ex parte forme, credit enim quod sicut differentia specifica contrahit naturam genericam, ita differentia indiuidualis contrahit naturam specificam, etiam si non esset materia signata, & propterea tales differentias indiuiduales ponit etiam in separatis, unde tenet quod in eis possunt esse plures distincta numero sub eadem specie, nos autem dicimus, quod assignantur ex parte materie signate, quoniam remota materia signata non possumus assignare modum, quo natura specifica sit plurificabilis in plura numero, cum non sit distinguibilis per differentias formales, sicut est distinguibilis natura generica, unde sicut nesciremus contrahere animal ad hominem & leonem, nisi essent forme partium, puta anima intellectiva, & anima leonis à quibus sumuntur differentie specificæ, sicut nesciremus contrahere naturam hominis ad hunc vel illum hominem, nisi essent materie signatæ, à quibus sumuntur diuersæ differentie indiuiduales, quibus unumquodque indiuiduum constituitur in prædicamento sub specie sua, & à quolibet alio distinguitur, est enim natura differentie apud Porphyrium, constitueret & distinguere id cuius est differentia.

Quod autem secundum considerationem logicam sit necesse ponere principium indiuidui, talis differentia indiuidualis sic probatur. Sortes ut est ens per se substantialiter, id est ante omnem suam accidentem ponitur in prædicamento substantie, quoniam si consideratur substantia Sortis cum accidentibus suis, non est unum per se, & per consequens ut sic non est in prædicamento ens enim diuisum in 10. prædicamenta, est ens per se, ex 6. metaphy. ergo est necesse, ut in Sorte sit aliquod contractum nature communis ad indiuiduum. Sed hoc non est quantitas, cum enim sit accidentem, est posterior. Sorte sumpto substantialiter, nec est materia signata, quoniam contractum alicuius in linea recta prædicamentali contenti, dicit totum, & prædicatur in recto, sicut patet de sensitiuo contrahente animatum ad animal, & de rationali contrahente animal ad hominem. Sed materia signata cum sit pars, non prædicatur in recto, prædicatur autem in recto differentia indiuidualis, eo quod differentia totum dicit, ergo à sufficienti diuisione, necesse est ponere differentiam indiuidualem principium indiuidui.

Sed aduerte quod sicut ignoramus differentias specificas, & propterea non possumus eas nominare nisi imperfectè, ita

QVAESTIO XV.

ignoramus differentias indiuiduales indiuidualiter, ideo nescimus eas nominare nisi per hæcitates sumptas ex diuersa signatione materie, ut in hoc distinguatur via nostra à via Scoti. Hæc de opinione Thomistica dicta sint.

Quantum ad opinionem Scoti, duo agenda sunt. Primo ponitur mens sua, & declarabitur. Secundo ponentur fortiores rationes sue, & soluentur.

Circa primum aduerte, quod Scotus in 2. sent. di. 3. q. 6. tenet indiuiduum fieri indiuiduum, vel naturam specificam trahi ad indiuiduum per aliquam entitatem positivam incommunicabilem simpliciter, que dicitur hæcitas, quam non ponit esse materiam, nec formam, nec compositum sed est modus omnium, quasi modificans ea, & est vltima realitas eorum, non tamen distincta realiter ab eis. Hæc est mens Scoti, quam intendendo declarare aliquibus conclusionibus, sicut declarant sequentes viam Scoti.

Prima conclusio, natura specifica contrahitur ad esse indiuiduale per aliquid positivum, probatur. duo indiuidua sub eadem specie conveniunt in natura specie, & differunt ab invicem, si differunt, differentias differunt. Sed differentia est aliquod positivum, cum etiam sit passio entis ex libro 10. metaphy. ergo &c. Præterea negatio ut negatio non est contractiva entis realis, cum igitur indiuiduum sit illud ad quod contrahitur natura communis, sequitur quod non potest contrahi per negationem, sed per aliquid positivum. Præterea constitutum speciei est positivum, scilicet differentia specifica, ergo constitutum indiuidui est aliquod positivum. probatur consequentia. unitas numeralis maior est unitate specifica, ergo si species redditur una & indiuisibilis per aliquid positivum, multo magis indiuiduum.

Secunda conclusio. Illud positivum constituens indiuiduum est de se hoc, & indiuisibile, & incommunicabile. probatur. constituens communicabile non constituit incommunicabile, aliter constitueret sibi oppositum. Sed indiuiduum est constitutum incommunicabile, ergo positivum constituens est incommunicabile, & per consequens est de se hoc & indiuisibile.

Tertio conclusio, differentia indiuidualis in aliquibus convenit, & in aliquibus differt à differentia specifica. probatur. convenit quidem in hoc, quod sicut differentia specifica comparatur ad genus, sicut actus ad potentiam, eo quod genus determinatur, &

QVINTI METAPHY.

Contrahitur per ipsam, sic differentia individualis comparatur ad naturam specificam ut actus ad potentiam, & contrahit ipsam, differre autem in hoc, quod differentia specifica non remouet omnem diuisibilitatem à natura specifica, licet enim remoueat diuisibilitatem in vltiores species, non tamen impedit, quin possit diuidi in plura numero, differentia autem individualis remouet omnem diuisibilitatem, eo quod constituit hoc, cui repugnat diuidi in plura. Item conueniunt in hoc, quod sicut differentia specifica sumitur à forma, vel realitate formæ, sic & differentia individualis. Sed differunt in hoc, quoniam differentia specifica aliquando sumitur à forma distincta realiter à forma à qua sumitur genus, ut rationale sumitur ab anima intellectiua, & corpus ut genus à corporeitate, quæ secundum Scotum sunt formæ distinctæ, etiam in eodem composito, aliquando autem sumitur ab eadem forma, à qua sumitur genus, sed ab alia & alia realitate formæ eiusdem, vel alio & alio conceptu formali, sicut supposito quod anima intellectiua non distinguatur in homine ab anima sensitiua, ab eadem, ut dat esse sensitiuum sumitur genus animal, ab eadem ut dat esse intellectiuum rationale, differentia autem individualis semper sumitur ab vltima realitate formæ, & habet conceptum simpliciter simplicem, & est primo diuersa ab omni alia differentia.

Item differunt in hoc, quod differentia specifica est de esse quidditativo & de ratione ac intellectu formali ipsius speciei, & ideo dicitur forma, differentia autem individualis non est de esse quidditativo, nec de intellectu speciei, potest enim homo ut homo intelligi, sine omni differentia individuali, sicut potest intelligi genus sine differentiis specificis, vnde differentia individualis, respectu speciei dicitur materia, quia est extra rationem speciei, & de hac materia intelligit philosophus in 5. metaphys. tex. 12. cum dicit, vnum numero sunt quorum est materia vna numero.

Hæc fuit imaginatio Scoti de principio individui, quæ ponitur est narratiua, quàm probatiua, quoniam hæc declaratio supponit illas differentias individuales sumptas ab vltima realitate formæ, quod Thomista negat ut diximus, declarantes mentem beati Thomæ.

Circa secundum aduerte quod Scotus format aliquas rationes propositione differentiarum individualium, quæ ponit principia indiuiduorum, & format aliquas rationes ad destruendum

QVAESTIO XV.

96

posicionem b. Tho. quibus conatur probare, quod materia cum quantitate non est principium indiuidui. Propositione differentiarum individualium formantur duæ rationes.

Prima ratio. Ad differentiam individualement sequitur primo vnitas numeralis, ergo est primū princip. vnitatis numeralis, & per consequens indiuidui, consequentia est de se manifesta. antecedens probatur. vnitas numeralis non sequitur ad quidditatem, quoniam de se non est hæc, nec differentiam specificam, quoniam non est princip. nisi vnitatis specificæ, quæ est minor vnitate numerali, nec ad aliquod accidens, etiam si illud sit hæc determinatas quantitas, quoniam sicut entitas substantialis indiuidui, præcedit natura omne suum accidens, sic vnitas substantialis numeralis, ergo &c.

Respondetur, nego antecedens, ad probationem dico, quod diuisio est insufficientis, non enim est propter aliquam ex causis assignatis, sed propterea materiam signatam, quæ ut diximus supra, est primum principium constitutum indiuidui materialis, & distinctiuum eiusdem quolibet alio.

Secunda ratio, duo indiuidua propriè differunt, ergo eorum differentia reducenda est ad aliqua primo diuersa. Sed hæc non possunt esse, nisi suæ hæcitates, ergo sunt principia, quibus constituuntur, & differunt indiuidua.

Quod autem primo diuersa non possint esse alia, quàm suæ hæcitates, probatur, non est natura specifica, quoniam in illa conueniunt, non est materia prima in hoc & in illo, quoniam illa est eiusdem rationis in vtroque, non est quantitas in hoc & in illo, quoniam si istæ duæ quantitates essent primo diuersæ, aut seipsis, & hoc non, quia distinguerentur specie, aut sitibus, & hoc non, quia vel sic, quod est prædicamentum, & hoc non, quia consequitur quantitatem, sicut relationum consequitur absolutum, vel sit, qui est differentia quantitatis, & hoc non, quia illi sitis, aut distinguuntur seipsis, aut aliquo alio, non seipsis, quia ex seipsis non sunt hi, si aliquo alio, quæro de illo alio, & sic in infinitum.

Respondetur, quod duo indiuidua differunt numeraliter per suas quantitates ut per principia prima distinctiua, quantitates autem differunt suis sitibus, prout sitis dicit ordinem partium in toto, sitis autem differunt ordinibus partium, ordines autem distinguuntur seipsis, eo quod de ratione ordinis est distinctio, & hic est status.

Contra autem b. Tho. de principio indiuiduationis, Scotus & sequentes ipsum multipliciter arguunt. & quoniam ut in pluribus eorum argumenta concludunt, quod nec materia est principium indiuiduationis, nec quantitas, quod concedimus, sumendo materiam præcise, & quantitatem præcise, ideo talia argumenta transeant, non enim militant contra nos, qui tenemus non materiam præcise, sed materiam, ut respicit hanc quantitatem, modo quo supra declarauimus, quam solemus nominare materiam signatam esse huiusmodi principium. Tu tamen si vis videre & Scoti & Aureoli & Durandi argumenta, quibus suadent sibi impugnare mentem b. Tho. quamuis nec sensum attingant, lege in Capreolo in 2. lib. dist. 3. q. 1. cõtra secundam conclusionem, & quoniam non assumpti onus recitandi, sed soluendi quam resolutionem pro hac materia arbitrator sufficienter contineri in prædictis, ideo pertranseo.

Sed tu aduerte, adhuc vnum remanere dubium, quod confutit ex dictis b. Tho. in quibus videtur repugnantia. Nam quoniam b. Tho. concedit quantitatem esse principium indiuidui eo modo quo supra exposuimus, queritur utrum ipse intelligat de quantitate interminata, vel terminata. Non primo, quoniam in hoc aduersatur Commenta. nolens concedere alioquam quantitatem præcedere formam in materia. Non secundo, quia sequitur quod Sortes puer, & Sortes vir, non sit idem indiuiduum, nam quantitas terminata puta cubitalis, quæ est in Sorte puero, non remanet in Sorte viro, sit enim bicubita. variato autem principio formali indiuidui, variatur ipsum indiuiduum. Videtur ergo quod in via b. Tho. non possit sustineri, quantitatem vlllo modo esse principium indiuidui.

Respondetur. Quantitas terminata, potest sumi dupliciter, primo pro quantitate, quæ est sub certo termino, nec potest fieri maior, aut minor, per rarefactionem, vel condensationem sicut est quantitas caliditatis, secundo pro quantitate, ut est sub certo gradu vel termino, potest tamen fieri maior, aut minor, ut quantitas bicubita huius aquæ. Quantitas interminata potest dici tripliciter, primo quia sit actu infinita, secundo quia vultius sit certi termini, licet non sit actu infinita, puta, quia non est cubitalis nec bicubitalis, nec ab aliqua alio numero potest denominari, tertio quia licet sit semper in rerum natura sub aliquo termino, tamen consideratur ut non sub hoc vel illo termino, sed secundum quandam latitudinem, ut declarabitur

bitur, ex his dico ad argu. quod quantitas interminata nõ primo, nec secundo, sed tertio sensu est principium indiuidui, nõ est imaginandum, quod licet quantitas, qua redditur materia Sortis diuisa à quacunque alia materia, sit semper sub certo termino, quia in principio est, puta vnius digiti, deinde vnius palmi, deinde vnius cubiti, & c. tota tamen hæc quantitas considerata secundum totam latitudinem, quæ est inter maximum & minimum, sub quibus potest seruari natura talis speciei in tali indiuiduo, est principium indiuidui. Dico insuper quod quantitas terminata ut opponitur interminate, primo, & secundo modo est principium indiuidui, eo quod omnium naturalium est terminata magnitudo, ex his concordantur dicta b. Thomæ. Quando dicit super Boëtium de trinitate, quod quantitas terminata non est principium indiuidui, accipit terminatam ut opponitur interminate in 3. sensu, nam quantitas sic terminata est, quæ est sub certo termino, & consideratur præcise ut est sub tali termino, & verum est, quod ut sic non est principium indiuidui, quoniam cum illa varietur, & accipiat alium terminum, non remanet idem indiuiduum.

Quando autem dicit in opusculo de principio indiuiduationis, quod quantitas terminata est principium indiuidui, accipit terminatam ut opponitur interminate primo & 2. sensu, & specia liter ut contradicit Commenta. non enim b. Tho. concedit dimensiones interminatas, ut præcedunt formam, & ideo cum neget eas, negat etiam in eodem sensu, quod sit principium indiuidui, patet ergo quomodo potest saluari in via b. Tho. quod quantitas terminata & interminata sunt principia indiuidua. Hæc de presenti quaesito dicta sint.

Quaestio 16. si prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos prædicandi.

Et dicuntur entia per se, quæcumque significantur figuræ prædicamentorum, sunt enim secundum numerum eorum quæ dicuntur. Textu 14.

In hac quaestione aduerte quod tres inuenio opiniones. Prima est Scotistarum, ut patet in Ant. And. in 5. metaphy. q. 7. qui tenet, quod non distinguuntur per diuersos modos prædicandi, sed per diuersos modos essendi, non quidem distinctos realiter, sed ex natura rei, cuius probationes soluam infra. Secunda est Her-

uei, qui in quolibet. 1. quæst. 9. innuit quod prædicamenta non necessario distinguuntur realiter, sed per operationem intellectus speculatiui possibilis, quæ operatio est intellectio, vnde per diuersos modos intelligendi eandem rem, formari possunt diuersa prædicamenta, sicut dicimus infra de relatione & fundamento, non autem concedit, quod distinguuntur per diuersos modos essendi, immo contra hoc arguit in quolibet 2. q. 7. cuius argumeta adducemus infra, & soluemus. Tertia opinio est b. Tho. qui tenet q. distinguuntur per diuersos modos prædicandi & intelligendi & essendi. Circa igitur mætem b. Tho. immorantes, tria agemus. Primo præponitur quædam distinctio. Secundo quædam conclusiones responsivæ. Tertio soluemus argumenta Ant. And. & Heruei.

Quantum ad primum aduerte quatuor distinctiones in hoc proposito.

Prima, prædicamentum sumitur tripliciter, primo pro intentione que dicitur prædicamentalitas, quæ est ordo, vel relatio inter genera & species secundum diuersum modum prædicandi secundum sub & supra, & hoc modo non intendimus hic loqui de prædicamento, quoniam vt sic est secunda intentio, & est de mera consideratione logici, secundo sumitur pro rebus prædicamentalibus, vt res sunt, vt substantia, quantitas, qualitas, & nec sic etiam loquimur, quia vt sic non sunt prædicamenta formaliter, sed entitates. 3. sumitur pro rebus, vt stant sub intentione prædicamentalitatis, & sic intendimus loqui hic, puta pro re que est substantia, vt fundat intentionem generalissimam & subalternam, & specialissimam, & hoc 3. modo est cõplõctens ens reale & ens rationis, nam 1. modo est ens rationis, secundo modo est ens reale, tertio modo est complectens vtrunq.

Secunda, modi prædicandi sunt in duplici differentia. Quidam sunt constituti sine excogitati per opus intellectus discretiui, non fundati in aliquo reali correspondente, & dicuntur excogitati vel fictiui, vt chimera est animal, Saturnus est Deus. Quidam sunt fundati super rem diuersimode correspondente ex sui naturalibus modis prædicandi, vt esse prin. & esse finem prædicatur de puncto, eo quod super naturam puncti, vterque modus prædicandi vere fundatur.

Tertia, modi essendi in re, sunt in duplici differentia: quidam sunt distincti actu, sicut esse album, & esse dulce in pomo, sumuntur enim à distinctis qualitibus dantibus distincta esse,

quidam sunt distincti non actu, sed ex modo correspondendi distinctis conceptibus, & hoc est, quando eadem res habet quidem vnum modum realem & essentialem essendi, tamen vt cadit sub intellectu, potest fundare plures conceptus, & vt fundat vnum conceptum, distinguitur ratione à seipsa, prout fundat alium conceptum, & hæc fundamenta distincta ratione, dicuntur distincti modi essendi, non actu, sed correspondenter.

Quarta, principia distinctiua aliquorum sunt duplicia. Quædam proxima. Quædam vltimata, & hæc sunt illa, in quibus fundantur principia proxima, sicut in elementis, principia distinctiua proxima sunt qualitates contrariæ, vltimata autem sunt formæ substantiales eorum.

Quantum ad secundum, aduerte tres conclusiones responsivæ.

Prima, prædicamenta sumpta præcise pro rebus prædicamentalibus non distinguuntur nisi seipsis, probatur, quoniam sunt primo diuersa, in nullo enim vniuoco conueniunt, & quoniam iam propositio in qua vnum prædicamentum negatur de alio est immediata, ex primo posteriorum.

Secunda, prædicamenta sumpta pro rebus prædicamentalibus, vt stant sub intentionibus secundis, proxime & immediate distinguuntur per modos prædicandi fundatos super rem prædicamentalem.

Probatum quo ad primam partem, nam prædicamenta sumuntur formaliter à prædicatione, ergo secundum diuersas prædicationes habent distingui, vnde & categoriz dicuntur. Quantum ad secundam partem, probatur, nam si non fundaretur super rei naturam, ita posset reponi ens fictiui & ens rationis in prædicamento, sicut ens reale, quod tamen est falsum, quoniam ex 6. metaph. ens diuisum in x. genera, est ens extra animam.

Tertia, prædicamenta distinguuntur resolutiue & vltimatae per diuersos modos essendi, vel actu distinctos, vel distinctos ex modo correspondendi, vt declarauimus in 3. distinctione. Probatum, nam modo prædicandi fundatur super modos intelligendi, sicut enim intelligimus, sic predicamus & enunciamus, modi autem intelligendi fundantur super modos essendi, quoniam conceptus fundatur in re, nisi sit vanus, ergo distincti modi prædicandi, & distincti conceptus non vni fundantur super distinctas res, vel super eandem rem, diuersimode ex summatu conceptibilem. Dixi autem, vel distinctos ex modo corre-

spondendi, quoniam non est necesse omnia prædicamenta distingui realiter, sicut declarabitur infra de relatione & fundamento, & de actione & passione.

Ex his ergo patet quod non fuit mens b. Tho. prædicamenta distingui tantum per modos prædicandi, vel tantum per modos intelligendi, vel tantum per modos essendi, sed per hæc omnia diuersa, tamen ratione, vt docuimus in 2. & 3. conclusionem.

Quantum ad tertium aduerte q. Ant. And. nõ penetravit mentem & sensum b. Tho. & ideo satis leuiter arguit contra eum similiter Hercules, soluimus igitur eorum argumenta.

Primo sic arguit Ant. And. modi prædicandi sunt tantum duo, scilicet in quid & in quale, & tantum 4. prædicata ex 1. Topico rum, ergo tantum sex erunt prædicamenta.

Respondetur, negatur antecedens, sumendo modos prædicandi non simpliciter, sed vt fundatos super modos essendi. Dico enim quod illi sunt 10. & non tantum 6. vnde æquiuocat de modis prædicandi, nec argumentum suum tendit ad sensum nostrum, de modis prædicandi distinctiuis prædicamentorum.

Secundo, sequitur q. in omni prædicatione de 3. adiacente sit nugatio, nam cum dicitur homo est substantia, per copulam intelligitur esse, & ly substantia dicit esse, nam secundum te, modus prædicandi substantiam de homine, fundatur in modo essendi substantiam, ergo bis dicitur esse.

Respondetur, esse signum per copulam est ens rationis, vt declarabitur in lib. 6. quando loquemur de ente vero, esse autem vel modus essendi in quo fundatur prædicatum, est ens reale, non & ideo committitur nugatio.

Tertio, res prime intentionis nõ distinguuntur per res secundæ intentionis, sed prædicamenta sunt res primæ intentionis & modi prædicandi ac modi essendi sunt res secundæ intentionis, nam esse quandam compositionem significat, quam non est intelligere sine extremis, ex 1. peri her. sed illa compositio causatur ab intellectu, ergo & esse, quod autem causatur ab intellectu, est ens secundæ intentionis, ergo &c.

Respondetur, nego quod illi modi essendi sunt, ens secundæ intentionis. Ad probationem nego q. esse in quo fundatur prædicamenta de prima substantia, significat compositionem factam ab intellectu, & ad dictum philosophi in 1. peri her. dico quod nõ loquitur nisi de esse signato per copulam verbalem, quod est ens rationis, quod non est intelligere sine extremis, quoniam

Cum fiat ens verum, consistit in compositione vel diuisione, quæ non possunt intelligi sine extremis.

Quarto, sequitur, q. in omni prædicamento sunt duo prædicamenta, nõ in quolibet prædicamento sunt duo modi prædicandi, scilicet abstractiue, vt albedo est color, concretive, vt Sortes est coloratus, ergo &c.

Respondetur, prædicamenta non distinguuntur per quoscunque modos prædicandi sed per modos prædicandi de prima substantia. nego autem quod res alicuius prædicamenti, prædicetur de prima substantia in abstracto. Hæc enim est falsa. Sortes est albedo.

Quinto, sequitur ex responsione ad quartum, q. accidentia sumpta in concreto, sunt prædicamenta, puta, quantum, & non quantitas, sic enim prædicatur de prima substantia, & tamẽ hoc est falsum, & est contra Auian 3. sue metacap. 2. vbi probat, quod si aliquid est genus, est in quantum prædicatur in quid, ergo si quantitas siue qualitas est genus, est in quantum prædicatur in abstracto & in quid de suis inferioribus, & non in quantum prædicatur in concreto de prima substantia.

Respondetur, in prædicamento sunt duo, primo est modus prædicandi de prima substantia, secundo est modus prædicandi de suis inferioribus, nõ qualitas prædicat de Sorte, & de habitu, & de naturali potentia, &c. A modo primo sumitur ratio dis. prædicamenti, nisi enim alio modo prædicare qualitas de prima substantia, alio modo quantitas, alio modo relatio, nõ posset assignari ratio, quare sunt distincta prædicamenta. A modo secundo sumitur ipsum prædicamentum intrinsece, nõ si in qualitate non esset assignare generalissimum subalternum, & specialissimum, nõ esset prædicamentum. Dico ergo ad arg. q. consequentia est falsa: ad probationem dico, q. non est necesse q. eo modo sint prædicamenta, quæ prædicatur de substantia prima, sed q. à tali prædicatione sumatur ratio distincti prædicamenti, est autem prædicamentum, vt in tali natura fundatur generalissimum subalternum, & specialissimum, & sic patet, quod opinio nostra nõ est contra Auic. immo saluamus eum.

Sexto, si distinguuntur per diuersos modos prædicandi, aut illi modi sufficiunt ad causandam distinctionem prædicamentorum, aut ultra illos requiritur diuersitas reorum, à quibus illi modi sumuntur, non primitim, magis distinguerentur homo & alius, cum distinguantur realiter, quam duo prædicam.

mentia, quæ secundum te non necessario distinguitur realiter, sed per solos modos prædicandi. Non secundum, quoniam sequitur, quod distinctio prædicamentorum secundum diuersos modos prædicandi, non erit prima, quod est contra te, & hæc consequentia probatur, quoniam res quæ prædicatur, est prior quam modus prædicandi: ergo aliquid distinguit prædicamentum, priusquam modus prædicandi.

Respondetur, diuisio est insufficientis, quoniam non sufficit præcisa distinctio secundum modos prædicandi, sumptos absolute, nec requiritur de necessitate diuersitas in rebus, in quibus fundantur distincta prædicamenta, sed requiritur distinctio secundum modos prædicandi, sumptos à modis essendi, qui modi sunt distincti, aut actu, aut correspondenter, sicut iam declarauimus, unde argumentum sumum non tangit nos. Sed dices, saltem sequitur, quod Sortes & alius magis distinguantur, quam aliqua duo prædicamenta. Respondetur conceditur, quod ad distinctionem realem, non autem quoad formalem, quæ est maxima inter prædicamenta, cuius signum est, quod quando negatur prædicamentum à prædicamento, est propositio immediata ex 1. posteriori non autem quando negatur species à specie, quoniam conueniunt in genere, nec quando negatur genus subalternum ab alio genere, quoniam conueniunt in generalissimo. sed dices, ergo distinctio entis per se in 10. prædicamenta, non erit distinctio in entia diuersa realiter, quod videtur esse contra philosophum in 6. metaph. Rñdetur, dicem⁹ infra de hoc, quando queremus quomodo distinguitur sex vltima prædicamenta à 4. primis, & quomodo inter se.

Et quoniam Ant. And. vltimo probat quod distinguitur per diuersos modos essendi. Quid & b. Tho. concedit in questionibus de veritate, q. 1. ar. 1. quod sic debet intelligi, sicut diximus supra scilicet non immediate & formaliter, sed vltimate, sine resolutione, eo quod modi prædicandi reducuntur ad modos intelligendi, & modi intelligendi ad modos essendi, ideo arg. illud non est à nobis solueendum, licet deducat ad probandum, quod primo & immediate distinguitur per modos essendi, hoc quidem negamus, & concedimus in sensu prædicto scilicet vltimate & resolutive.

Heruus autem in quolibet secundo, in q. 7. arguit quatuor modis, quod non distinguuntur per diuersos modos essendi.

Primo querit, aut in ratione istorum modorum includitur ens commune, aut non, si sic, contra contractum non est de ratione contrahentis, aliter genus esset de ratione differentie, cuius oppo-

tionem tenet philosophus in 3. metaph. si non, ergo isti modi sunt diuersi ab ente communi: ergo sunt non ens, ergo prædicamenta distinguuntur per non ens, quod est absurdum.

Rñdetur, dico quod includitur, & cum probatur quod non, dico quod illa propositio, contractum non est de ratione contrahentis, non est vera, nisi in differentiis proprie dictis, quales non sunt isti modi, iam determinauimus in li. 4. q. 5. quod ens ingreditur rationem cuiuscumque conceptibilis, dico ergo quod ad hoc quod isti modi contrahant ens, sufficit quod dicant aliquid formaliter, quod non explicatur per conceptum entis communis, sicut etiam diximus in lib. 4. loquentes de transcendentibus.

Secundo, quoniam dicit substantia est ens per se, quæro, ly per se, aut tenetur positue, aut negatiue, non positue, quoniam dicere, quod hoc sit ens per se positue, idem est, ac si diceretur, quod est causa simplicius, quod est impossibile in quolibet genere cause, non negatiue, quia ens contraheretur ad substantiam per aliquod negatiuum, & sic tale esset de ratione substantie, quod est falsum.

Respondetur, potest teneri positue, & negatiue, & quando probatur, quod non positue, dico quod ly per se, non dicit causalitatem, sed modum proprium essendi substantie, quo distinguitur ab accidente, nam esse ens per se, & esse ens in alio, sunt modi oppositi, & quando probatur quod non tenetur negatiue, dico quod non inconuenit aliquid negatiuum esse de ratione substantie, vt cadit sub nostro intellectu, nisi prima genera, & simplicia, sicut & abstracta, per negationem apprehendimus.

Tertio, quando dicitur, accidens est ens in alio, ly in alio, dicit habitudinem, quæro de illa habitudine, aut dicit relationem realem, aut resolutionem rationis, non rationis, quia ens rationis non contrahit ens reale, nec est de ratione eius, non realem, quia aut contrahit ens absolutum, aut relatum, non relatum, quia nihil seipsum contrahit, non absolutum, quia cum relatio & absolutum ad diuersa genera pertineant, vnum genus non contrahit alterum genus, ergo &c.

Respondetur, illa habitudo est realis, non qui de ad, sed in, & dico, quod contrahit ens reale commune, vt abstrahit ab absoluto & relatiuo, & quando dicit quod resolutio & absolutum ad diuersa genera spectant, non est verum, nisi de resolutione & absolute prædicamentali, habitudo autem designata per ly in alio, est relatio transcendens, ideo argumentum non sequitur.

Quarto, isti modi essendi, aut sunt de inerenza formalitate

QVINTI METAPHY.

contentorum, aut non. si sic, ergo esse in alio est ita de ratione formali quicquid sit, sicut rationale de ratione hominis, sed hoc est falsum, ut patet in sacramento. si non, ergo non essentialiter contrahunt eos ad predicamenta, nec essentialiter distinguunt ea. Respondetur, loquendo metaph. secunda via fidei, apud philosophum esse in alio actu, & non solum aptitudine, est inseparabile à quantitate, ita quod non potest dari quantitas actu, nisi actu sit in alio, unde isti modi essentialiter distinguunt & contrahunt ens, sed de hac inhaerentia, quaestio fiet in lib. 7. Haec de predicamenti quaestio dicta sint.

Quaestio 17. quae substantia sit genus generalissimum, & quae sit ratio sua.

Dicuntur autem haec omnia substantia, quia non de subiecto dicunt. Text. 15.

Inter hanc quaestionem aduerte, quod apud philosophum in predicamentis, & in hoc 5. lib. non est expressus modus substantiae, quo sit genus generalissimum, nam substantia diuisa in predicamentis, per primam & secundam, non est generalissimum genus, est enim ut sic diuisa dicta à substat, quod quidem primo & principaliter conuenit substantiae primae, secundae autem conuenit per primam, in quo est, ergo substantia ut sic diuisa quid analogum, & per consequens non est generalissimum, quoniam omne genus quoddam uniuersum est, secundum logicum. Praeterea, omne generalissimum prima diuisione diuiditur in genera subalterna, quorum quodlibet uniuersale est, constat autem primam substantiam non esse quid uniuersale, ergo &c. similiter inspicienti hic in 5. libr. constat quod nullus modus assignatus à philosopho, est genus generalissimum. Ut igitur propositum resoluitur, primo inuestigabimus per diuisiones genus generalissimum substantiae, secundo quae sit sua formalis ratio.

Quantum ad primam aduerte quod substantia dupliciter sumitur primo pro qualibet rei essentia, etiam si sit accidens, & sic eam sumit Arist. in antepredicamentis, diffiniens uniuersa, & equiuoca, secundo sumitur pro ente subsistente in se, & sustentante alia, quae sunt accidentia, & in hac diuisione substantia est terminus æquiuocus, ergo non est genus generalissimum.

Substantia secundo modo dicta, prima diuisione diuiditur in primam & secundam, prout dicitur substantia à substatendo, & ut sic est quid analogum, quoniam secunda non substat, nisi

QVAESTIO XVII.

101

per primam, in qua est, secunda diuisione diuiditur, per finitam & infinitam, secundum perfectionem, & etiam ut sic est quid analogum, eo quod prius dicitur de infinita, quae quoniam continet perfectiones omnium generum, non determinatur ad unum genus entium. Relicta infinita quae non potest in plura diuidi, aduerte quod finita diuiditur per corpoream & incorpoream, & sub incorporea continentur omnes intelligentiae, praeter primam causam, sustinendo illam esse virtutis infinitae, corporea autem diuiditur per animatum, & inanimatum, & animatum diuiditur, per sensitiuum & non sensitiuum, & sensitiuum diuiditur per rationale & irrationale &c. Ex his diuisionibus elicio quod substantia, ut est genus generalissimum, est ens per se, alia sustentans, diuisa per corpoream & incorpoream finitae entitatis, & perfectionis, dico finitae entitatis, quoniam licet in corporea infinita non determinetur ad aliquod predicamentum, propter uniuersalissimam continentiam perfectionum omnium generum, tamen si daretur substantia corporea infinita diuinitate, finita tamen secundum entitatem, adhuc esset in predicamento: unde Auic. in lib. 2. suae metaph. c. 2. sic dicit, finitum accidentale est corpori & concomitans, & ideo ad imaginandum corpus, non est necesse imaginari ipsum finitum, qui autem imaginatur corpus infinitum, non imaginatur corpus non corpus, haec ille.

Quantum ad secundam aduerte, quod ut substantiae predicamentum distinguatur à predicamentis accidentis, debet de eo formari talis ratio, substantia est ens, non in subiecto inhaerenter, existens in esse participato, dico non in subiecto inhaerenter, quoniam & forma substantialis est in materia, ut in subiecto, non tamen inhaerenter, & ideo propter hoc non desinit esse substantia, accidens autem quia est in subiecto & inhaerenter, ideo non substantia. Dico in esse participato, ut excludatur à predicamento, prima causa, quae est ens per essentiam, & est sua essentia, omne autem contentum in predicamento habet quidem essentiam & quidditatem, sed non est sua essentia, nec sua quidditas.

Aduerte tamen quod haec ratio non conuenit primo & per se, nisi substantiae completae in specie sua, quales sunt intelligentiae & substantiae compositae, illis autem quae habent rationem partium siue essentialium, ut formae & materiae, siue integralium, ut capiti & pedi, conuenit secundo & secundum quid, eo quod non sunt in predicamento nisi reductiue,



QVINTI METAPHY.

Hæc de prædicamēti quæstio dicta sunt, nec maior difficultas occurrit circa prædicamētum substantiæ, nisi defensæ quod substantia incorporea infinita qualis est Deus Benedictus non continetur in prædicamento substantiæ, & id quidem defensauimus scribentes super primam partem b. Tho. in q. 3. artic. 5. Quare vide illic, ne, idem in diuersis locis pertracta.

Quæstio 18. si plura accidentia quæ sunt eiusdem speciei possunt esse simul in eodem.

Et quæcunq; in eadem substantia entia, differentiam habent. *Tex. 15.* Super quem *tex.* dicit b. Tho. Quintus modus differēdi specie est, quando aliqua accidentia sunt in eodem subiecto, & tamen differunt adinuicem, eo quod impossibile est plura accidentia vnus speciei esse in eodem subiecto.

Circa hanc q. aduerte, quod varietas opinionum reddit ipsam difficilem, nam Scotistæ tenent, dictū philosophi non esse vniuersaliter verum. Aliqui Thomistæ, vt Paulus Socinas in 7. lib. metaphys. q. 4. tenet ipsum esse vniuersaliter verum. Aliqui alij Thomistæ, vt Cap. in 2. dist. 1. q. 1. in responsione ad argumenta, facta contra nonam conclusionem, tenent, quod in aliquo sensu cõcedi potest, duo accidentia eiusdem speciei esse simul in eodem & in aliquo nō. Vt igitur dicam quod videtur mihi tenendum secundum doctrinam b. Tho. sic procedam. Primo, Declarabitur quæ sit mens b. Tho. in hoc quæstio. Secundo, Quæ sit mens Scotistarum, & si quæ rationes eorum sunt contra mentem b. Tho. soluentur. Tertio, Quæ sit mens Iandunij, sequentis viam Comment.

Quantū ad mentē b. Tho. Aduerte, q. in diuersis locis videtur diuersimode loqui. nam in 5. metaph. exponens textū præmissum huic quæstio, videtur tenere absolute, & sine aliqua distinctione huic quæstio, videtur tenere absolute, & sine aliqua distinctione partem negatiuam, & in 2. patet q. 85. artic. 4. tenet absolute, quod formæ eiusdem generis siue sint oppositæ siue non, non possunt esse simul in eodem subiecto, ergo multo minus plures formæ eiusdem speciei & distinctæ solo numero, probatur consequentia, quoniam maior est distinctio specificæ, quàm sola distinctio numeralis. Si igitur formæ distinctæ specie non possunt esse simul in eodem, multo minus formæ distinctæ solo numero, quæ omnem distinctionem videntur trahere à distinctione subiecti. In lib. autem de sensu & sensato exponens textum, qui incipit, vel quemadmodum in rebus ipsis contingit &c. videtur cõcedere, q. plures formæ eiusdem

QVAESTIO XVIII.

102

generis secundum esse intentionale possunt esse simul, tam in sensu, quàm in intellectu, vt species albi, & species nigri, vnde sic inquit. Corpus naturale, recipit formas secundum esse naturales, & materiale secundū quod habet in se cõtrarietatem, & ideo non potest idem corpus simul recipere albedinē & nigredinem. Sed sensus & intellectus recipiunt formas rerum spiritaliter & immaterialiter secundū esse quoddā intentionale, prout non habent cõtrarietate, vnde sensus & intellectus simul potest recipere species sensibilibus contrariorum, cuius simile potest videri in diaphano, quod in vna & eadē sui parte immutatur ab albo & nigro, quia immutatio non est materialis secundum esse naturale, vt dictum est, hæc ille, ex quibus patet quod videtur esse contrarius his, quæ dicit in prima parte, vbi absolute negat formas eiusdem generis siue oppositas siue non posse simul esse in eodem subiecto.

Vt igitur auferatur omnis apparens contrarietas ex doctrina b. Tho. aduerte, quod in quæstionibus de veritate q. 8. art. 14. declaratans mentem suam proponit hanc distinctionem, formæ eiusdem generis possunt tripliciter considerari. Primo vt sunt in potentia, & sic possunt simul esse, quia vna potentia est contrariorum & diuersarum formarum vnus, generis. Secundo prout sunt in actu imperfecto, vt quando sunt in fieri & sic etiā possunt simul esse, vt in motu dealbationis albedo est in eodē, vt in fieri & nigredo vt in corrumpi, & vt dicit in eodē articulo in responsione ad octauum, duæ formæ intentionales sunt in eodem puncto medij non absolute & perfecte, sed vt indifferente, ex consequenti in actu imperfecto. Tertio prout sunt in actu completo & perfecto, vt quando albedo est in fine dealbationis, & quando forma intentionalis actualiter perfecte sensum aut intellectum, vt exeat in actum sentiendi vel intelligendi, & vt sic non possunt simul esse in eodem subiecto, quia oportet eandem potentiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile sicut vnā lineam ex vna parte ad diuersa p̄cta terminari. Hæc est determinatio b. Tho. pro cuius noticia aduerte, quod secundum doctrinam b. Tho. causa sufficiens huius impossibilitatis secundum actum perfectum, non est sola oppositio vel repugnantia secundum esse, quæ reperitur in speciebus colorū & saporū in suo esse reali, vel diuersitas situs in partibus, quæ reperitur in speciebus figuræ, sed etiā vnigenitas formarum id est, quæ sunt vnus generis proximi, nam

QVINTI METAPHY.

in subiecto respectu talium formarū seruatur uitas potētiæ receptiue, licet enim formæ diuersorum generum recipiatur in subiecto secundū diuersam potētiā, ut color propter diaphaneitatem & sapor propter humiditatem, propter quod simul stant in eodem secundū actum perfectum, tamen formæ uoluntatis generis proximi respiciunt subiectum secundū unam potētiā receptiuam, ut omnes species colorum respiciunt corpus secundū diaphaneitatem, & quoniam sicut potētia respicit actum, ita una potētia unum actum, & plures potētiæ plures actus, ideo est impossibile ut una potētia simul plures actus recipiat, nam si plures reciperet, iam non esset una. Impossibile est igitur, quod duæ formæ eiusdem generis siue sint contrariæ, siue non, siue secundū esse reale, siue intentionale sub actu perfecto se compariantur in eodem subiecto, & multo minus possibile est de duabus formis distinctis solo numero, quæ ex sui naturā minore secum distinctionem seruant. Et ex hac determinatione aufertur omnis cōtrarietas, quæ uidetur esse in dictis b. Tho. nam in expositione textus præmissi, in principio huius quaeritur, loquitur de accidentibus eiusdem speciei secundū esse perfectū, siue illud esse sit intentionale, siue reale, in eodem sensu loquitur in prima parte de formis eiusdem generis, in libro autem de sensu & sensato loquitur de formis intentionalibus secundū esse imperfectum, non enim species intentionales sunt in actu perfecto in sensu & in intellectu, nisi dum actu mouent sensum ad sentiendum, vel intellectum ad intelligendum, ita quod quandiu sunt in actu perfecto, tandiu sensus vel intellectus sunt coniuncti actui secundo, & quando cessant ab actu secundo, istæ formæ intentionales non remanent nisi in habitu, quod est esse in actu imperfecto, & simile acceptum ex diaphano non aliud concludit, nisi quod in eodē puncto aeris sunt plures species intentionales sub actu imperfecto, quoniam non sunt nisi ut in medio differente, ut dicit b. Tho. in q. de ueritate q. 8. arti. 14. ad octauum.

Quantū ad secundū aduerte, quod Ant. And. in 7. metaphy. q. 8. tenet dictum philosophi, non esse uerum, nisi de accidentibus realibus absolutis eductis de potētia materiae, generatis per motum, ut duo calores distincti solo numero, & ad intentionem suam peruenit quinque conclusionibus.

Prima, duo accidentia distincta solo numero intentionalia, ut duæ species duarum albedinum, possunt esse in eodem, puta

QVAESTIO XVIII.

103

in eodē puncto aeris in pupilla oculi, in imaginaria &c. Hanc probat, ut videre poteris, & nos quidem cōcedimus hanc conclusionem, & omnes probationes suas, quo ad esse in actu imperfecto. Quod si iurandis de actu perfecto, negatur cōclusio, & omnes probationes suas, nam quando probat quod sunt in eodē puncto aeris, concedo ut in medio differente, & si arguis, ergo in actu perfecto, nego consequentiam, & quando probat quod sunt simul in eadē parte pupillæ & in imaginaria, concedo in habitu, non autem in actu perfecto, quoniam tantum tunc sunt in actu perfecto, quando visus exit in actum, & imaginaria imaginatur. Non potest autem eadē uisio terminari ad duo obiecta, unde quando visus uidet albedinem A, species A, est in actu perfecto in oculo, species autem albedinis B, est in habitu, & quando uidet albedinem B, species sua est in actu perfecto in oculo, & species A, remanere potest solum in habitu. Idem intellige ex parte imaginariæ. De responsionibus quas illic adducit Anto. Andr. & suis improbationibus non curamus, quia non sunt secundum doctrinam b. Tho.

Secunda, duo accidentia respectiua distincta solo numero ut duæ paternitates sunt in eodem, puta in eo qui genuit duos filios. Hanc sic probat pater dicitur, quia genuit, ergo si multis actibus genuit, est pater multis paternitatibus. Hæc cōclusio non tenetur, nec probatio ualet, supponit enim relationem realiter multiplicari ex actibus, vel ex terminis, nos autē tenemus, non multiplicari, nisi ex fundamēto, & quia Sortes eadem potētia generatiua generat multos filios, ideo una paternitate reali, refertur ad plures filios. De responsionibus autem quas ipse adducit & improbationibus pro nunc non curamus, quoniam infra quaeremus, unde relatio habet unitatem & pluralitatem.

Tertio, duo accidentia distincta solo numero realia, & absoluta non educta de potētia materiae, & per motum, possunt esse simul in eodem, & exemplificat de multis memoriis generantibus experimentum, quæ sunt plures cognitiones eiusdem speciei, quoniam sunt multorum singularium eiusdem speciei, aliter non generarent experimentum, & exemplificat de multis speciebus insensatis retentis in memoria, causatis à singularibus eiusdem speciei, &c. Et nos quidem hæc conclusionem & probationes suas acceptamus in eodem sensu, in quo acceptamus primam, & non aliter, & concedimus huiusmodi

QUINTI METAPHY.

memoriae & species memoratas, seruari simul in habitu, non autem in actu perfecto.

Quarta, duo accidentia realia absoluta producta sine alteratione, distincta solo numero, vt duo lumina, possunt esse in eodem, probatur, ponantur duae candelae, vna hic, & alia ibi, ponatur etiam corpus medium densum, sicut duae umbrae, si ergo amoueat illud corpus densum, lumen vtriusque candelae, incedet incessu directo ad locum, vbi erat corpus densum, & ita in eadem parte aeris erunt duo lumina, nam umbra est priuatio luminis, ergo amoto obstaculo, lumen vtriusque candelae erit, vbi umbra praefuit: quia habitus & priuatio sunt circa idem. Hanc conclusionem non concedimus, ad probationem dicimus, quod posito illo casu, lumen causatum ab vtraque candela, in vna & eadem parte erit vnum lumen, magis tamen intensum, quam si causaretur ab vna candela tantam, & vtraque candela se habet vt causa partialis, vnde non acceptamus illam responsionem, quam illic adducit, & contra quam arguit, scilicet quod sunt duo lumina per comparationem ad candelas, a quibus sunt effectiue, & sunt vnum per comparationem ad medium, in quo recipiuntur. Hanc inquam responsionem non acceptamus, quoniam a duabus causis partialibus non sunt duo effectus per comparationem ad ipsas causas, cum habeat vim vnius cause. Cum igitur hoc lumen intensum non possit produci, vt supponimus ab altera candela, sequitur quod vtraque habeat vim vnius cause, & producant tantum lumen vnum, sicut duo ignes applicati aquae, producant vnum calorem.

Quinta, duo accidentia realia absoluta producta per motum, distincta solo numero, vt duo calores, duae albedines &c. non possunt esse in eodem. Hanc probat diffuse, & quoniam hanc conclusionem acceptamus, & similiter probationes suas, ideo non est hic immorandum, verum autem duo contraria inesse remisso se comparantur, vt tenet illic Antonius Andreas determinabimus in libro 10.

Quantum ad tertium aduerte quod sand. in 5. metaphy. q. 36. tenet dictum philosophi verificari tantum de accidentibus naturalibus & intrinsicis, quae inseparabiliter rei conueniunt, vt lux in sole, resibilitas in Sorte. De his enim tenet, quod non possunt plura eiusdem speciei & distincta solo numero esse in eodem, quoniam cum vnum sufficiat, alterum superfluet.

QVAESTIO XVIII.

104

De accidentibus autem aduentitiis, qualia sunt plura lumina in eadem parte medij, & plures speciei intentionales in eodem puncto medij, & plures relationes eiusdem speciei, vt plures paternitates, concedit quod possunt esse simul, & quoniam probat intentum suum in his omnibus, sicut probauit Anto. And. ideo non adduco eius probationes.

Solum aduerte duas rationes, quas adducit, vtraque quae adducuntur ab Ant. And.

Prima. Quando calor aque calefactione agentis intenditur additur gradus gradui, qui sunt, vt patet, eiusdem speciei, & quando subsequens gradus introducit, praecedens corrumpitur, aliter, idem esset generans & corrumpens, respectu eiusdem, ergo duo calores distincti solo numero sunt in eodem.

Respondetur. Haec ratio apud nos nullam habet apparentiam, quoniam negamus intentionem formae per additionem gradus ad gradum, sed per eductionem eiusdem formae, de imperfecto ad perfectum, vt alias dicemus, & posito quod fieret per additionem gradus ad gradum, dico quod adueniens subsequenti, praecedens corrumpitur, nec inconuenit, idem respectu eiusdem esse generans & corrumpens, sed dico quod est generans per se, & corrumpens per accidens, quia est intendens producere sequentem gradum, cum quo non potest stare praecedens, cum sint eiusdem speciei.

Secunda. Duae formae substantiales stant simul in eodem, vt in Sorte est forma, per quam est homo, & alia, per quam est animal &c. ergo multo magis duo accidentia eiusdem speciei stant simul in eodem. Consequentia videtur manifesta, quoniam si distinctae formae substantiales, quae dant distincta esse simpliciter, stant in eodem, multo magis duo accidentia eiusdem speciei, quae dant esse secundum quid, antecedens autem probatur, quoniam si esset tantum vna forma in homine, per quam est homo, & per quam est animal, quicquid conuenit homini in quantum est homo, conueniret homini in quantum est animal, & sic risibile conueniret homini in quantum est animal, quod est falsum, quoniam omne animal esset risibile.

Respondetur, negando antecedens, ad probationem, negatur consequentia, quoniam vt diximus in 1. lib. in q. 7. coetera sanctorum multiplicantes formas substantiales in eodem, iuxta numerum praedicatorum quidditatorum, licet vna tantum forma

fit in homine ipsa tamen largitur ei multos gradus essendi, ut esse intellectuum, esse sensitivum, esse animatum, & hinc est, quod non est necesse, omne quod convenit homini in quantum est homo, convenire eidem in quantum est animal. Quod tamen convenit homini in quantum est homo, convenit ei secundum gradum intellectuum, ut esse docibile, esse risibile, quod autem convenit ei in quantum est animal, convenit secundum gradum sensitivum, ut movere seipsum, uterque tamen gradus fundatur in essentia eiusdem formae, patet igitur quod stante una forma in homine, largiente diversos gradus, non sequitur, quod si risibile convenit homini in quantum est homo, conveniat ei in quantum est animal. Relicta igitur opinione Ant. And. & Landuni statim est determinatio, quam fecimus secundum mentem b. Tho. Qui optime saluat dictum philosophi, & non est audiendus Landunus, qui in 5. lib. q. 36. dicit, quod licet hoc nomen diversum specie significet aliqua diversa in specie in eodem subiecto, non tamen est necesse, quod ita sit in rei veritate, quod semper accidentia in eodem subiecto sint diversa specie, immo possunt esse eiusdem speciei, & diversa numero, nec inconvenerit, quod aliquod nomen significet aliquid, quod tamen in rei veritate non est in rerum natura, ut substantia significat ideam, quae tamen in rei veritate non est. Haec Landu.

Sed non consideratur Landunus, quod in c. de diverso, philosophus assignat omnes modos secundum propriam intentionem, ex consequenti doctrinaliter & vere, & non facit mentionem de opinionibus antiquorum, sicut fecit, quando assignavit modos substantiae, & ideo non oportebat Landunum fundare se super hoc nomen substantia, quod licet dicatur de idea, non tamen secundum mentem philosophi. Haec de praesenti questione dicta sint.

Quaestio 19. si cuilibet potentiae activae correspondet aliqua potentia passiva.

Principium permutationis aut motus dicitur potestas in diverso in quantum diversum. Tex. 17.

In hac questione, ut resolute procedamus quartor agenda sunt. Primo quid sit potentia activa universalissime sumpta, & similiter quid sit potentia passiva. Secundo quomplex est potentia activa & potentia passiva. Tertio ponentur conclusiones responsivae. Quarto solvantur quaedam dubia.

Quarta

Quantum ad primum adverte, ne idem sepe pertractemur quod in epitomi nostra in 5. metaph. in c. de potestate, declaravimus ad mentem Aristote, quid sit potentia activa & passiva, similiter in principio noni libri, deo vide illic.

Quantum ad secundum adverte quod ut innuit Arist. in 9. lib. tex. 1. potentia activa est duplex, quaedam physica, & haec est, quae est in rebus mobilibus quae agunt per motum & transmutationem physicam, sicut corpora caelestia, & elementa, & elementata, & in corpore caelesti includo intelligentiam non in quantum intelligentia, sed in quantum movens, ita quod ex intelligentia & caelo fiat unum agens, unum movens, quod Arist. in 8. phys. appellat primum movens seipsum. Quaedam metaph. quae est in substantiis separatis, quae ut intellectuales abstrahunt a materia & a motu physico, & possunt agere sine motu physico, ut intelligere, velle, delectari, utrum autem possint ad extra aliquid operari sine motu, & sine materia in quam agant, detemur in sequentibus.

Potentia passiva similiter etiam duplex. Quaedam naturalis, & haec est potentia receptiva materiae, sive subiecti quae supponit generans, quae alterans naturale, nam ignis agens in aquam, ut ex ea generet ignem, supponit in materia, quae est sub forma aquae potentiam passivam ad formam ignis, & calidum agens in frigidum, supponit in substantia frigidi, potentiam passivam ad calorem. Quae iam est metaph. & haec est in omni ente, quod non est sua perfectio, sed aptum est perfici aliquo distincto ab ipso realiter ad quid comparatur, ut potentia ad actum, & haec maxime invenitur in abstractis, excepta prima causa. Dicemus enim in libr. 11. quod in solo primo, actio sua est substantia sua. In aliis autem, & in anima intellectiva, substantia sua comparatur ad id, quod est sua perfectio, sicut potentia passiva ad actum, unde intellectus comparatur ad intelligere, quod in se recipit, ut potentia passiva ad actum. Propterea Arist. in 3. de anima tex. 17. ponit intellectum passibilem, sicut materiam quoniam est in potentia passiva ad omnia intelligibilia, sicut materia prima ad omnes formas naturales. Et quod dico de intellectu, idem est de sensu respectu sensibilium, & de appetitu respectu appetibilium, & de substantia animae respectu potentiarum suarum.

Quantum ad tertium, pono duas conclusiones de mente philosophi. Prima est, Cuilibet potentiae activae naturali correspondet



QVINTI METAPHY.

Aliaque potentia passiva naturalis, & e converso. Hæc sic probatur, per se inuicem diffiniuntur, ergo sibi inuicem correspondent consequentia patet, antecedens probatur, nam secundum philosophum in hoc 5. tex. 17. & in 9. tex. 2. potentia actiua est principium transmutandi actiue aliquid in quantum aliud, potentia autem passiva est principium transmutandi passiuo ab alio in quantum aliud & intelligitur ly transmutando in quolibet genere motus vel mutationis physice. Præterea idem manifestatur inductiue, videmus enim quod omne agens naturale, aut agit generando, & sic supponit generabile, aut corrumendo, & sic supponit corruptibile, aut mouendo localiter, & sic supponit mobile localiter, aut agendo, vel diminuendo, & sic supponit augmentabile vel diminuibile, aut alterando, & sic supponit alterabile, & pluribus modis non potest agere agens naturale, cum agat per motum & non sint plura genera mutationis & motus physici, ergo &c. Et aduerte quod in hac conclusione, omnes conueniunt, tam Thomæ mixtæ quam Scotiæ, & Commentariæ.

Secunda conclusio est. Non cuiuslibet potentie actiue metaphysice correspondet aliqua potentia proprie dicta passiva. Hæc conclusio acceptatur ab his, qui tenent Deum esse potentie & virtutis infinitæ, & esse causam productiuam totius entis per creationem. Constat enim omnem potentiam passiuam proprie dictam esse potentiam materie vel subiecti in productione autem totius entis per creationem, nec materia, nec subiectum supponitur, quoniam creatio est productio nullo supposito, ergo non correspondet potentie actiue Dei aliqua potentia passiva proprie dicta. Dicitur autem proprie dicta, quoniam si sumatur potentia passiva pro potentia logica, quæ est non repugnantia terminorum prout omne non implicans contradictionem, dicitur possibile esse vel fieri, sic potentie actiue Dei correspondet potentia passiva, sumpta pro omni eo quod non implicat cõtradictionem. Quod enim cõtradictionem implicat, est ex se impossibile quod est ex se impossibile, per nullam potentiam actiuam est factibile, unde Deus non potest facere, quod parabellæ concurrant, quod homo sit asinus &c. Ex hoc est quod solet dici, licet diuine potentie actiue non respondeat æquare possibile naturale, correspondet tamen possibile logicum, quod prædicatur de possibili naturali, & de omni non implicante contradictionem.

Qui autem tenent Deum esse virtutis finitæ, & negant creationem, non acceptant hanc conclusionem secundum viam peripateticam,

QVAESTIO XIX.

sicut sunt Commentariæ. Inter quos est Iandus, qui in 5. metaphy. 9. 17. dicit licet secundum fidem & veritatem, alicui potentie actiue, vt potentie primi principii, quæ totum ens producit non correspondeat aliqua potentia passiva, tamen hoc negaret Aristoteles, quia ad hoc ponendum, non potuit conuinci ex sensu, verum quia in lib. 12. sustinebimus ad mentem Aristotelis, Deum esse virtutis infinitæ, & concessisse creationem, ideo sustineo nec simus in 12. lib. Et aduerte quod Iandus, vbi supra, satis debili ratione probat intantum suum. Sic enim arguit, omne quod producit, aut potuit esse, aut non potuit esse, si non potuit esse est impossibile, impossibile autem nulli potentie actiue subest, si potuit esse, ergo prius fuit aliquid in quo fuit potentia passiva.

Respondetur. Concedo quod potuit esse, sed nego hæc consequentiam, ergo prius fuit &c. nam sufficit quod potuit esse potentia logica, eo modo quo expositum est.

Quantum ad quartum aduerte, quod sunt aliqui doctores, qui licet concedant secundam conclusionem respectu creationis & productionis abstractorum à materia, tamen negant eam quo ad materiam, in hoc sensu negant in materia esse potentiam passiuam ad aliquam formam, cui non correspondeat aliquid agens naturale, potens sua potentia actiua naturali talem formam imprimere, & utuntur propositum suum probare.

Primo sic, impossibile est vt ignobilior differetia sic in natura, quin sit nobilior, nam extrema opposita debent esse infra eundem ordinem. Sed actus & potentia opponitur, & pura potentia quæ est potentia materie disponibilis per omnem actum & formam sibi visibilem est in rerum natura, ergo alterum oppositum, scilicet actus siue agens potens imprimere omnes formas, ad quas materia est in potentia, debet esse in rerum natura, nec valet si dicatur, quod talis actus siue agens est ipse Deus qui opponitur materie primæ, sicut purus actus puræ potentie, nam extrema opposita debent esse eiusdem ordinis, Deus autem est extra ordinem nature, materia autem prima non, ergo infra ordinem nature debet sibi assignari aliquod agens, carens omni potentia passiva, & illud est corpus cæli, quod non est in potentia passiva, nisi ad vbi, & est virtualiter actus omnes formas receptibilis in materia, siue ad quas receptiua nisi formarum.

Secundo, materia prima non est receptiua nisi formarum simplicium elementarium & mixtarum, quæ proueniunt ex elementariis, & animarum non subsistentium & accidentium

QVINTI METAPHY.

corporearum quæ consequuntur formas substantiales. Sed omnes istæ formæ possunt produci in materia per agens naturale vniuersale, quale est corpus cæli immediate vel mediate, puta coagente sibi generatæ vniuoco particulari, præcipue in his quæ sunt per propagationem, ergo materia non est in potentia ad aliquam formam, quæ sibi non possit imprimi ab aliquo agente naturali.

Tertio si materia esset in potentia ad aliquam formam, quæ agens naturale non posset inducere, hoc maxime esset propter formas eductas per miraculum, & propter animam rationalem, quæ à solo Deo creatur. Sed neutrum istorum cogit: non primum, quoniam formæ eductæ per miraculum, sunt educibiles per agens naturale, ordine quodam, nam quando ex mortuo fit viuum, immediate subuertitur ordo naturæ, quem tangit Comment. in 8. metaphy. cõmen. 18. vbi inquit. Quædo ex mortuo fit viuum non fit nisi reuertatur in 4. elemēta, deinde formæ quæ sunt inter 4. elemēta & vitam generabuntur, & sic vita necessario generabitur. hæc ille. non igitur inducitur in materia aliqua forma, quæ nõ sit naturaliter producibilis, quãuis alio & alio ordine, nec secundum, quoniam anima rationalis sola inter formas est per se subsistens: ideo non est extrahibilis de potentia materię, nec vnitur ad modum aliarum formarum, sed quoddam altiori modo, quoniam non solum est perfectio materię vt aliarum formarum, sed res in se manens sine materia, ergo &c.

Pro responsione istorum præmitto, quod in materia potest assignari duplex potentia, scilicet passiuæ naturalis, & passiuæ siue receptiuæ obedientialis. Prima dicit substantiam materię cum habitudine ad formam sibi vnibilem per potentiam actiua agentis naturalis. Secunda dicit substantiam materię cum habitudine ad formam sibi vnibilem per solum agens diuinum modo non naturali.

Ex hac distinctione dico, quod primū argu. concludit de potentia passiuæ naturali tantum, non autem de obedientiali, nam sicut quod illi correspondet potentia actiua diuina. Ad secundū dico similiter. Respectu autem potentie obedientialis, nego quod materia sit in potentia solum ad formas elementares & mixtas &c. Ad quas aut sit in potentia obedientiali est officium Theologi considerare. Ad tertium dico, quod non est propter animam intellectiua, quoniam licet non sit extrahibilis ex materia, est tamen naturaliter vnibilis actione agentis naturalis inducentis

QVAESTIO XX.

107

in materia disponēs pro introductione animæ in materia & cõseruatione in eadē. Concedo autem quod est propter formas miraculosas, siue miraculose introductas, licet. n. materia sit in potentia naturali ad eandē formam in specie, & per multas generatio nes, nõ tñ ad eandē numero, quã prius habuit & immediate: sed respectu illius est solum in potentia obedientiali, & vt sic respicit solum agens diuinum. Hæc de præsentī quæstio dicta sint.

Quæstio 20. Si diuisibilitas est formalis ratio quãtitatis.

Quantum vero dicitur, quod est diuisibile in eis quæ insunt quorum vnumquodque, &c. Text. 18.

In hac quæstione 4. agenda sunt, primo declarandus est titulus, secundo pertractabitur opinio b. Tho. tertio opinio Scotistarum, quarto soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quod per formalem rationem intelligo conceptum quidditatiuum, datum per prædicata per se in primo modo, vt sit sensus, vtrum diuisibilitas in partem eiusdē rationis prædicatur de quantitate in primo modo per se, & non in secundo, ita quod se habeat proportionaliter ad quantitatem, sicut differentia, & non sicut propria passio.

Quantum ad secundū aduerte, quod res conceptibilis, aliquando concipitur per prædicata quidditatiua, aliqui per proprietates, quæ sunt nobis notiores quã prædicata quidditatiua, aliqui per proprias operationes, quæ sensu manifestiores sunt quã proprie passiones, aliqui per respectum ad aliquod extrinsecum, sicut manifestatur locus, vt respicit locatum. Hinc prouenit quod b. Tho. ad mentem Arist. diuersimode concipit quantitatem. nam aliqui sub ratione mensuræ, puta quod quantitas est mensura substantię, aliquando sub ratione diuisibilitatis, puta quod quantitas est ens primo & per se diuisibile, & quod substantia est diuisibilis per quantitatem. Quæ autem sit ratio quidditatiua eius, an ea quæ datur per mensuram, an ea quæ datur per diuisibilitatem, perscrutandum est. Vnde aduerte, quod cum metaph. cõsideret vnumquodque secundum sui naturam & entitatem, & non tantum per respectum ad alterum, rationabile est, vt illa sit quidditatiua ratio quantitatis, quam sibi metaph. attribuit. Constat autem in præsentī tex. quod sibi attribuitur ratio sumpta à diuisibilitate, & non à mensura. Hec ergo erit quidditatiua ratio quantitatis, cuius signum est, quod b. Tho. incipiens exponere in 4. metaphy. cap. de quanto dicit, primo ponit rationem quantitatis dicēs, quod quantum est, quod est

QVINTI METAPHY.

Diuisibile in ea quæ insunt. Præterea, esse diuisibile in partes eiusdem rationis cõuenit quãtitati primo & per se, & immediate, id est, nõ per aliquid prius, ergo cõuenit ei quidditative, sicut esse rationale cõuenit homini, cõsequẽtia nota, antecedẽs probatur. Esse diuisibile in partes eiusdem rationis, aut cõuenit primo & per se substãtiæ materiali, aut quãtitati, nõ substãtiæ materiali, quã secundũ Cõmen. in de substãtia orbis. c. 1. materia est secundũ se indiuisibilis, similiter forma, & diuidi, siue hæc partes nõ cõuenit eis nisi per quãtitatẽ: ergo cõuenit primo & per se quãtitati, & quæ cõueniat ei, nõ per aliqd prius, declarat sic, quãtitati quatuor cõueniunt scilicet esse diuisibile, esse finitũ vel infinitũ, esse æquale vel inæquale, esse mẽsurã, & hæc sic ordinantur, quartũ supponit tertiu, necesse est enim oẽm mẽsurã esse æquale vel inæquale mẽsurato & tertiu supponit secundũ, quã oẽ æquale vel inæquale est finitũ vel infinitũ. Et secundũ supponit primũ, quoniã omne finitũ vel infinitũ quãtitiuũ, necessãrio habet partes: ergo est diuisibile, nõ est autẽ assignabile aliquid prius, per quod esse diuisibile, cõueniat quãtitati, sed ei cõuenit ex sui natura, vnde sicut ista est immediata & indemonstrabilis, homo est rationalis, ita ista, quãtitas est diuisibilis in partes eiusdem rationis. Tenendũ est ergo quod diuisibilitas est formalis ratio quãtitiuũ, cõsiderata quãtitate cõsideratione metaph. qd dico, quoniã si cõsideretur cõsideratione logica, vt cõsiderauit eam Arist. in prædicamẽtis. nõ inconuenienter rationem quãtitiuũ sumi à mẽsurã, & propterea distinxit Arist. in prædicamẽtis superficiẽ à loco, licet non distinguantur realiter, vt diximus in epitomã nostra in 5. metaphysic. Vnde si alicubi inueneris b. Tho. dicentem, mẽsurã esse rationẽ quãtitiuũ, intellige cõsideratione logica, & non metaph. Et sic nulla discrepãtia est in dictis b. Thomæ.

Quantũ ad secundũ aduerte, quod Ant. And. in 5. metaph. q. 10. tenet nullã rationẽ assignatã à philosopho esse rationẽ quidditatinã quãtitiuũ, siue sumatur à diuisibilitate, siue à finito vel infinito, siue ab æquali vel inæquali, siue à mẽsurã, tenet enim quod ista quatuor sint quatuor passiones quãtitiuũ, & prædicantur de ea in 2. modo per se inter quas concedit diuisibilitatẽ esse primã, & quidẽ quod diuisibilitas in partes eiusdem rationis non sit essentialis ratio quãtitiuũ, ita quod prædicetur in primo modo per se quãtitiuũ, sic probat, nullus respectus formaliter, est essentialis ratio alicuius absoluti. Sed diuisibilitas est

QVAESTIO XX.

108

formaliter respectus, dicit enim aptitudinẽ ad diuisionẽ, & quãtitas est quid absolutũ: ergo &c. maior patet ex 4. metaph. vb̄ philosophus deducit, ponẽtes oia apparẽtia esse vera ad hoc in cõueniens, quod oia essent formaliter ad aliquid. Præterea, potentia & actus sunt eiusdem generis & eiusdem essentia, quia diuidunt omnes ens, sed actu diuidi nõ est essentialis quãtitati, quia omnis quãtitas esset actu diuisa, ergo nec potentia ad diuidi, quod significatur per ly diuisibile, est de essentia quãtitiuũ.

Hæc est intentio Ant. And. & quidẽ conuenimus cũ eo, quod ratio quãtitiuũ sumpta à mẽsurã, siue ab æquali vel inæquali & sumpta à finito vel infinito, nõ est quidditativa, quoniam illæ sunt passiones consequentes naturã quãtitiuũ. Negamus autem, quod ratio sumpta à diuisibilitate non sit essentialis, & quod distinctio quãtitiuũ in species suas, sumpta à diuisa diuisibilitate, non sit distinctio essentialis, & propterea dicitur ad primũ, quod licet nullus respectus sit totalis ratio alicuius absoluti, tamen nõ inconuenit ipsũ ingredi rationẽ alicuius absoluti. Sunt enim quædam, quæ nõ possunt cõcipi nisi cõceptu relationali, & tamẽ non dicunt respectũ, sed absolutũ, sicut bonum non potest concipi nisi per respectũ ad appetitũ, & intelligibile ad intellectũ, & potentia ad actũ, & quãtitas ad partes, & tamẽ cõstat, quod ista quo ad naturã suã sunt absoluta. Dico igitur quod ratio quidditativa quãtitiuũ sumitur à diuisibilitate, non quod quãtitiuũ sit sola diuisibilitas, vt est aptitudo, sed quia naturã quãtitiuũ non potest concipi quidditative sine diuisibilitate, sicut non potest concipi bonum sine appetibilitate. Ad secundũ dico, quod maior potest habere duplicem sensum. primo, potentia & actus sunt eiusdem generis & essentia, id est, eiusdem prædicamẽti, & sic concedo eam, vt substantia in potentia, & substãtia in actu sunt eiusdem prædicamẽti, & potentia ad qualitatem, & qualitas, sunt eiusdem prædicamẽti. Similiter in proposito, posse diuidi in partes, & actũ diuidi primo & per se, sunt eiusdem prædicamẽti quia vtrũque cõuenit quãtitati, & nulli alteri, nisi per quãtitatẽ. Secundo potentia & actus sunt eiusdem generis, id est, eiusdem rationis, quo ad ingredi rationẽ quidditatinã alicuius, & sic nego eam, nam esse mobile est de essentia entis naturalis, nõ tamen esse motũ vel actũ moueri, hoc cũ separabile est ab ente naturali. Sic in proposito esse actũ diuisum est separabile à quãtitate, vt patet, non autẽ esse diuisibile. Omnis enim quãtitas



diuisibilis est, nō autē omnis est actu diuisa. patet igitur, quod rationes Ant. And. non concludunt contra viam nostram.

Quantum ad quartum aduerte, q̄ tria faciūt difficultatem contra determinationem positam, primo esse diuisibile non solum simpliciter, sed etiam in infinitū demonstratur de quantitate continua in 6. phys. ergo esse diuisibile nō est ratio formalis & quidditatiua quantitatis antecedens manifestum est definitione continui, consequentia patet. quoniam cum ratio quidditatiua sit medium demonstrandi passionem de subiecto, ipsa est indemonstrabilis, vnde cum prædicatur de eo cuius est ratio, efficitur propositio immediata, ex 1. poster.

Respondetur, aliud est quantitatem esse diuisibilem, & esse diuisibilem in infinitum. primum enim primo & per se, & nō per aliquid prius cōuenit quāritati, ideo esse diuisibile primo & per se est indemonstrabile de quantitate. secundū autē cōuenit quāritati, nō absolute, sed ratioe cōtinuitatis ideo demonstrari potest. ex eo enim q̄ cōtinuum nō potest cōponi ex indiuisibilibus, provenit continuum esse diuisibile in infinitum.

Secundo, ratio formalis alicuius generis vniformiter cōuenit speciebus illius generis, vt patet pro quanto cōueniunt in genere, sed esse diuisibile non vniformiter cōuenit speciebus quantitatis, puta discretæ & continuæ. Quantitas enim discretæ habet partes actu diuisas, vt binarius lapidum, continua autem habet partes non diuisas abinvicem, sed diuisibiles, cuius signum est, quod copulantur ad vnum terminum communem.

Respondetur, licet partes quantitatis discretæ non copulentur ad vnum terminum communem, tamen vt partes sunt, & actu constitunt vnum totum, puta ternarium, non sunt actu abinvicem diuisæ, alioquin numerus non esset vnum per se, cuius oppositum manifestabimus infra, nego igitur quia esse diuisibile cōueniat vniformiter quāritati continuæ & discretæ, vt sunt quoddam totum.

Tertio videtur quod esse diuisibile primo & per se, cōueniat quāritati, nam ante omnem quantitatem secundum viam nostram recipitur forma substantialis in materia, ergo ante omnem quantitatem materia est diuisa vel diuisibilis, alioquin determinata forma substantialis, aut in nulla aut in omni materia reciperetur.

Respondetur, dico iuxta determinationem quam fecimus

in q. de principio indiuiduationis supra, in hoc 5. lib. licet forma substantialis præcedat natura omne accidens in materia, non tamen reciperetur in ea, nisi esset signata, ex consequenti distincta à qualibet alia materia, quam distinctionem non habet à se, sed ex ordine ad hanc determinatam quāritatem. Dico igitur, quod esse diuisibile primo & per se, cōuenit quāritati, quoniam nihil quāritatiue diuisibile est, nisi sit quantitas vel sub quantitate, vel ordinem habeat ad quantitatem.

De loco, & motu, & tempore, an sint quantitates per se, iam determinauimus in nostris epit. in cap. de quanto, in 5. lib. metaph. Hæc de præsentibus quæstio dicta sint.

Quæstio 21. si modi relatiuorum sunt sufficienter assignati.

Ad aliquid dicuntur alia per se, vt duplum ad dimidium. Text. 20.

PRO resolutione quæstionis, licet de relatione iā locuti sumus in tracta. de transcendentibus, ad præsens pertractanda sunt septem. Primo si relatio est ens reale. Secundo si relatio realis sufficienter diuiditur per mutuam & non mutuam. Tertio quid requiritur ad mutuam & non mutuam. Quarto quomplex sit fundamentum relationis realis. Quinto si prædicamentum ad aliquid cōtinet in se omnem relationem realem. Sexto ponetur conclusio responsiua quæstionis. Septimo soluentur quedam argumenta.

Quantum ad primum aduerte quod vt recitat Auic. in 3. lib. metaph. cap. 10. quidam dixerunt, quod nō est relatio in certitudo, nisi in anima, cum intelligit res, & in hanc opinionem conuenerunt quidam posteriores, vt Petrus Aureoli, qui dixit illud quod est in re de relatione, non est nisi fundamentum & termini, habitudo vero inter illa est solum obiectiue in anima cognoscente, & hanc suam imaginationem conatur sic declarare. Relatio realis non dicitur eo quod est actu in re, sed eo quod est in re secundum potentiam propinquam, ita quod cogitur intellectus, illam reducere in actu nō ab extrinseco, sed ex intimis fundamenti, sicut per oppositum, relatio dexteri in columna, est relatio rationis, eo quod nihil in columna ponitur, quod cogat intellectum ad concipiendum relationem dexteritatis circa ipsam, dicuntur ergo reales, quia sunt



QVINTI METAPHY.

propinquissimæ rei, in tantum quod intellectus necessitatur à re ad concipiendum eas, quasi in re essent repertæ, sicut per oppositum dicuntur relationes rationis, eo quod intellectus non necessitatur à re ad eas concipiendum, immo eas fabricat per se. Et quidem quod nulla relatio sit in re, sed in anima, probat in omni modo relatiuorum.

Primo, probatur de relatione primi modi sic, identitas, similitudo, æqualitas, & aliæ relationes modo numeri non sunt aliud quæ quedam vnitates, quæ vnitas non est aliud nisi quedam indiuisio & indistinctio. Sed huiusmodi indiuisio & indistinctio non possunt fundari in aliqua re communi à natura, quia talis non est, nec in duabus rebus indiuidualibus, quia sic vna res esset in duobus subsiectis, ergo huiusmodi relationes non sunt in re, sed in intellectu.

Secundo, probat de relatione secundi modi sic, paternitas & filiatio non fundantur nisi in actu, qui transit. Sed actus qui transit, nihil fundat in re, quia non est, ergo paternitas & filiatio non sunt in re, sed in intellectu. Præterea paternitas à quo produceretur, non à patre, quia sequitur absurdum, scilicet quod aliquid actione transeunte agat in seipso, nec à filio, quia recipit & non imprimit in patrem, nõ ab actione profluente à patre, quia illa recipitur in filio, & sic quicquid derelinquitur, est in filio & non in patre, cum igitur paternitati non possit assignari principium productiuum, patet, quod non est in re, sed in intellectu.

Tertio, probat de relatione tertij modi sic, impossibile est rem realiter dependere à nõ re, quia dependeret à nihilo. Sed hoc sequeretur in tertio modo relatiuorum, si relatio esset res, stat enim scientia etiam destructo scibili: ergo inter scientiana & scibile non est relatio in re, sed in intellectu. Vltimo probat propositum generaliter sic, illud non est res extra intellectum quod sit sine omni agente reali, sed albo existente in orizonto, si fiat aliud album in occidente, intelligitur similitudo per intellectum inter ea, & non sit per aliud reale agens, immo secundum philosophum in 5. physice. tex. 10. contingit aliquid de nouo relatiue dici ad alterum, altero mutato, ipso tamen non mutato.

Hæc fuit phantasia Petri Aureo, cui contradicitur de mente Arist. & Comment. & Auic. nam Arist. in 12. lib. metaphysice. tex. 19. querens, vtrum substantiarum & aliorum predicamento-

QVAESTIO XXI.

110

tum sint eadem principia inter predicamenta connumerat ad aliquid, immo de eo solo mentionem expressam facit, inquit enim, vtrum altera aut eadem sunt principia & elementa substantiarum, & eorum quæ sunt ad aliquid &c. Constat autem quod in 6. lib. tex. 4. diuinit ens, in ens verum, quod est ens in anima, & in ens distinctum in predicamenta, quod necesse est esse ens extra animam, alioquin membra diuisionis non essent opposita. Cum igitur connumeret ad aliquid inter predicamenta, patet suam intentionem fuisse, quod sit ens reale. Comment. autem in 12. lib. exponens tex. 19. & reddens rationem, quare philosophus querens, vtrum sint eadem principia substantiarum & aliorum predicamentorum, ex aliis predicamentis nulli nominat, nisi ad aliquid, dicit sic, & dicit proprie relationem, quia est debilioris esse aliis predicamentis, ita quod quidam reputauerunt eam esse ex secundis intellectis, hæc ille. Quasi dicat, ideo nominat solum ad aliquid, vt manifestet, quod est ens reale, de quo posset esse maius dubium propter debilitatem sui esse. Auic. vero in 3. libro suæ metaphysice. cap. 10. manifeste sentit aliquam relationem esse realem & habere esse, nullo intellectu cogitato, sic enim inquit. Nos scimus, quod hæc res in esse est pater illius, & ille filius illius, siue intelligatur, siue nõ, & scimus quod planta accipit nutrimentum, sic quod ibi est agens & patiens, & scimus quod cœlum est super terram, & terra est inferior eo, siue hæc intelligatur, siue non, & istud quod assignamus, est simile in aliis relatiuis, vltra expressam mentem Arist. & Commentar. & Auic. est manifesta ratio ad propositum, quam adduximus in tractatu de transcendentibus, quod ordo qui est relatio, est de perfectione vniuersi. Specialiter autem arguitur sic contra imaginationem Aureoli, quando intellectus cogitat ad intelligendum dominum in habitudine ad seruum, aut præcedit ex natura rei, & in actu primo, talis habitudo, aut non, si sic, ergo est ens reale, quoniam secundum te præcedit actum intellectus, si non, ergo quantum sit ex parte rei, potest intellectus intelligere dominum, sine habitudine ad seruum: quia secundum te non præcedit actum intellectus, ex consequenti non cogitur intellectus ad intelligendum huiusmodi habitudinem quando vult intelligere dominum, quod tamen est contra ipsam Aureolum, vt patet ex prædictis.

Nunc igitur respondendum est argumentis suis, iuxta viam nostram.

Ad primū nego minorē, nam sicut inter duo alba est vnitas rationis in qualitate, sic & illa vnitas potest fundari in natura specifica albedinis, quæ est communis secundum rationem, & si dicas, ergo relatio realis qualis ponitur similitudo fundabitur super vnitatem rationis, quod videtur impossibile, cum relatio trahat realitatem à fundamento. Respondeo non fundatur præcise super vnitatem rationis nature communis, sed inquantū talis vnitas adiunatur diuersitate reali suppositorū. Posset etiam dici, quod fundamentum similitudinis non est vnitas nature communis, sed res singulares, non absoluta, sed vt sunt vnum specie. Ad primum inductum cōtra secundum modum, nego maiorem, nam fundamentum est potentia generandi vt fuit sub actu, & ille actus permanet in virtute, & hoc sufficit. Ad secundum contra eundem modum dico, quod producitur à patre & à filio, non quidem directe, sed per quandam resultantiam, nam ex hoc quod pater generat, & filius generatur, resultat in patre paternitas, & in filio filiatio. Et aduerte quod hæc responsio non placet Paulo Soneinati in 5. metaphy. q. 25. & quod filius non producat paternitatem in patre, probat tripliciter primo si filius producat paternitatem in patre, sequitur quod eam producat in primo instanti sui esse. Sed hoc est falsum. Tum quia nulli agens naturale producit in instanti formam accidentalem. Tum quia nullum tale agit in principio sui esse, licet incipiat agere. Probatur autem illa prima consequentia, quoniam in primo instanti in quo filius est, in eo filiatio est, ergo & paternitas, quoniam relatiua sunt simul natura, secundo vel filius producat paternitatem eadem actione qua pater, vel alia, non eadem, quoniam à duobus agentibus non egreditur eadem actio, si alia, ergo datur aliqua productio, que per se terminatur ad relationem, scilicet illa qua filius producat paternitatem in patre, tertio, agere præsupponitur esse, ergo filius prius natura est, quam causet paternitatem, sed in illo priori, filius habet relationem producti, ergo relatio producti sue filiationis est prior natura relatione paternitatis, quod est falsum. Quod etiam pater non producat in se paternitatem, sic arguitur, quælibet productio prius natura terminatur ad terminum rectum, siue sit per se, siue sit per accidens, quam ad terminum reflexum, ergo pater prius natura causaret filiationem quam paternitatem in se reflexè, quod est absurdum. verum quia responsionem datam tenco esse veram, ideo soluendæ sunt præ-

quid dicendum sit ad tertium propositum.

Quantum ad quartum, aduerte, quod de fundamento possumus loqui dupliciter, primo quo ad modum, secundo quo ad entitatem. Si primo modo, sic sunt tantum duo modi præcipue in relatione mutua, scilicet modus quantitatis, qui constituit primum modum relatiuorum, & modus potentie siue actionis, qui constituit secundum modum. Si vero loquimur de entitate fundamenti, sic dico, quod non solum quantitas & potentia siue actio fundat, sed etiam substantia sunt in creatione; & in distinctione numerali & specifica substantiali. Similiter quantitas fundat vt in æqualitate, & qualitas vt in similitudine, & actio & passio, vt patet in relatione, quæ est inter agens & patiens, & in potentia actiua & passiua, vt inter calefactiuum & calefactibile, & de his omnibus magis loquimur infra.

Quantum ad quintum aduerte, quod aliqui Thomistæ non audent determinate tenere partem asseruam, sed tu sine dubio tene eam, & ratio tua est hæc, quia ens finitum sufficienter continetur in decem prædicamentis. Omnis autem relatio in creatura, est quoddam finitum, saltem ratione fundamenti, quod dico, quoniam relatio vt relatio non est quid finitum nec infinitum entitatis, ergo sufficienter continetur in prædicamento ad aliquid. Nec contra hanc resolutionem inuenies obiectionem difficilem, nisi quia sic teneris relationem identificari fundamento, sequitur substantiam esse in prædicamento accidentis, puta si relatio distinctionis specificæ substantialis, est in prædicamento ad aliquid, & si est idem cum substantia rei, quæ est fundamentum huius distinctionis, sequitur manifeste substantiam esse in ad aliquid, quod est prædicamentum accidentis, sed quod hoc non obstat, declarabitur cum agemus de identitate relationalis & fundamenti. Et aduerte quod ratio fortior eorum, qui tenent oppositum, est hæc. Relatio contenta in prædicamento ad aliquid fundatur in accidente, ergo quæ fundantur in substantia, erit transcendens. Sed hæc ratio non cogit, quia non est necesse relationem prædicamentalem fundari in re, quæ sit accidens, sed sufficit quod habeat modum accidentis, puta quantitatis vel actionis &c. Sic substantia potest fundare relationem vt induit modum vnitatis vel potentie actiue vel passiue, vt manifestum erit quædam agemus de relatione & fundamento.

QVINTI METAPHY.

Quantum ad sextū, ponitur hæc conclusio responsiua. Modi relatiuorū sunt sufficienter assignati, & huius conclusionis duplex ratio potest assignari. primo, tot sunt modi relatiuorum, quot modis contingit vnā rem ordinari ad aliam, quoniam relatio dicit ordinem. Contingit autem vnā rem ordinari ad aliam tribus modis. primo secundum esse, prout esse vnus dependet ab alia vel essentialiter vel mensuratue, & maxime mensura perfectionali, & sic est tertius modus. dico essentialiter, vt idcirco ab idcirco, scientia à seibili, sensus à sensibili. Dico mensuratue, vt omnes colores ab albedine, omnis substantia à prima & nobilissima substantia. Secundo secundum virtutem actiuam vel passiuam, prout vna res paritur ab alia, & illa aliquid sibi confert, & sic est secundus modus, qualis est inter generans & generatum, inter docentem & addiscentem, adificatorem & edificatum. Tertio secundum quantitatem, prout quantitas vnus potest mensurari per quantitatem alterius & sic est primus modus, ad quem reducuntur relationes fundatæ super vnitatem, quæ est principium quantitatis, vnde identitate fundata in vnitatis substantiæ, & similitudo fundata in vnitatis qualitatis, continentur sub primo modo.

Secunda ratio. Quoniam relatio trahit suam realitatem à fundamento, tot sunt modi relatiuorum, quod sunt fundamenta quo ad modum fundandi. Hæc autem sunt tantū tria in genere, scilicet quæritas, actio, mensura perfectionalis, si quæritas, sic est primus modus, sumendo quantitatem pro vera quæritate, vel pro habete modum quæritatis, pro vera quæritate, vt omnes proportionales numerales fundantur super eam, pro habete modum quæritatis, vt substantia considerata, vt vna fundat identitatem, vt plures fundat distinctionem, qualitas vt vna in specio, fundat similitudinem, vt plures, dissimilitudinem, si actio, sic est secundus modus, sumendo actionem vniuersaliter, vt se extendit ad omnem motum & productionem, & quoniam passio est supponens actionem, ideo relationes fundatæ super passionem in hoc 2. modo continentur, vt seruitus & filiaris. Similiter relationes fundatæ super principia, actiua & passiuam in eodē modo continentur, siue huiusmodi principia sunt substantiæ, siue qualitates, si mensura perfectionalis, sic est tertius modus, sumendo mensuram perfectionalem pro omni eo quod in quocunque genere est mensura aliorum, & quoniam omne seibile est mensura scientiæ secundum veritatem & perfectionem: ideo omnis relatio

QVAESTIO XXI.

113

relatio inter scientiam & seibile in hoc tertio modo continetur. Patet igitur quod isti tres modi generici sufficienter diuidunt, relationem realem, quoniam nulla potest inueniri quæ non contineatur sub aliquo istorum modorum, vt declaratum est.

Quantum ad septimum aduerte quod non videtur primus modus bene assignatus, nam de quolibet ente comparato alteri, verum est dicere, quod est idem cū eo vel diuersum, & hoc tam in substantia, quā in quantitate, & qualitate &c. Ergo non bene dixit Aristot. eadem sunt, quorum vna est substantia. Præterea. Omne ens comparatum cuiuslibet enti vel est simile, vel dissimile illi. Et secundum perfectionem, vel est æquale, vel inæquale illi: ergo similitudo nō solum potest fundari in quantitate, & æqualitas non solum in quantitate, sed in quolibet genere entis absoluti.

Respondetur. Quando dicit Aristot. quod eadem sunt quorū vna est substantia, non sumit substantiam vt distinguitur contra accidens, sed vt verificatur de qualibet essentia, prout intelligitur illud, vniuoca sunt, quorum ratio substantiæ est eadem, nec quando dicit, similia sunt quorum qualitas est vna, sumit qualitatem, vt distinguitur contra alia prædicamenta, sed pro omni habente modum qualitatis, & quoniam formæ substantiales & differentiæ, & actiones, & passionis qualificant rem: ideo iuxta hæc omnia, potest attendi similitudo & dissimilitudo. Nec quando dicit, æqualia sunt quorum quantitas est vna, sumit quantitatem vt distinguitur contra alia prædicamenta, sed pro omni habente modum quantitatis: vt albedo 6. graduum, & albedo 8. graduum, & quoniam omnis forma intensibilis & remissibilis potest induere, modum quantitatis, ideo iuxta eas vt sic potest attendi æqualitas, & per hoc patet quid dicendum sit ad argumentum.

Aduerte etiam, quia non videtur secundus modus bene assignatus, nam secundum philosophum potentia actiua refertur ad passiuam, vt calefactiuum ad calefactibile, & refertur ad actum suum, vt ad calefacere, & visus ad videre. Sed id videtur falsum, quoniam vni relatiuo correspondere plura correlatiua in eodem genere relationis, quod non potest esse, aliter sequitur quod idem relatiuum esset & non esset. verbi gratia, si a, refertur ad b, & ad c, remouetur b, & remaneat c, dum remouetur b, remouetur a, & dum remanet c, remanet a,

QVINTI METAPHY.

per regulam. Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, ergo &c.

Respondetur & concedo quod vni relatiua possunt correspondere plura relatiua partialia, vt vni patri plures filij, vni magistro plures discipuli, vni continenti plura contenta, non tamen plura totalia. qm̄ vt ar. probat, idem simul esset & nō esset. Item possunt correspondere plura, non tamen eque primo: sed vnum primo & per se, alterum autem per se, sed non primo: vt species refertur per se primo ad genus, & ad indiuidua per se non primo. Et cum arguitur, qd idem esset & nō esset, negatur consequentia, quæ in valeret si idem diceretur ad plura & eque primo, nam relatiuum respicit primo & per se suum primum & totale correlatiuum. Vnde si remoueretur secundarium correlatiuum, non desinit esse relatiuum, nisi respectu illius ordinis, quē habet ad secundarium correlatiuum. In proposito igitur dico, quod non inconuenit potentia actiuam dici ad passiuam & ad agere, sed ad vnum per se primo, ad aliud autem per se, sed non primo.

Præterea, Aduerte quod tertius modus, non videtur bene assignatus. Nam assignatur iuxta rationem mensuræ & mensurabilis, sed id videtur pertinere ad primum modum, nam duplicis est mensura dimidiij, & omnes duæ quantitates finitæ habent res proportionem adinuicem, ita se habent quod vna potest esse mensura, & alia mensurata, pro quanto vna est maior vel minor, vel æqualis alteri, non videtur ergo tertius distingui à primo. Præterea, Relatio inter scientiam & scibile, ponitur in hoc tertio modo, & tamen est in secundo modo, quoniam, scientia causatur à scibili, vnde scibile se habet vt factiuum, & scientia vt factum, ergo non distinguitur tertius à secundo.

Respondetur, & dicitur quod non omnis relatio inter mensuram & mensurabile est in primo modo, sed tantum illa quæ est mutua, & est illa quæ fundatur super quantitatem continuam vel discretam. Illa autem quæ non est mutua, sed vnum extremum pendet ab altero, & non e conuerso, constituit tertium modum. Ad secundum dico, quod relatio inter scientiam & scibile, aliquando est in 1. modo, aliquando est in 3. nam scibile potest comparari ad scientiam, sicut causa ad causatum in scientia speculatiua, vel sicut causatum ad causam in scientia practica, & tunc est relatio secundi modi, & potest comparari vt

QVAESTIO XXII.

114

obiectum terminatum scientiæ & mensuratum, non quidem quantitatiue, sed quo ad veritatem, & sic relatio erit tertij modi. Hæc de præsentibus quæstio dicta sint.

Quæstio 22. si relatio distinguuntur realiter à fundamento.

Pro completa consideratione relationis quantum spectat ad metaphysicum, intendo inuestigare de relatione & suo fundamento si sunt idem vel non, & præcipue quæ fuerit mens philosophi & Commen. & b. Thom. circa hoc, sic igitur procedam, primo propono de hoc varias opiniones, secundo intendo sequi Herueum, & declarabo determinationem suam esse ad mentem philosophi & Commen. & b. Tho. tertio soluarum rationes quæ sunt contra determinationem Heruei, quam reputo esse ad mentem b. Thomæ, & exponam quasdam dicta philosophi, & beati Thomæ, in quibus fundant se, tenentes oppositum.

Quantum ad primum aduerte, quod circa hoc sunt tres famose opiniones. Duæ quidem extremæ, & vna media. prima extrema est Io. Cap. in 1. sen. di. 30. q. 1. Thomæ Caieta. exponens in 1. parte b. Tho. in q. 28. in art. 2. isti tenent omnem relationem realem distingui realiter à suo fundamento, & hanc esse mentem b. Thom. Secunda extrema est Heruei in 1. sen. di. 30. q. 1. arg. 1. & Greg. de Arim. in 1. sen. dist. 28. q. 2. isti tenent omnem relationem realem identificari suo fundamento. Tertia, quæ est media, attribuitur Scoto, qui in 2. sent. dist. 1. q. 5. & in quolibetis, q. 3. tenet omnem respectum extrinsecum distingui à suo fundamento, intrinsecum autem indentificari, sed hanc Scoti opinionem pro nunc relinquimus, quoniam controuersia versatur circa Thomistas, & ideo videndum est, si prima extrema vel secunda est ad mentem beati Thomæ. Sic enim loquitur in diuersis locis, vt difficile sit videre, quid de hoc determinate sentiat.

Quantum ad secundum, quoniam intendo sequi Herueum extimo loqui ad mentem b. Tho. in hoc, ideo propono vnam distinctionem, ex qua eliciam duas conclusiones & defenso. Aduerte igitur, quod vt notat Herueus in 1. sen. di. 30. q. 1. argu. 1. Relatio dupliciter considerari potest, primo quantum ad id quod dicit in recto & intrinseco, secundo quantum ad id quod dicit in obliquo extrinsecoto quod est terminus. Et quidē quan



QVINTI METAPHY.

tum ad secundū sensum manifestū est, q̄ distinguitur realiter à suo fundamento, quoniam fundamentū cum sit quid absolutum, nō includit terminū, relatio autē cū sit ad alterum, ipsam includit. Constat autē q̄ fundamentum & terminus distinguuntur realiter, quare &c. Quātum autē ad primū sensum de quo proprie intēdimus, probo q̄ relatio & fundamentū sint idem realiter, ita q̄ hęc est identica. Albedo est similitudo, nō autem formaliter, quoniam fundamentū, est ad se, relatio autē ad alterum. Et pro hac cōclusionē sic arguo, vult Arist. in 5. phy. tex. x. relationem realem aduenire subiecto sine mutatione subiecti ex quo sic arguitur, impossibile est, & omnino non intelligibile aliquid de nouo aduenire alicui subiecto, diuersum realiter ab omni eo quod prius inerat eidem subiecto & q̄ subiectū nō sit mutatum secundū tale sibi de nouo adueniēs, nā tale subiectū recipiens rē nouā quā prius nō habebat, vel se habet eodē modo quo prius, vel aliter, si eodē modo, ergo nihil noui & distincti realiter recipit, si aliter, ergo mutatum est, mutari enim est rem aliter se habere quā prius, sed relatio aduenit de nouo alicui subiecto secundū Arist. sine mutatione subiecti, ut patet si hodie sit tantum vnum albū in mūdo, & cras fiat aliud albū, verū erit dicere cras, hoc albū est simile illi, & tamen hodie nō est verū, cū nondū sit positum suū correlatiuū, ergo similitudo de non aduenit priori albo, nō facta mutatione in priori albo, sed ex sola productione alterius coalbi, ex quibus manifeste sequitur q̄ relatio nō est quid realiter distinctū à fundamento, quod prius inerat subiecto, vnde posito vno solo albo in mundo, ponitur tota realitas similitudinis, sed non formalitas, donec alterum coalbum producat, ut.

Et aduertē q̄ Tho. Caieta. vbi supra conatur hęc rationē solvere, & dicit q̄ posito fundamento, ponitur relatio incōplete, & q̄ cōpletur sola positione termini, & ideo potest aduenire de nouo sine mutatione eius in quo est, & adducit exemplum de actione quę ponitur ex sola positione passi,

Sed contra. Si cōpletur sola positione termini, vel cōpletur quo ad suū formale præcisē, vel quo ad suā realitatem, si 1. modo, ergo tota realitas similitudinis inerat subiecto ante positionem termini, in subiecto, aut non erat nisi fundamentum, puta albedo, ergo est eadem realitas albedinis & similitudinis, si 2. modo, nō est intelligibile, q̄ posito termino compleatur, nisi quia realitas relationis, quę erat in potentia posito fundamen-

QVAESTIO XXII.

115

to fiat actu in subiecto ex positione termini, sed hoc est impossibile, sine mutatione subiecti. Quod enim transit ab esse in potentia, ad esse in actu, necessario se habet aliter quā prius, ergo stat ratio inducta pro conclusionē. Exemplum autem de actione non iuuat, nam ideo posito passo sequitur actio, quia est productiue ab agente & recipitur in passo: sed relatio, ut patet, non est, productiue realiter à subiecto, & recepta in termino, ergo &c.

Quod autē hęc determinatio sit ad mentem philosophi & Cōmē. & b. Tho. ostendo sic. Philosophus in 5. phy. tex. x. tenet q̄ ad relationem non est motus, quia potest aduenire alicui, altero solo mutato, sed si relatio esset res diuersa à fundamento, oporteret q̄ aliqua mutatio accideret ei, cui aduenit, & non solum in altero extremo quod de nouo producit, aliter philosophus in hac sua ratione peteret principium. Si enim supponit quod relatio sit alia res à fundamento, & cum hoc velit probare, q̄ ad eam nō est motus per hoc mediū, quod aduenit vni extremo altero solo mutato, patet quod principium petit. Restat enim probandum, quod noua relatio possit alicui aduenire, per solā mutationē factā in altero extremo. Præterea, Philosophus in 7. phy. tex. 17. probans non esse alterationē ad primam speciem qualitatis, sic arguit, In ad aliquid non est alteratio, sicut nec motus, sed habitus est ad aliquid, ergo &c. Patet autem quod si relatio fundata super habitum, esset alia res ab habitu, ratio philosophi non valeret, nō enim sequitur in aliquid non est motus, ergo in habitu nō est motus, nisi in virtute istius mediij. Habitus & sua relatio sunt eadem res, & ad relationem non est motus, ergo ad habitū non est motus.

Præterea q̄ sit de mente Cōmē. ostendo sic. Dicit Cōmē. in lib. de substantia orbis, quod potentia materiæ est ipsa substantia materiæ, & in 1. phy. tex. 70. Vult, quod potentia differat à materiæ, quia potentia est de prædicamento ad aliquid. Si igitur dictum primū debet concordare cum secundo, necesse est dicere, q̄ relatio & fundamentum sunt idem re, licet differant ratione, siue prædicamentaliter. Præterea, quod sit de mente b. Tho. patet intuenti verba sua in 5. phy. in expositione tex. x. vbi sic arguit, in illis in quibus relatio inuenitur realiter in vtroque extremorum, videtur difficile, quod aliquid relatiue dicatur de vno per mutationem alterius, absque mutatione eius sui, cum nihil de nouo adueniat alicui, absque mutatione eius



QVINTI METAPHY.

cui aduenit. Respondens autē dicit, quod si aliquis per sui mutationē efficiatur mihi æqualis, me non mutato, ista æqualitas primo erat in me quodammodo, sicut in sua radice, ex qua habetur esse reale, ex hoc enim q̄ habeo talē quantitātē, competit mihi q̄ sim æqualis omnibus illis qui eandē quantitātē habent. Cum ergo aliquis de nouo accipit illā quantitātē, ista communis radix æqualitatis determinatur ad istum. Et ideo nihil aduenit mihi de nouo per hoc quod incipio alteri esse æqualis per eius mutationē. hæc ille. Ex quibus sic arguo, si dictum vltimū est verū, scilicet & ideo nihil aduenit mihi &c. vel verificatur de subiecto æqualitatis secundū esse reale æqualitatis, vel secundū esse formale, non secundū esse formale, quoniam quādo ego solus habeo talē quantitātē, non dico formaliter æqualis, posita autē eadē quantitātē in alio statim dico formaliter æqualis illi. æqualitas ergo quo ad esse formale de nouo aduenit mihi. Si igitur dictum b. Tho. est verū, necesse est vt verificetur de esse reali. q. d. Statim q̄ habeo talem quantitātē, habeo æqualitātē quo ad esse reale. & ideo quando incipio esse æqualis alteri, id est, dici formaliter æqualis, nihil de nouo quo ad esse reale aduenit mihi, ex consequenti relatio æqualitatis nō differt realiter à quantitāte super quā fundatur. Patet igitur hanc esse mentem philosophi, & Comment. & b. Thom.

Quantum ad tertium aduertē, quod tres sunt fortiores rationes tenentium oppositum, quas intendo soluere. Prima est hæc. Relatio & fundamentum sunt in distinctis prædicamentis, ergo sunt duæ res, antecedens patet, cōsequentiā probatur, nam ex 6. metaph. distinctio entis in x. prædicamēta, est distinctio entis realis: ergo quodlibet prædicamētum est ens reale: ergo sunt decem res ergo relatio & fundamentum sunt duæ res, cum sint in prædicamentis distinctis.

Respondetur, dico quod nō est necesse prædicamēta, vt res sunt, distingui realiter, aliter actio, & passio nō essent duo prædicamēta, cum sint vnus motus numero ex 3. phys. Vt autem prædicamēta sunt, id est, vt stant sub ratione formali, necesse est vt distinguantur formaliter, ita quod sub eadē ratione formali, vna res non potest locari in prædicamentis distinctis. Ad argumentum igitur, nego cōsequentiā. Ad probationē concedo totum vsq; ad illud quod dicitur: ergo sunt decem res: nā hoc potest habere duplicem sensum. Primus est, sunt decē res: quia omne prædicamētū signatum est res, & est verus sensus

QVÆSTIO XXII.

sed nego vltimam consequentiā. Secundus sensus est, sunt decem res, quia omne prædicamētum signatum comparatum alteri est res, & res distincta. Et hic sensus est falsus, quoniam si illum concederem, necessario concedenda est vltima consequentiā. Exemplū habemus in diurnis perfectionibus, de quibus loquimur in lib. 12. nam de qualibet verū est dicere, quod est res, non tamen sunt distinctæ res, sed sufficit quod distinguantur suis rationibus for malibus.

Secunda substantia & accidens nō sunt eadē res, sed fundamentum alicuius relationis est substantia, vt distinctio numeralis Sortis & Platonis fundatur super vtriusq; substantiā, & tamen omnis relatio realis est accidens: qm̄ secundū te continetur in prædicamēto ad aliquid: qd̄ est vōū, est ex prædicamēto accideritū.

Respondetur, accidens sumitur dupliciter. Primo, vt inherēs & superadditū substantiæ, quales sunt quantitātēs & qualitates. Secundo, vt id quod est extra rationem res, & sine quo res potest intelligi secundum suam propriā rationem formalem, sicut locus potest dici hoc modo esse accidens superficiei, quia non est de ratione superficiei esse locum, sed e conuerso. Ad argumentum igitur dico ad maiorem, quod licet substantia & accidens primo modo, non sint eadem res, stat tamen quod substantia & accidens secundo modo sint eadem res, & quando dicitur in minori, quod fundamentum alicuius relationis est substantia, concedo, & quod omnis relatio est accidens, concedo primo vel secundo modo. Nam relatio fundata in quantitate vel qualitate est accidens primo modo, quia non distinguitur à fundamento, & est accidens secundo modo, quia nō est de ratione sui fundamenti, potest enim intelligi quantitas sine æqualitate. Relatio autem fundata in substantia, vt creatio passiva, est accidēs tantū secundo modo, cū non addat aliquod reale super fundamentū, & si dicas, cum omnis relatio realis continetur in prædicamento ad aliquid, & aliqua relatio sit substantia, erit in prædicamēto accidentis: qd̄ videtur absurdum. Respon. immo hoc est necesse concedere, nam cū motus & terminus motus sint idē realiter, generatio passiva, & substantia genita erunt idē. Constat autē q̄ generatio passiva, est in prædicamento passionis: ergo substantia est in prædicamento accidentis, non ergo inconuenit id quod est substantia, esse in prædicamento accidentis, non tamen ratione substantiæ, quoniam prædicamēta formaliter sunt impermixta.

QVINTI METAPHY.

Tertia ratio fundatur in dicto b. Tho. in 1. parte. q. 28. arti. 2. ad secundum. vbi ponens differentiam inter relationes in creaturis & relationes in diuinis, inquit. Id quod inuenitur in creatura, prater id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res: ex quibus sic arguo, In creaturis constat quod fundamentum non continetur sub significatione nominis relatiui, ergo fundamentum est alia res distincta ab ea, quæ significatur nomine relatiuo.

Respondetur, b. Tho. in illo loco non comparat relationem ad fundamentum, sed ad subiectum, quod signatur nomine relatiuo, & concedo quod comparata subiecto, est alia res à subiecto, dummodo sit fundata in accidente, puta in potentia actiua vel passiua, vel in actione aut passione. Quod ideo dico, quoniam fundata in substantia, vt supra dixi, non distinguitur à subiecto, nec à fundamento. Vnde aduerte quod b. Tho. in loco præalleg. & in primo sen. dist. 33. q. 1. arti. 1. non intendit loqui de relationibus creaturarum vniuersaliter, sed de fundatis super actionem & passionem creaturæ: constat autem qd actio & passio in creatura sunt accidentia, & vt sic distinguuntur à suo subiecto, quod est substantia, & ex consequenti relationes fundatæ super huiusmodi actionem & passionem sunt accidentia, & distinguuntur à suo subiecto, quod est substantia, non tamen à fundamento suo. Et quod fuerit mens b. Tho. loqui de relationibus creaturarum fundatis in actione & passione, patet ex hoc, quod proportionaliter loquitur de relationibus diuinis non absolute, sed fundatis super communicationem diuinæ naturæ, signatam per generare & generari.

Quarta ratio fundatur super dictum b. Tho. in q. de potentia Dei. q. 8. arti. 2. ad primum. vbi habetur quod nulla substantia in genere potest esse idem realiter quod relatio. Constat autem quod aliqua relatio fundatur in substantia, vt distinctio substantialis inter duo individua eiusdem speciei: ergo saltem in relationibus fundatis in substantia est distinctio realis à suis fundamentis.

Respondetur, non dicit b. Tho. in illo loco, quod nulla substantia in genere potest esse idem realiter quod relatio: sed dicit qd nulla substantia in genere est relatio, quæ propositio intelligenda est secundum prædicationem formalem, nam argumentum erat tale, nulla substantia est relatio, hæc enim est immediata sicut ista, nulla substantia est quantitas, sed diuina essentia est substantia

QVAESTIO XXIII. 117

&c. Pater autem quod quando prædicamentum negatur à prædicamento, intelligendum est de prædicatione formali & non identica, aliter ista nõ esset vera identica, actio est passio, quæ tamen de prædicatione formali non est vera. Sed hæc est vera, nulla actio est passio. Cum igitur dicat b. Tho. quod hæc propositio est immediata, nulla substantia est relatio, intelligenda est secundum distinctionem formalem, & non vltra.

Quinta ratio fundatur super dictum philosophi in 12. metaphy. text. 19. vbi vult quod diuersarum generum, id est, prædicamentorum diuersa sunt principia & elementa: sed relatio est aliud genus à quantitate, & qualitate, & actione, & passione, quæ sunt fundamenta relationis, ergo relationis & fundamenti sunt alia & alia principia, ex consequenti distinguuntur realiter.

Respondetur Arist. in dicto loco & præcipue in text. 22. declarans mentem suam dicit, quod per principia & elementa intendit formam, & priuationem, & materiam, quæ licet proportionaliter inueniantur in omni genere, tamen sunt alia aliorum generum, vt in genere colorum, forma est albedo, priuatio, nigredo, materia superficies in distinctione temporum, forma est lumen, tenebra priuatio, aer materia siue subiectum, ex quibus elicere possumus, quod relatio si debet habere alia & alia elementa, non est comparanda fundamento sed materia vel subiecto in quo recipitur, quando suum fundamentum est accidens, & tunc concedo quod relatio vt includit fundamentum quod est accidens, est alia res à suo subiecto, puta similitudo quæ identice est albedo, est alia res à corpore albo. Ad argumentum dico, quod supponit falsum, credit enim secundum Arist. in dicto loco, relationem comparandam fundamento quo ad diuersitatem elementorum, & tamen est comparanda subiecto, respectu cuius concedo quod realiter distinguitur ab eo, quando fundatur in accidente.

Plura alia argumenta possent adduci & solui, verum quia ab aliis soluuntur, & præcipue à Paulo Soncinato in 5. metaphy. quest. 18. ideo pertransio. Hæc de præsentibus quæstio dicta sunt.

Quæstio 23. si vltima prædicamenta dicuntur rem absolutam vel respectum.

In hoc quæstio difficilis est resolutio ad mentem philosophi & Comment. & b. Tho. nam philosophus parum de eis locu-

QVINTI METAPHY.

tus est, & vt patet in prædicamentis, cõsiderationem suam terminauit in quatuor primis, & in tota metaphysica, quoties diuidit ens in prædicamenta, pro maiori parte exemplificat de quatuor primis, & si vltra procedit, nunquam peruenit ad nonam in 5. metaphysic. cap. de ente, exemplificat vsque ad prædicamentum quando, & non vltra, & posito quod omnia numeraret. Quod tamen vltima dicant, non habemus ab eo expressum, & propterea multi putantes se sequi viam Arist. varie locuti sunt, nõ intendo autem recitare singulas opiniones, præcipue Scoti & Her. & Capre. in his enim satis immoratus est Paulus Soncinas in 5. metaphysic. Mea intentio est inuestigare quid ad hoc diceret b. Thom. pro cuius resolutione tria agenda sunt. Primo, ostendetur quã varis super id locutus est. Secundo, quid tenendum est. Tertio, soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte tria dicta à b. Tho. nam 5. metaph. in cap. ad aliquid, postquam assignauit sufficientiam trium modorum relatiuorum, loquens de vltimis prædicamentis, inquit, alia vero genera magis relationem consequuntur, quã possint relationem cauare, nam quando, consistit in aliquali relatione, ad tempus, vbi vero, ad locum, posicio autem, ordinem partium importat. Habitus autem, relationem habentis ad habitum, hæc ille, ex quibus constat quod videtur sentire illa dicere respectum, & non rem absolutam; in 3. autem physic. in tex. 11. assignans sufficientiam prædicamentorum, & in lib. 10. metaph. videtur sentire quod dicant absolutum, vt tamen denominant aliud denominatione extrinseca, id est, vt denominant illud in quo non sunt subiectiue, puta tempus, vt denominat rem temporalem, ad quam nõ comparatur vt accidens ad subiectũ, sed vt mensura ad mensuratum, constituit prædicamentũ, quando, locus autẽ vt denominat locatum, in quo nõ est subiectiue, constituit prædicamentũ vbi. Vestis autem vt denominat habentem, puta vestitũ, in quo non est subiectiue, sed solum circumdatiue, constituit prædicamentũ habitus. In 5. autẽ metaph. in cap. de habere, exponẽs primũ modũ, vbi dicit philosophus (& vestimentũ induci) videtur sentire specialiter de habitu, q. dicat absolutũ & respectũ, puta q. esse vestitũ dicat vestem non absolute, sed vt coarparatur & configuratur vestito, coarparatio autem respectũ dicit. & quod dicit de habitu præsumendum est, quod diceret de aliis, vt de quando,

QVAESTIO XXIII.

118

& vbi, & situ. Propter hanc ergo diuersitatem loquendi difficile est videre, quæ fuerit mens beati Thom.

Quantum ad secundum aduerte quod illud tenendum est, quod tamen non repugnet doctrinæ philosophi & b. Tho. & vt resoluamus quæsitum, pono quinque conclusiones.

Prima, prædicamenta vltima non dicunt purũ respectũ, quoniam cum motus localis sit in prædicamento vbi, si vbi dicit solum respectũ, motus esset primo & per se ad relationem, quod repugnat philosopho in 5. physic. tex. 10. illic philosophus non concedit motũ in ad aliquid, nisi per accidẽs, puta quando aliquis per se dealbatur per accidẽs sit similis alteri. Accidit enim quod Sorte dealbato, sit aliud album, cui fiat similis.

Secunda, non dicunt absolutum simpliciter, id est nullo addito: quoniam non distinguerentur à tribus primis prædicamentis, si enim quãdo dicit tempus simpliciter, & vbi, & situs, dicuntur locum simpliciter, & habitus dicit indumentum simpliciter, cum tempus & locus sit in prædicamento quãtitalis, & indumentum in prædicamento substantiæ, constat quod non constituerent prædicamenta distincta à tribus primis.

Tertia, non dicunt absolutũ cum respectu, quia cum omne ens absolutum sit substantia, vel quantitas, vel qualitas, & omnis respectus realis sit in prædicamento ad aliquid, vt declaratum est supra. Si dicunt absolutum cum respectu, non dicit nisi aggregatum ex duobus prædicamentis, hoc autem repugnat simplicitati prædicamentali, & præterea dicerent vnum per accidẽs, quoniam vt declaratum est in 4. lib. res. diuersorum prædicamentorum, apud metaphysicum, constituunt vnum per accidens. Nullum autem vnum per accidens est prædicamentum, nec reponitur in prædicamento, ergo &c.

Quarta, dicunt absolutum cum denominatione extrinseca, pro cuius euidentiã aduerte, vt notat Herueus in 1. quolib. q. 9. quod denominatio potest fieri tribus modis, primo ab aliquo absoluto intrinseco ipsi denominato, quod scilicet est intrinsecum ipsi denominato, vel per identitatem, vt Sortes est substantia, Sortes est rationalis, vel per inharrentiam, vt Sortes est quantus, est qualis, & secundo ab aliquo intrinseco ipsi denominato, importante tamen aliquod extrinsecum, vt terminum, ad quod denominatum se habet relatiue, vt Sortes est pater, tertio ab aliquo extrinseco, quod non est idem cum nominato nec est subiectiue innominato, vt Sortes est locatus,

QVINTI METAPHY.

constat enim locum non esse subiective in locato, sed in locante, prima denominatio fit per predicamentum substantie, & quantitatis, & qualitatis, secunda per predicamentum ad aliquid, tertia per vltima predicamenta. & aduerte quod hanc denominationem extrinsecam fieri ab vltimis predicamentis, est de intentio expressa b. Tho. in 3. libro physico. super tex. 22. vbi inquit.

Tertius modus predicandi est, quando aliquod extrinsecum de aliquo predicatur per modum alicuius denominationis, & exemplat de agere & pati, de quando, & vbi, & situ, & habitu. Ex quibus sequitur corollaria quod vltima predicamenta, licet non differant a tribus primis quantum ad rem denominantem. Differunt tamen quantum ad modum denominandi & predicandi, quonia a tribus primis fit predicatio & denominatio ab intrinseco absoluto, & ab istis fit ab extrinseco absoluto, & ista diuersitas sufficit ad distinctionem formalem predicamentorum: non enim est necesse omnia predicamenta, distingui realiter, vt declaratum est supra.

Quinta. Licet vltima predicamenta, dicant absolutum cum denominatione extrinseca, ad talem denominationem consequuntur quidam respectus inter denominans & denominatum, quos tamen non signant hae vltima predicamenta, & quidem quod tales respectus consequantur, patet, quoniam non dicitur denominans, nisi quia aliquid denominat, nec dicitur denominatum, nisi quia ab aliquo denominatur. Quod autem non significantur per vltima predicamenta, patet, quonia cum significant absolutum, si significant etiam respectum, significarent aliquod vnum per accidens, vt dictum est in tertia conclusione. Tenendum est ergo, quod significant purum absolutum cum nominatione extrinseca, ad quam consequuntur quidam respectus, & si tenueris hanc viam, optime saluabit motum in vbi & simplicitatem, & perfectam & formalem distinctionem predicamentorum.

Quantum ad tertium aduerte quod tria videntur ob stare predicte determinationi. primo auctoritas b. Tho. nam vt patet in 3. metaphy. in cap. ad aliquid, vt adductum est in principio questionis, videtur sentire quod dicant respectum, & confirmatur quoniam in libro 11. metaphy. in lectio. 11. inquit. Habitus importat habitudinem indumenti ad induram, & quod dicit de habitu, est rationale vt intelligat de aliis. secundo obstat

QVAESTIO XXIII.

119

diffinitiones date ab authore sex principiorum, ex quibus constat quod dicunt non absolutum sed respectum, vt patet de quod, inquit enim, Quando, est quod ex adiacentia temporis relinquitur, vbi autem est circumscripcio corporis, ex loci circumscripcione, procedens, tertio obstat tractatus de relatione compositus a b. Tho. in quo determinat quod dicunt respectum fundatum, non super absolutum, sed super respectum.

Respondetur, cum habeamus clare ex doctrina Arist. quod non est motus ad respectum, & in lib. 11. metaphy. in tex. qui incipit, Si igitur predicamenta diuisa sunt, dicit necesse esse tres motus, qualis, quanti, & loci, manifestum est, cum ponat motum ad locum, non distingui realiter locum ab vbi, ex consequenti vbi, non dicit respectum. Similiter cum b. Tho. ex proposito assignat sufficientiam & distinctionem predicamentorum, declarat ea distinguere ex denominatione extrinseca, quod & manifestum est in lib. 11. metaphy. in lect. 9. vbi inquit, Predicamenta diuersificantur secundum diuersos modos predicandi. Vnde idem secundum quod diuersimode, de diuersis predicatur, ad diuersa predicamenta pertinet. Locus enim secundum quod de locante predicatur, ad predicatum quantitatis pertinet. Secundum autem quod denominatione de locato predicatur, constituit predicamentum vbi. Similiter motus secundum quod predicatur de subiecto in quo est, constituit predicamentum passionis, secundum autem quod predicatur de eo a quo est, constituit predicamentum actionis, hae ille, standum est in determinatione facta. Et ad primum dictum b. Tho. dicendum est, quod non verificatur, nisi connotatiue vel consequentiue, ex eo enim quod denominant denominatione extrinseca consurgit respectus inter denominans & denominatum, qui tamen respectus non significatur ab huiusmodi predicamentis, aliud est enim significare, & aliud connotare, sicut accidens concretum connotat subiectum, sed non significat ipsum.

Ad auctoritatem auctoris sex principiorum, dico quod non est acceptanda in hoc, quoniam non posset saluari, quia esset motus primo & per se ad relationem.

Ad instantiam fundatam super tractatum de relatione, dico quod ille tractatus non est b. Tho. Nam si difficile est saluare relationem realem fundatam in re absoluta, vt declarauimus in q. 22. huius lib. multo minus posset saluari ea quae fundantur super aliam relationem, & propterea illa positio non est susti-



QVINTI METAPHY.

nenda à vero Thomista. Et confirmatur, quoniam b. Tho. in 12. metaphy. exponens text. 9. in quo Arist. explicat de substantia & de ad aliquid, dicit, Ea que sunt ad aliquid, remotiora videntur esse à substantia, quam alia genera, eo quod sunt debilius esse. Vnde & substantie inhaerent medianibus aliis generibus, scilicet absolutis: si inhaerent substantie medianibus aliis generibus absolutis, signum est quod non fundantur nisi in generibus absolutis. Hæc de præfenti quæsto dicta sunt.

Expliciunt q. super 5. metaphy. Fr. Chrys. Iauelli
Canap. ord. præd. philosophiæ & sacre
Theologiæ professoris.

Incipiunt quæstiones eiusdem super 6. librum metaphy.

In hoc 6. lib. pertractanda sunt dubia infrascripta.

- 1 Si ens in quantum ens habet principia & causas.
- 2 Si solus metaphysicus considerat quod quid est subiecto-
rum scientiarum particularium.
- 3 Si textus secundum translationem arabicam potest sal-
uari quo sic habetur, & ipsa scilicet physica specu-
latur de ente, quod est impossibile moueri.
- 4 Si aliquis actus intellectus potest dici praxis.
- 5 Si scientia practica, est practica ex obiecto uel ex fine.
- 6 Si omnis scientia est practica uel speculatiua.
- 7 Si tantum tres sunt scientiæ speculatiuæ.
- 8 Si omnes speculatiuæ, sunt nobiliores omnibus practiciis.
- 9 Si de ente per accidens potest esse scientia.
- 10 Si de mundo inferiori datur aliquis effectus contingens.
- 11 Si à causa proxima, effectus contingens habet continuo-
gentiam.
- 12 Si effectus contingens, dum est, sit contingens.
- 13 Si ens uerum excluditur à metaphysico.

QVÆSTIO PRIMA.

Si ens in quantum ens habet prin-
cipium & causas.

Principia & causæ quaruntur entium, palàm
autem quia in quantum entia. Tex. 1.

IN hac quæstione quatuor agenda sunt. Primo
declarandum est, quid intendit philosophus per
principia & causas. Secundo declarandus est in
quo sensu ens in quantum ens, habet principia &
causas. Tertio ponetur conclusio responsiua.
Quarto soluentur quedam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod Arist. per principia &
causas intendit omne quod potest esse vere mediū ad demon-
strandum aliquam passionē de subiecto, omne autem tale ha-
ber rationem principij formalis, saltem secundum nostrum
modum cognoscendi, quod ideo dico, quoniam si est mediū à
priori, habet rationē principij formalis ex natura rei, ut quan-
do per quod quid est trianguli, demonstro ipsum habere tres
angulos æquales duobus rectis, si autē est mediū à posteriori,
ut quando in naturalibus demonstro causam per effectum, ha-
bet rationem principij formalis secundum nostrum modum
cognoscendi, necesse est enim omnem conclusionem ex aliquo
principio deducere, à quo licet nō semper pōdeat secundū esse,
pendet tamen secundum cognitionem, cum omnis demonstra-
tio procedat à notiori ei cui sit demonstratio: ex quibus sequitur
quod cum demonstro in naturalibus aliquid de causa per suum
effectum, effectus ut sic est causa formalis secundum rationem
sue cause in demonstrando, & id consonat doctrinæ b. Tho.
exponentis propositum tex. in 6. metaphy. ubi inquit, omnis
scientia intellectualis, siue sit solum circa intelligibilia, ut sci-
entia diuina, siue circa imaginabilia, ut mathematica, siue cir-
ca sensibilia, ut naturalis, siue etiam ex uniuersalibus princi-
piis ad particularia procedat, in quibus est operatio, ut sunt
scientiæ practice, semper oportet quod talis scientia sit circa
principia & causas, quæ quidem principia, aut sunt certiora
quo ad nos, sicut in naturalibus, quæ sunt propinquiora sensi-
bus, aut simpliciora & priora secundum naturam, ut in mathe-

SEXTI METAPHY.

matis, hæc ille, ex quibus constant, quod in omni scientia illa ex quibus procedimus ad conclusiones, sint principia & causæ in illa scientia, constat autem quod in naturalibus ex effectibus procedimus, effectus igitur habent rationem principij & causæ, in demonstrando causas suas.

Quorum ad secundum aduerte, qd ens inquantum ens, & sumptum in illa vniuersalitate, qua est subiectum metaphysici. De qua vniuersalitate iam pertractauimus in 1. lib. in q. 1. non habet principium effectiuum, nec materiale, nec formale proprie sumptum, nec finale ad quod, vt ad quid melius ordinetur: aliter quodlibet contentum sub ente, vt est subiectum metaph. haberet huiusmodi principia per illud principium. Quod conuenit alicui tali inquantum tale, conuenit omni tali, constat autem consequens esse falsum, quonia vt diximus in 1. lib. Prima causa continetur sub ente vt est subiectum in metaphysica: & tamen illi non est assignabile principium effectiuum, cum sit primum ens & causa omnis entis, nec principium materiale vel formale, cum sit omnino simplex, nec principium finale ad quod ordinetur, cum ad ipsam ordinentur omnia, vt declarauimus in lib. 12. Cum ergo dicit philosophus quod principia & causæ queruntur entium inquantum entia, per causas & principia entis, quod est subiectum in metaphysica, intendit media, quibus probantur proprietates entis de ente, quæ vt sic possunt dici causæ & principia formalia in cognoscendo.

His prænotatis ponitur conclusio responsiua, ens inquantum ens habet principia & causas, probatur, cuiuscunque scientiæ subiectum habet principia & causas, vt declarauit Arist. in 1. poster. ex quibus demonstrantur quæ demonstranda sunt de subiecto, & modo conuenienti unicuique scientiæ, scilicet vel à priori vel à posteriori. Sed ens inquantum ens, vt stabilitum est in 4. lib. metaph. est subiectum, in ea ergo habet principia & causas. Præterea philosophus in 1. tex. huius sexti probat inductiue, omnem scientiam particularem considerare principia & causas sui subiecti, quod ergo commune est omni scientiæ, non est negandum à metaphysica. Habet igitur ens inquantum ens causas & principia, modo quo declarauimus.

Ex hac conclusione sequitur corollarie, primam causam, vt cadit sub consideratione metaph. habere causas & principia formalia apud intellectum nostrum, quæ sunt vel conceptus, vel effectus primæ causæ, ex quibus aliqua de ea demonstramus vt mag

QVAESTIO I.

221

vt magis manifestabitur in libro 12.

Quantum ad vltimum præpositum, aduerte, quod duo videntur ob stare prædictæ determinationi factæ.

Primo, quia videtur repugnare perfectioni vniuersali primæ causæ, quod habeat principia. Repugnat enim primo principio habere principium, vt patet.

Respondetur, licet primo principio totius entis repugnet habere principium in genere entis, quonia vt sic esset aliquid prius eo, tamen comparando ipsum ad intellectum nostrum in ratione cognoscendi, non inuenitur assignare sibi principium & est illud à quo incipit nostra cognitio de prima causa, quod & est illud à quo incipit nostra cognitio de effectus illius, secundum cognitionem autem nostram est prius, quoniam prius cadit nostro intellectu, quam cognitio primæ causæ.

Sed contra, si primæ causæ competit principium secundum rationem, licet non secundum rem, ergo non erit omnibus modis primum, plus est enim esse primum secundum rem & secundum rationem, quam tantum secundum rem, ergo &c.

Respondetur, nego consequentiam, ad probationem dico, qd esse primum secundum rem & secundum rationem ex parte rei intelligibilis, plus est quam secundum esse primum solū secundum rem, sed esse primum secundum rem & secundum rationem ex parte rei intelligibilis, non autem ex parte nostri intellectus, qui te rei intelligibilis, non minuit omnimodam primitatem conuenientem primæ causæ, quonia prioritas rationis sumpta ex parte intellectus nostri, prouenit ex debilitate ipsius intellectus. Hæc de presenti quaesito dicta sunt.

Quæstio 2. Si solus metaphysicus considerat quod quid est subiectorum scientiarum specialium.

Nec de ipso quodquid est, vllam faciunt mentionem. Tex. 1.

Pro resolutione huius quaesito quinque agenda sunt. Primo declarabitur titulus. Secundo ponetur distinctio de prædicatis, quæ ingrediuntur ipsum quodquid est. Tertio ponentur conclusiones responsiue. Quarto extrahetur quoddam corollarium. Quinto soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte primo quid significet ly quodquid est, secundo ly scientiarum specialium.

Quodquid est, vt declarauimus in nostra epist. in 7. metaph.

SEXTI METAPHY.

cap. 3. apud logicū est idē quod rei definitio, apud metaphysicū est significatū definitionis. Huiusmodi autē significatū est rei et sentis, siue quidditas sumpta in concreto, puta quod quid est hominis, est esse animal rationale, nam esse animal rationale, est id quod est homo. Dico autem in concreto, quoniam si sumatur quidditas hominis in abstracto, puta humanitas non predicatur in recto de homine, sed habet rationē principij formalis. Quod quid est autē predicatur in recto de eo cuius est, quoniam est id quod respondemus ad interrogationem factā per quid. Et propterea quidditas sumpta in abstracto nō est ipsum quod quid est. In titulo igitur quaesiti, sumitur quod quid est, tam pro definitione, quā pro significato definitionis, utroque enim modo pertractatur à metaphy. Nam ut dicimus in epit. in 7. metaph. consideratur in lib. 7. modo logico, & in lib. 9. modo reali. Scientiæ speciales, non dicuntur quasi distinctæ speciei, sed quia specialiter considerant de ente, & non vniuersaliter. Considerare autem specialiter de ente, est considerare tantum de vna parte entis subiectiua, puta de ente mobili, de quantitate continua, de quantitate discreta &c. iuxta quam considerationem distinguuntur physica, geometria, arithmetica. Considerare autem de ente vniuersaliter, est considerare de ente in quantum ens, ex consequenti de omni ente in quantum ens, & de primis passionibus entis, quæ de omni ente verificatur saltē distinctione, iuxta quam considerationem distinguuntur metaphysica & logica ab omnibus aliis. In titulo igitur sumitur hęc specialiter pro scientiis considerantibus partem entis, quæ solent appellari ab Aristote. ut patet, in 4. metaph. text. 1. scientiæ in parte, id est particulares.

Quantū ad secundum aduerte, quod sumendo quod quid est pro definitione, cum definitio constet ex multis predicatis ut declaratur in 7. metaphy. huiusmodi predicata sunt duplicia, quedam cōmunissima, ad quæ vnumquodq; tandē resoluitur, sicut omnia complexa, ad primum principium complexum. Cōmunissima autem sunt ipsa transcendentia, actus & potentia, necessarium & contingens, finitum & infinitum, substantia & accidens, materiale & immateriale &c. Quedam autē sunt propria & particularia, quæ complent ipsam definitionem, faciuntq; eam conuenientem cum definito, sicut est propriū genus cum propria differentia.

Quantum ad tertium ponuntur tres conclusiones responsuræ.

QVAESTIO II.

122

Prima, scientiæ speciales nō considerant quod quid est suorum subiectorum, quo ad predicata cōmunissima, quæ sumuntur in quod quid est, ut prima genera. probatur eiusdem scientiæ est considerare quod quid est quo ad predicata cōmunissima, & considerare ipsa predicata cōmunissima ut patet, sed nullius scientiæ specialis est considerare predicata cōmunissima, quoniam cum consequentur ipsum ens sicut transcendentia, & actus & potentia &c. est illius scientiæ considerare hęc cōmunissima, quæ considerat ens in quantum eos. Hęc autem est sola metaphy. ut dictum est in lib. 4. text. 1. ergo &c.

Secunda, scientiæ speciales, considerant quod quid est suorum subiectorum, quo ad predicata propria & particularia, quæ sunt propriū genus & propria differentia, vel aliquid loco eius. probatur. Hoc non pertinet ad scientiam metaphy. ergo ad scientias speciales, consequentia nota, antecedens probatur, si metaphy. consideraret propria genera, & proprias differentias quibus constituuntur & distinguuntur rerum quidditates, ergo considerare quidditates rerum in particulari, cuius oppositū manifestum est in 1. lib. nam cum metaphysica consideret prima predicata, si consideraret etiam propria, tunc alie scientiæ essent superflue.

Tertia, licet scientiæ speciales consideret predicata propria ingredientia ipsum quod quid est suorum subiectorum, tamē dictum philosophi dicentis, de ipso quod quid est, nullam mentionem faciunt ad huc verificatur, nā ad pradicatorū propriorum cognitionem procedere non possumus, nisi ex cognitione primorum, & maxime vniuersalium, in quibus virtualiter totum quod quid est continetur, sicut continetur tota scientia virtualiter in primis principijs complexis. cū igitur solus metaphysicus consideret cōmunissima predicata, in quibus totum quod quid est continetur virtualiter, verum est dictum philosophi non absolute, sed in sensu dicto.

Quantū ad quartū aduerte, qd per b. Tho. in expositione huius primi text. clare habere possumus, qd mediū in demonstratio ne nō est quid nominis, ut quidā Tho. minus considerantes, & in hoc ad viā Egidij declinantes posuerūt, sed illud est quid rei, nā ex b. Tho. exponēte habemus, qd illud quid, quod à metaphy. consideratur, est mediū in demonstratione, sed quid rei, & nō solum quid nominis consideratur à metaphysico, cum sic considerans rerum quidditates, ergo &c. Et illud idem quid, præsupponi.

SEXTI METAPHY.

tur in qualibet scientia speciali de suo subiecto, sicut & quia. Quantum ad quintum aduerte duo argumenta apparentia contra determinationem huius quæstionis.

Primo, quælibet scientia habet considerare principia & causas sui subiecti, vt per eas demonstrat passiones proprias de subiecto. sed principia & causæ per quas passiones demonstrantur, sunt ipsum quod quid est, ergo quælibet scientia considerat quod quid est sui subiecti, & non solus metaph. maior est philosophi in hoc 6. lib. in text. 1. minor est nota ex 1. poster.

Respondetur, aliud est considerare quod quid est, & aliud est quare ipsum, nã considerare proprie, est venari aliqua ex illis modis quibus venari potest, siue cõpositione, siue diuisione, quæ re autem est conari vt habeatur siue inuestigatũ in eadẽ scientia, siue in alia. Ad arg. dico, qd licet quælibet scientia indigeat quod quid est sui subiecti, vt per illud demonstrat passiones de subiecto, non tamẽ est necesse quod venatur ipsum, sed quod habeat venatum in alia scientia puta in metaph. vnde dicit philosophus in 1. text. huius 6. libr. quod scientiæ speciales, aut accipiunt quod quid est manifestatum sensu, aut supponit ipsum, scilicet venatum in alia scientia.

Nego ergo quamlibet scientiam considerare, id est inuestigare quod quid est sui subiecti, nec hoc dicit philosophus, sed sufficit quod eo vtatur.

Secundo, physicus inuestigat quid est anima, & natura, & motus, & mathematicus, quid sit linea, quid superficies, & figura &c. ergo non solus metaph. considerat quod quid est.

Respondetur dupliciter, primo, quando dicit philosophus, quod scientiæ speciales nullam faciunt mentionem de quod quid est, intelligendum est de suo primo & adæquato subiecto. De illo enim ex 1. poster. supponitur quid & quia, de aliis autem contentis sub adæquato subiecto, non inconuenit inuestigare quid. Constat autem quod natura & motus & anima non sunt adæquatum subiectum in physica.

Dicitur secundo, qd non inconuenit in scientia speciali inuestigare quod quid est subiecti adæquati, quo ad prædicata propria, quantum autem ad prædicata cõmunissima, accipit à metaphysico. Vnde diffinitio de anima inuestigatur habitu metaphysico in quantum est actus primus, & habitu physico, in quantum est corpus physici &c. Idẽ dico de natura in quantum est principium, & de motu in quantum est actus &c. Aliam etiam

QVAESTIO IIII.

113

responsonem dedi in quæstionibus nostris super libros de anima, in q. qua quaeritur, si anima est subiectum. in lib. de anima vide eam. Hæc de præsentis quæstio dicta sunt.

Quæstio 3. Si tex. secundum translationem arabicam potest saluari, in quo sic habetur, & ipsa, scilicet physica speculatur de ente, quod impossibile est moueri, text. 1. Textus autem noster sic habet, physica theorica quædam est, sed theorica circa tale ens quod est possibile moueri.

Circa repugnantiam horum textuum aduerte quod si ly ta le ens, sumatur pro subiecto adæquato physice, non potest saluari, tex. arabicus. Illud enim est ens mobile, vt etiam dixit Commen. in meta. cõmen. 1. Sed de ente mobili falsum est dicere, quod est impossibile moueri, si autem ly tale ens, nõ sumatur vt est subiectũ, sed pro aliquo ente de quo tractat physicus, puta de primo motore de forma, de anima, quæ licet sint principia motus, non tamen sunt per se & essentialiter mobilia, sic potest saluari tex. arabicus, & in hoc sensu Commẽ. saluat tex. arabicum, nam cõmentans inquit, Et intendit per hoc quod, dixit, formam & animam, sunt enim immobiles per se & essentialiter. Tu tamen aduerte, quod ipse Cõmen. super hunc text. dubitauit, an deberet sic legi, quod non est impossibile moueri: vel sic, quod est impossibile moueri, nam si legatur 1. modo comprehenduntur omnia quæ considerat scientia naturalis. Si autem legetur 2. modo exponitur de forma & anima, quæ licet sint vt diximus principia entis mobilis, tamen secundum se immobiles & essentialiter, verba autem Commẽ. sunt ista. Et si fuerit lectus iste locus sic, & de substantia quæ impossibile est moueri, addito illo aduerbio non, tunc poterimus intelligere ex eo omnia de quibus considerat scientia naturalis sed in libris à quibus correximus istum librum quem glosamus, inuenimus sine non, hæc ille. Pro præsentis quæstio difficultas alia non occurrit.

Quæstio 4. Si aliquis actus intellectus potest dici praxis.

Quare tres erunt philosophiæ theoreticæ, mathematica physica, theologia. Text. 2.

At nequam assignemus numerum scientiarum speculatiuarum vt distinguuntur à practicis, quædam præcedentia q. iij

SEXTI METAPHY.

consideranda sunt, & primo, si aliquis actus intellectus potest dici praxis. Pro cuius evidentia tria agenda sunt, primo declarandum est quid sit praxis proprie dicta, & speculatio, secundo respondebitur quæsitio, secundum viam nostram, tertio defensabitur via nostra contra impugnantes.

Quantum ad primum adverte, quod praxis proprie est operatio regulabilis & dirigibilis per habitum practicum. Talis autem operatio in via b. Tho. est actus alterius potentie ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus conformiter elici intellectui recto, ut sit actus rectus, primo dicitur quod est actus alterius potentie ab intellectu, quoniam ex 3. de anima, intellectus extensione sit practicus, sed stando præcise in actibus intellectus, non extenditur intellectus, quoniam extendere est extra se tendere. necesse est igitur ad hoc quod intellectus sit practicus, respiciat actum alterius potentie regulabilem per ipsum intellectum, & ille actus proprie est praxis, ex quo sequitur, quod cum voluntas moueatur ab intellectu finaliter & directe, praxis proprie erit actus voluntatis elicitus aut imperatus, secundo dicitur naturaliter posterior intellectione. Hæc conditio sequitur ex prima, nam si praxis est actus voluntatis regulabilis ab intellectu, comparatur ad intellectionem sicut regulatum ad regulam suam. Regulatum autem supponit regulam, ergo est naturaliter posterius ea. tertio dicitur natus conformiter elici &c. Hæc conditio sequitur ad secundam, quoniam regulatum est aptum conformari regule sue, ut sit rectum.

Speculatio autem, ut distinguitur cetera praxim proprie dictam, est actus solius intellectus, non ordinatus ad aliquam operationem alterius potentie ab intellectu regulandam, sed est gratia ipsius scire, dicitur actus solius intellectus, quia ipse solus est potentia speculativa: ergo solus est speculatio, sicut solius visus est videre, quia solus est potentia visiva. Dicitur non ordinatus ad aliquam operationem alterius potentie regulandam, nam dato quod ordinaretur ad regulandum aliam operationem intellectus, propter hoc non perdit quin non sit speculatio, licet remisse. Vnde licet syllogizare sit ordinatum ad regulandum intellectum in acquirendis scientiis: tamen non est extra genus speculationis omnino.

Quantum ad secundum adverte quod in via Thomistica talis sit distinctio. Actus intellectus dupliciter consideratur. Pri-

QVAESTIO IIIII.

mo quo ad specificationem, quam trahit ab obiecto. Secundo quo ad exercitium, & ut sic subiicitur imperio voluntatis. Mouet enim voluntas intellectum ad intellectionem. Et ipsa intellectio licet sit elicitive ab intellectu, tamen ut imperatus à voluntate, potest dici actus voluntatis quo ad imperium. Ex hac distinctione eliciuntur due conclusiones. Prima, nullus actus intellectus, quo ad specificationem est praxis, quoniam ut sic est intrinsecus intellectui, omnis autem praxis ut sic est alterius potentia ab intellectu: ergo &c. Secunda non inconuenit actum intellectus quo ad exercitium esse praxim secundum quid, quoniam ut sic est imperatus à voluntate, & ut imperatus potest dici actus voluntatis: ergo ut sic, est alterius potentie ab intellectu, & cum omnis actus voluntatis siue elicitus siue imperatus sit regulabilis per ipsum intellectum sequitur quod non inconuenit, actum intellectus quo ad exercitium esse praxim secundum quid. Dico secundum quid, quoniam ad praxim simpliciter requiritur quod sit actus elicitus à voluntate, aptus conformari rationi rectæ pro quanto est regulabilis ab intellectu: ex quo sequitur quod nullus actus imperatus à voluntate, siue sit actus intellectus, siue alterius cognoscitiue potentie tam exterioris quam interioris potest dici prima praxis. Ad quæsitum igitur absolute respondendo, dicendum est in via nostra, quod nullus actus intellectus, etiam si sit regulabilis per alium actum ipsius intellectus, potest dici praxis essentialiter, sed tantum secundum quid, id est, quo ad exercitium, & prout subest potestati voluntatis, quoniam non sit intellectus practicus essentialiter, nisi in quantum est regulatiuus alicuius actus, ad quem extra se extenditur, non autem se extendit extra se respectu actus ipsius intellectus, quare &c.

Quantum ad tertium adverte quod Ioan. Baco. in 1. sent. q. 4. prologi. artic. 2. tenet omnino oppositum huius determinationis. Dicit enim duo, primo quod praxis quidditative & essentialiter est operatio intellectus, qui dicitur aliquid agendum, vel fugiendum, secundo quod nullus actus voluntatis siue elicitus siue imperatus, pertinet essentialiter ad praxim, sed antecederet aut consequenter. Et primum quidem sic declarat, sicut habitus practicus distinguitur contra speculatiuum, per hoc quod generaliter est circa scibile operabile, speculatiuus autem circa scibile præcise, ita proportionaliter operatio practica, quæ vocatur praxis, accipitur pro omni operatione intel-

lectus, qua cōsiderat scibilia vt opabilia, & quia in intellectu sunt multi huiusmodi actus, vt cōsiderare quomodo debemus consulere, præcipere, vitare tale periculum, quomodo adificare, quomodo scribere &c. ideo sunt proprie & essentialiter praxēs. Et hanc suam opinionem sic probat Arist. in 6. ethi. enumerans habitus intellectuales, vnicuique attribuit propriam operationem intellectualem, aliter habitus huiusmodi nihil nobis conferrent; ergo sicut habitui speculatio conuenit speculatio, sic habitui practico conuenit operatio intellectualis practica, puta prudentia conuenit bene consiliari, & bene percipere, & arti dirigere circa factibilia, sed operatio practica est ipsa praxis: ergo praxis essentialiter est operatio intellectus. Et confirmatur quoniam in 3. de anima dicit Arist. practicus intellectus differt à speculatio sine, quoniam practicus ratiocinatur quid fugibile, & quid prosequibile. Specularius autem nihil dicit de fugibili & prosequibili, sed ratiocinari de fugibili & prosequibili est intellectualis operatio practica, ergo est praxis, quoniam pro eodem sumitur operatio practica, & praxis.

Secundum autem sic declarat, quando voluntas imperat intellectui vt consideret & dicet de aliquo, an sit agendum, & quomodo, & quando, vel sit fugiendum, & quomodo, & quando, & quo fine &c. illa operatio intellectus quæ est praxis essentialiter dicitur esse antecedenter voluntatis, quoniam nisi voluntas imperaret, non poneretur in esse, & hoc est pertinere praxim ad voluntatem antecedenter, & dispositiue & generatiue, non autem essentialiter. Quando autem voluntas acceptat & eligit, id quod est dictatum & conclusum per intellectum de agendo vel fugiendo, dicitur illa operatio intellectualis practica pertinere consequenter ad voluntatem, prout iam dictatum acceptat, sed ex his non potest concludi, quod praxis essentialiter ad voluntatem pertineat, nam sicut multa ad actum intelligendi concurrunt, puta sensus exterior, & interior phantasma & species, quæ tamen non sunt essentialiter ipsa intellectio, sic accidit in proposito, & quod ad praxim proprie dictam, non pertineat essentialiter aliqua operatio voluntatis, neque elicitæ neque imperatæ, sic probat, quod est præter actum voluntatis, habet quidditatem suam excluso omni actu voluntatis. Sed sic est de praxi, ergo &c. maior patet: minor autem sic ostenditur, nam Comment. in 2. metaphy. commen. 3. loquens de habitu practico vt distinguitur à speculatio, dicit, Scientia

enim operatiua quamuis vtatur ratiocinatione, & speculetur de causis, tamen non est digna vocari speculatiua, quia non perscrutatur de causis rerum, nisi vt scientes eas agant, & non vt sciāt, sicut est in scientiis speculatiuis. Ecce hic loquitur de operatione practica, quæ est praxis, & vocat eam ratiocinationem, & tamen nullam facit mentionem de voluntate: ergo datur praxis quidditatiue, excluso actu voluntatis.

Sed hæc imaginatio Ioan. Baco. fundatur in falso, quoniam credit operationem practicam & praxim proprie dictam esse idem conuertibiliter, quod non est verum, nam operatio practica duplex est, primo ea quæ est ab habitu predicto, & comparatur ad ipsum sicut actus secundus ad primum, vt considerare ad scientiam, & dicitur intellectio, vel consideratio practica, & denominatur ab habitu practico, sicut calefacere à calore. secundo, ea quæ regulatur ab habitu practico, mediante consideratione vel ratiocinatione practica, verbi gratia. Actus voluntatis in principe quibus mouet quemlibet subditum ad operandum iuxta propriam virtutem, regulantur noētia & scientia politica, existente in intellectu principis, mediante intellectioe qua intellectus considerat, quomodo, & quales debent esse actus moriui subditorum in voluntate principis. Primo modo non dicitur operatio practica, quia sit praxis, sed quia est scientia practica, & denominatur ab ea, sicut effectus à causa. Secundo modo concedo quod sunt idē, nam secundo modo dicitur operatio practica, quæ est regulata per scientiā practica, mediante consideratione practica, & hæc est vera praxis, & est actus voluntatis vt diximus supra. Ex his patet quod rationes Ioan. Baco. non concludunt nisi de operatione practica sumpta primo modo, quam nego esse praxim, vt declarauit. Vnde ad primam rationem concessa maiori, nego minorem, qua dicit, sed operatio practica est ipsa praxis. Et ad confirmationem concessā, quod ratiocinatio de prosequibili & fugibili sit intellectualis operatio practica, non tamen conceditur quod sit praxis, quia non est practica nisi primo modo. Ad secundam nego minorem. Ad probationem ex dicto Comment. dico quod non aliud cōcludit, nisi quod ratiocinatio quæ sit per scientiam practica, est operatio practica primo modo, quam nego esse praxim proprie dictam. De suis declarationibus tam pro primo quam pro secundo dicto, non curamus, dicimus enim primam esse veram, sed ex ea non potest concludi vera praxis ex

SEXTI METAPHY.

distinctione quam dedimus. Secūdam autem recusamus, nam admissio quod intellectio practica antecedenter pertineat ad voluntatem vt imperatur, & consequenter vt acceptatur, ex hoc tamen non habetur, quod vt est operatio intellectus practici, sit essentialiter praxis, immo est praxis solū quo ad exercitium, vera autem praxis est aliquis actus voluntatis elicited regulatus vel regulabilis per habitum practicum, mediante consideratione practica. Hæc de præsentis quesito dicta sint.

Questio 5. Si scientia est practica ex obiecto vel ex fine.

Postquam inquisimus, si aliquis actus intellectus potest esse vera praxis, inquirendū est, vnde habet scientia quod sit practica, an ex obiecto, an ex fine. Pro resolutione quaestio agenda sunt. Primo præponetur quedam distinctio. Secūdo ponentur duæ conclusiones responsiue. Tertio defensabitur determinatio nostra.

Quantum ad primum, aduerte quod scientia potest esse practica dupliciter, primo in habitu, siue virtualiter, secundo in actu simpliciter & complectiue, tamen practica in habitu quæ licet non actu ordinetur ad opus nec ex proposito, tamen ordinabilis est, sicut ille qui addiscit scientiam medendi non tamen intendens mederi, dicitur practica actu, & complectiue, quæ ex modo considerandi, & ex proposito ordinatur ad opus, sicut ille qui addiscit scientiam politicam intendens gubernare ciuitatem.

Quantum ad secundum sit prima conclusio, scientia habet ex obiecto solo, quod sit practica habitu. probatur. Omnis scientia ex 6. metaphysic. text. 1. est aut practica aut speculatiua. Speculatiua secundum philosophum ibidem exemplificata de physica est circa rem, cuius principium motus est sibi intrinsecum. Naturalia enim circa quæ est physica, habent in se principium motus. Actiua autem & factiua, quarum vtraque dicitur practica, id est, operatiua, est circa rem, cuius principium est in ipso operante, siue tale principium sit intellectus, siue ars, siue aliqua alia potètia: ergo secundum philosophum in dicto textu, practica distinguitur à speculatiua ex obiecto, sed ab eodē res habet esse & distinctione: ergo sicut distinguitur à speculatiua ex obiecto, sic habet q̄ sit practica habitu ex

QVAESTIO V.

obiecto. Præterea. Scientia practica distinguitur à speculatiua, quia per practica potest attingi, vel acquiri, vel produci obiectum circa quod est, per speculatiua autem solum cognosci, ergo sicut speculatiua habet ex obiecto, quod sit speculatiua, sic practica habet ex obiecto quod sit habitu practica.

Secunda conclusio. Scientia non est practica actu simpliciter & complectiue ex solo obiecto, sed ex modo considerandi & ex proposito operandi. Pro cuius euidencia aduerte, quod obiectū scientiæ practici tripliciter potest considerari. Primo quo ad prædicata distinctiua & suas proprietates, vt quando considero quid est virtus moralis, & in qua parte animæ est subiectiue, & quomodo diuiditur in species. Secūdo quomodo acquisibile aut producibile sit, vt quando considero quibus actibus acquiritur iustitia, & quomodo expellit suum oppositū, & quomodo perficit habentem, & opus suum, ergo quando proponimus in animo, & deliberamus applicare huiusmodi notitiā ad operationē, vt ad finē, ad quem ordinatur notitiā practica. His propositis dico, quod non ex prima consideratione, sed ex secunda, & tertia, simul iunctis est actu & complectiue practica, & quidē quod non ex prima, patet: quoniā ex eo quod est cōmune scientiæ practici & speculatiui, non sortitur practica, quod sit practica actu & complectiue, sed potius quod sit speculatiua ex modo considerandi speculatiui, licet non ex obiecto. Sed considerare obiectū quo ad prædicata distinctiua & suas proprietates, est commune speculatiui & practici, ergo &c. Quod autem ex secunda & tertia simul, probatur, nam Arist. vbiunque ponit differentiam inter habitum practicum & speculatiuum, assignat differentiam non solum per obiectū, sed vltimate per finem, quæ est operatio. Vnde in 2. metaphysic. text. 3. inquit. Nam theoreticæ finis est veritas, & practici opus, vbi inquit Cōment. practica non perscrutatur de causis & diffinitionibus rerum, nisi vt scientes eas agant, & in 2. & hic, volens probare moralem philosophiam esse practicam, inquit. Morale negotiū non est contemplationis gratia, non enim perscrutatur quid sit virtus, vt sciamus, sed vt boni efficiamur, vbi & Cōment. inquit. Non est intentio nostra in hoc libro perscrutari quid sit virtus, vt sciamus, sed vt operemur eam & simul boni. Et in 3. de anima. text. 4. non assignat differentiam inter intellectū practicum & speculatiuum ex obiecto, sed ex fine, inquit enim, intellectus qui practicus est differt à speculatiuo secundū finem, vbi dicit

Comenta. Finis speculatiui est scire tantum, operatiui est operari. Ex quibus omnibus patet, quod completa differētia inter practicum, habitum, & speculatiuum, non stat in obiecto solo, sed in modo cōsiderandi vt operemur, & in proposito operādi. Dico in proposito operādi, quoniā non est necesse vt quis actu operetur, aliter quoties sciens cessaret ab opere, non persisteret scientia sua simpliciter practica, & quoties iterū operetur, toties fieret simpliciter practica, quod est vanum opinari. Tenendum est ergo, quod duo complent habitum practicum scilicet obiectum operabile, & intentio operandi, ita quod nullū horum per se sufficit. Hęc est determinatio nostra.

Quantū ad tertiū aduerte, quod duo inter ceteros cōatur impugnare determinationē nostram. Primus est Ioan. Baco, qui in q. 4. prologi, in 1. sen. ar. 1. duo dicit, & in primo discordat à nobis, in secūdo autē videtur concordare. Primo dicit, quod ista quæstio, vtrū habitus practicus distinguatur à speculatiuo ex obiecto vel ex fine, nulla est, licet multi pōderent eam, quoniā in practico eadē est ratio finis, & ratio obiecti, nam formalis ratio finis, est ratio boni, & hęc eadem est ratio obiecti in practico, dicit enim philosophus in 2. ethi. cap. 2. quod scientia moralis non est vt sciamus, sed vt boni efficiamur, & apud Comment. obiectum scientiæ moralis est melior actio totius hominis.

Secundo dicit quod ad scientiam simpliciter practicam ista quatuor requiruntur per ordinem, primo quod habitus practicus sit notitia & ratiocinatio de causis rei operabilis, ita tamen quod huiusmodi ratiocinatio sit precise propter ipsum agere, & non propter scire. Vnde Commenta. in 1. metaphy. commen. 3. dicit, quod scientia operatiua non ratiocinatur de causis & diffinitionibus rerum, nisi vt eas agant. Secūdo quod sit actualis dictatio intellectus de re agenda siue fugienda. tertio quod voluntas imperet prosequi vel fugere dictatum. Ex his autem quatuor dicit, primum & secundum pertinere ad quidditariam rationē habitus practici, reliqua autem consequuntur siue complent.

Sed relictis his que dicit requiri ad scientiam simpliciter practicam, quoniā non aduersantur aperte determinationi nostræ, respondendū est ad primum dictū suum. Aduerte igitur, quod obiectum scientiæ dupliciter accipi potest, primo pro eo

circa quod versatur scientia, vt in physica, obiectū est ens mobile, in metaphysica ens vt ens, in medicina corpus sanabile, secundo pro eo quod est principaliter intentum à sciente, & ad quod dirigit totum studium suum, vt physicus intendit scire causas & proprietates entis naturalis. Metaphysicus autē, entis vt eos est, & quando sciens ad hoc peruenerit, quiescit delectationem suam. Quando igitur dicit Baco, quod eadē est ratio finis & obiecti, nego, si sumatur obiectū primo modo, concedo autē si sumatur secundo modo, & probationes suæ ex dicto philosophi & Commenta. procedunt de obiecto secundo modo, & non primo modo. Vnde quæstio nostra non est yana, sed ponderanda. Querimus enim si scientia practica est practica, ex obiecto primo modo vel ex fine, id est ex eo quod vltimo intēdit sciens practicus, quod est operatio, qua attingit obiectum dictum primo modo, quod quidem vltimo intentum, est obiectum secundo modo.

Secundus est Ant. And. qui in 6. metaphy. q. 1. tenet quod practica est practica ex obiecto, & non ex fine. Et aduerte antequā adducā sua argumenta, quod non proprie vadit contra sensum nostrum. Credit enim nos tenere, scientiā practiciā nullo modo esse practiciā ex obiecto, sed tantū ex fine, quod tamen non dicimus, vt patet in prædictis, immo p radicaliter & primo est practica ex obiecto, cōplētiue autem ex fine, ita quod esse practiciū ex fine, supponit esse practiciū ex obiecto, sicut posterius supponit suum primū. Ex his videbis, quod argumenta sua nihil concludunt contra nos, arguit igitur dupliciter, primo, si scientia dicitur practica propter extensionem ad finem, quæro aut propter extensionem actualē, aut aptitudinalē, non primo modo, quoniā eadē scientia, etiam vna die esset modo practica, puta quando sciens actu operatur, & modo speculatiua, puta quando cessat operari, hoc autem videtur absurdū, ergo erit practica secundo modo, tunc sic, nunquā aptitudo cōuenit vni nature, nisi propter aliquod absolutum intrinsecum tali nature, quia enim natura est talis, conuenit ei talis aptitudo: ergo præsupponitur in scientia aliqua cōditio intrinseca, propter quam conuenit ei talis aptitudo. Hęc autē cōditio scientiæ, est ab aliqua eius causa priore. Causæ autem priores eius sunt intellectus & obiectum: ergo esse practicum cōuenit scientiæ ex intellectu & ex obiecto, non ergo ex fine.

Respondetur, dico quod est practica cōplētiue, propter ex-

SEXTI METAPHY.

tionem ad finem, qui est in proposito & intentione scientis practici, dato quod actu non operetur, & ad bonum sensum potest finis intentus dici finis aptitudinalis, & cum arguitur, nonquam aptitudo &c. concedo, & cum infertur, ergo praesupponitur in scientia &c. concedo totum usque ibi, ergo non ex fine. Hoc ultimum nego, quoniam stat quod ista aptitudo siue intentio finis fundetur in obiecto, nisi enim obiectum esset operabile, non posset intendi operatio, qua assequimur ipsum obiectum, & tamen quod scientia practica, quae radicaliter est practica ex obiecto ut ex causa priori, fiat simpliciter practica ex fine intento, non ergo ex solo obiecto, sed ex obiecto & ex fine, habet scientia, quod sit simpliciter practica.

Secundo, si finis facit scientiam esse practica, quaero, aut finis iam habitus, aut cognitus, aut intentus, non primo modo, quia ut sic est effectus scientiae, & posterior ea, effectus autem non distinguit, nec specificat suam causam, si secundo modo habetur propositum, quia finis ut cognitus habet rationem obiecti non tertio modo, quoniam iam per argumentum praecedens improbatum est, dictum est enim quod antequam finis intendatur, iam scientia talis est.

Respondetur, deo quod est finis tertio modo acceptus, ad improbatum dico, quod licet antequam finis intendatur, sit radicaliter practica ex obiecto, non tamen est simpliciter practica, nisi post intentionem finis. Et hoc idem videtur sentire ipse in eadem questione, nam respondens ad primam rationem sic dicit, Arist. ponit tres gradus intellectus, quorum primus est, considerare tantum speculabilia, secundus est, considerare agibilia in vniuersali, non dictando prosequi vel fugere, tertius est, iam prosequi vel fungere, vel dictare prosecutionem vel fugam in particulari. Intellectus ergo excedens in secundo gradu, in quo imperfecte est practicus, extendit se ad tertium, & fit perfecte practicus. Dicendo se velle prosequi vel fugere, ita quod illa extensio est intellectus imperfecte practici, ad considerationem perfecte practicae, puta ab apprehensione agibilium ad dictam completum, de eis praecipiendo prosecutionem vel fugam, haec ille. Ex quibus constat quod & ipse sentit, ex sola cognitione obiecti agibilis, habitum esse practicum imperfecte, ex dictamine autem & volitione prosecutionis vel fugae circa tale obiectum fieri perfecte practicum, & hoc est quod nos dicimus ex fine fieri complete practicum. Haec de praesenti quaestione dicta sunt.

QVAESTIO VI.

128

Quaestio 6. Si omnis scientia est practica vel speculativa.

In hac quaestione tria agenda sunt. Primo si practicum & speculativum sunt differentiae essentialis habitus scientifici in communi. Secundo respondendum est ad quaesitum. Tertio soluenda sunt quaedam argumenta.

Quantum ad primum adverte, quod practicum & speculativum possunt sumi ex fine, & ex obiecto, si sumantur ex fine, practicum dicit respectum ad opus. Speculativum autem dicit negationem talis respectus, si sumantur ex obiecto, practicum dicit considerationem intrinsecam ex natura rei ipsi obiecto, ex eo quod est operabile, & super quam fundatur talis respectus, ex eo enim quod obiectum scientiae practicae est operabile, sequitur quod est attingibile per operationem agentis practici.

Speculativum autem dicit conditionem intrinsecam ipsi obiecto ex natura rei, ex eo quod non est operabile, & super quam fundatur privatio talis respectus ad opus, ita quod sicut habitudo ad opus, consequitur obiectum in quantum operabile, ita privatio huius habitudinis, consequitur obiectum, in quantum non est operabile, sed tantum cognoscibile.

Postea hac distinctione, dico quod practicum & speculativum primo modo non sunt differentiae essentialis habitus scientifici in communi, quia relatio vel respectus non est differentia essentialis entis absoluti. Diverforum enim generum diversa sunt species & differentiae, sed habitus scientificus est ens absolutum, cum sit in predicamento qualitatis, sed practicum sumptum ex fine, dicit respectum, ut declaravimus, ergo &c. Similiter speculativum sumptum ex fine, dicit privationem, siue negationem talis respectus, nulla autem negatio vel privatio potest esse differentia essentialis entis absoluti, ut patet, ergo &c.

Practicum autem & speculativum secundo modo id est ut sumuntur ex obiecto, sunt differentiae essentialis habitus scientifici in communi, quoniam quae diuidunt aliquod commune, & sub quo essentialiter constituitur species illius communis, sunt differentiae essentialis, non enim per differentiam essentialis possumus intelligere, nisi diuisum essentialiter alicuius communis & constitutum essentialiter aliquorum sub illo communi, ex doctrina Porphyri in vniuersalibus, sed practicum & speculativum sumpta secundo

modo diuidunt essentialiter habitum scientificum in communi, & constituunt, &c. Omnis enim scientia vel est de obiecto operabili, & sic est practica ex obiecto, vel non operabili, & sic est speculatiua ex obiecto: ergo &c. Et aduerte quod ibi loquimur de habitu scientifico inuenito lumine naturali, ut non introritamur nos de scientia diuinitus reuelata, quae una existens ponitur in via nostra practica & speculatiua.

Quantum ad secundum aduerte quod ex immediate dictis, constat omnem scientiam humanam esse practica vel speculatiuam, quia ut diximus, vel est de re operabili, vel non operabili: ergo saltem ex obiecto, omnis est practica vel speculatiua. Praeterea. Distinctio intellectus per practicum & speculatum sumitur ex scientia practica & speculatiua. Dicitur enim practicus intellectus, ut habet noticiam ordinabilem ad opus, Speculatiuus autem opposito modo. Cum igitur ex doctrina Arist. in 3. de anima. Omnis intellectus sciens sit practicus aut speculatiuus, sic dicendum est etiam de scientia humana. Et propterea Auic. in principio suae metaphy. ponit scientias primo diuidi per practicas & speculatiuas, & assignans earum differentias inquit. Speculatiuae sunt illae, in quibus finis est certitudo scientiae & opinionis. Practicae vero sunt illae, in quibus primum quaerit perfici virtus animae speculatiua, per adaptionem scientiae imaginatiuae & creditiuae, de rebus quae sunt nostra opera.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta, quorum primo probatur, nullam scientiam esse practicam 2. autem probatur non inconuenire unam & eandem esse practicam & speculatiuam.

Primo igitur sic arguitur, finis cuiuscunque scientiae est scire. Desideramus enim scientiam ut sciamus, & in omni scientia demonstratione utimur ut sciamus. est enim scire demonstrationis effectus: ergo omnis scientia est speculatiua. Antecedens patet, consequentia probatur, quoniam speculatiua in via philosophi dicitur, cuius finis est scire, practica autem, cuius finis est opus. Si igitur omnis scientiae finis est scire, omnis scientia est speculatiua.

Respondetur, non distinguitur speculatiua a practica, per scire & non scire, sed per scire tantum, & per scire ordinatum ad opus, unde ad arg. nego consequentiam. Ad probationem dico, quod finis speculatiuae est scire tantum, finis autem practicae est scire ordinatum ad opus, & quoniam multae sunt huiusmodi scientiae, ut aedificatiua, politica, oeconomica, &c. ideo

ideo non omnes sunt speculatiuae.

Secundo arguitur sic. Possibile est inuenire in habitibus intellectualibus humanis inuentis, unum habitum continentem in se duos habitus intellectuales omnino distinctos, ita quod non est praecise iste, nec praecise ille, & tamen specie distinctus ab utroque eorum, sicut distinguitur idem medius color ab extremis, ergo eadem ratione, possibile est inuenire habitum unum qui contineat habitum practicum & habitum speculatiuum, ita quod non est praecise speculatiuus, nec praecise practicus, & sic specie distinctus ab utroque eorum, antecedens quidem patet in 6. & hic, ubi philosophus ponit sapientiam habitum specie distinctum ab aliis habitibus intellectualibus: & tamen in se continentem habitum principiorum & scientiam, unde inquit Arist. Oportet ergo sapientem non solum quae ex principis scire, sed & circa principia verum dicere. Quare utique erit sapientia intellectus & scientia, ergo &c.

Respondetur, vbi cumque Arist. ponit unum habitum continentem duos habitus specie distinctos, loquitur de habitu eiusdem rationis, puta quia uterque est speculatiuus, ut si dicamus, metaphysicam continere scientiam de substantia, & scientiam de accidente, vel quia uterque est practicus, puta si dicamus, sapientiam continere habitum principiorum practicum, & scientiam conclusionum practicum. Est autem maior ratio, quod inueniatur unus habitus continens duos habitus eiusdem rationis, quae duos diuersarum & oppositarum rationum. Constat autem practicum & speculatiuum esse diuersarum & oppositarum rationum. Unde ad arg. concesso antecedente, neganda est consequentia de scientiis humanis, ut excipiam diuinam reuelatam, de qua non est praesentis negocij pertractare. Haec de praesenti quaesiro dicta sunt.

Quaestio 7. Si sunt tantum tres scientiae speculatiuae.

Quae tres erunt philosophiae theoriae, mathematica physica & theologia.

In hac quaestione tria agenda sunt. Primo ponetur quaedam distinctio, Secundo ponetur conclusio responsiva. Tertio soluentur quaedam argumenta.

Quantum ad primum sic haec prima distinctio. Scientia speculatiua quaedam realis, & est illa, quae versatur circa ens reale, ut physica, circa ens naturale, & mathematica circa quantitates



SEXTI METAPHY.

Continuam vel discretam, quædam rationalis, & est illa quæ versatur circa ens rationis, vt logica sumpta in sua vniuersalitate, quæ in via nostra continetur sub scientia speculatiua, quoniam licet ordinetur ad opus, puta ad syllogizandum & discurrendum in aliis scientiis, ad quas comparatur, sicut regula & modus sciendi, tamen quia non ordinatur ad regulandū opus alterius potentie ab intellectu, ideo non est locanda inter practicas, sicut etiam diximus in 4. q. huius sexti libri.

Secunda distinctio, scientiarum speculatiuarum realiū, quædam est speculatiua vere & proprie, & est illa, quæ ex natura sui, & ex parte sui obiecti, ordinatur ad scire tantum, eo quod circa obiectum suum non possumus nisi speculari. Quædam autem ex speculatiua, non proprie, sed potius ex vsu loquentiū & est illa, quæ ex natura sui & ex parte obiecti non ordinatur solum ad scire, sed ad operandum circa obiectum suum. Et hoc modo medicina quæ est de regulis vniuersalibus, solet dici speculatiua. Quæ autem applicata est ad curam, solet dici practica, licet ex obiecto, quod est corpus sanabile, vtraque possit ea, practica.

Tertia distinctio, scientiarum speculatiuarū proprie & realium, quædam est inuenta via sensus & lumine naturali, quædam autem ex diuina reuelatione.

Quarta distinctio, phisicas scientiarum speculatiuarum propriarum & realium, potest assignari secundum distinctionem genericam, & secundum distinctionem, specificam. Et quidem si consideretur secundum distinctionem specificam, patet quod non sunt tantum tres. nā mathematica sub se continet geometriā & arithmetica, vt duos habitus distinctos specie. Similiter physica sub se continet scientiam de mobili ad vbi, & scientiam de mobili ad formam, & scientiam de anima libris &c. vt habitus partiales distinctos specie. Si autem considerentur secundum distinctionem genericam, sic dictum philosophi erit verum, vt statim apparebit per conclusionem responsiuam.

Quantum ad secundam aduerte, quod intentio philosophi est loqui de scientiis speculatiuis realibus, vt excludamus logicam, & proprias, vt excludamus theoreticam medicinæ, & inuentis via naturali, vt excludamus diuinam reuelatam, & de pluralitate earum, secundum genus, & non secundum speciem. Vnde ponitur hæc conclusio responsiua.

QVAESTIO VII.

130

Sunt tantum tria genera scientiarum speculatiuarum realium, propriarum, inuentarum lumine naturali.

Hanc conclusionem aliter probat Thomista, aliter Scoti. Thomista quidem fundantes se super scientiam b. Tho. in præmio 1. phy. sic probant. cū distinctio scientiæ sumatur est distinctio formalis ipsius obiecti, quot sunt obiecta formalia generica scientiarum speculatiuarū, tot sunt & ipsæ scientiæ speculatiue. Obiecta autem earum sunt trium tria, quoniam obiectum est ens aliquo modo abstrahibile à materia. Materia enim obstat intelligibilitati, vnde ista sensibilia non sunt intelligibilia, nisi in potètia propter suā materialitatem, & ad hoc quæ sunt intelligibilia in actu, necesse est vt fiant immaterialia per intellectum agentem, vt alias declarabitur, secundum igitur quod ens diuersimode abstrahit à materia, ad diuersas scientias pertinet. Aduerte igitur quod aliquid ens abstrahit à materia secundum esse & secundum rationem, qualia sunt entia separata, quæ nunquam sunt in materia, & sic est substantia, & actus, & potentia, quæ non sunt vniuersaliter in materia, vt declarabitur in lib. 11. De ente autem sic abstractio est metaphysica, vnde philosophus in 6. meta. text. 2. ponens, differentiam metaph. à phys. & mathemat. inquit prima vero, id est metaph. circa separabilia & immobilia, vbi inquit Cōmen. necesse est vt prima scientia in esse, sit scientia rerū abstractarū. Et est aliud ens, quod licet nō sit extra materiā, tamē in sui diffinitione non recipit materiā sensibilem, vnde dicitur abstractū nō secundum esse, sed secundum rationem, & tale ens est quantitas, siue continua, siue discreta non enim linea, aut superficies diffinitur per materiā sensibilem, neque par, neque impar, neque recte, neque curuū, vt dicitur in 2. phy. text. 19. Et de huiusmodi ente est math. vnde inquit Arist. in li. 6. meta. & mathema. quidē circa immobilia, sed in separabilia, s. secundum esse, quia non habet esse, nisi in materia, vbi inquit Cōmen. Mathema. est de rebus abstractis secundum diffinitionem, sed non secundum esse. Et est aliud ens, quod vt sensibile licet possit abstrahere à materia individuali, nō tamen à materia cōmuni, quoniam nō potest esse nisi in materia, & nō potest diffiniri sine materia cōmuni, & huiusmodi sunt entia naturalia, nam licet homo possit diffiniri sine hac carne & hoc esse, non tamē sine carne, & sine esse, & de hoc ente est physica, vnde inquit philosophus in 6. metaph. Physica nāq; circa inseparabilia, s. à materia, & secundum esse, & secundum rationem. Cū igitur

SEXTI METAPHY.

non possint esse plures modi abstrahendi à materia, patet qd nō sunt alii tria obiecta speculabilia generica distincta formaliter, ex diuerso modo abstrahendi à materia, ex consequenti non sunt nisi tria genera scientiarum speculatiuarum realium &c.

Scotista autem vt patet per Ant. And. in 6. meta. q. 3. alia via procedūt in assignādo tria obiecta speculabilia generica, iuxta quæ cōcludūt tria genera scientiarū speculatiuarū realiū & propriarū. Aduerte igitur, qd apud eos dātur hæc tria, obiecta, ens, substantia corporea, cui absolute cōsideratē inest primo quātitas cōtinua, deinde discreta, substantia corporea cōsiderata in quantū habens formā, quæ est principiū determinatē operatio nis, & motus, & quietis. Circa ens vt habet passiones demonstrabiles de ipso est principiū cognitū via sensus, ponitur metaph. circa substantiā corporeā, vt sibi inest quantitas, ponitur mathematica, circa substantiā corporeā, vt habet formā quæ est principiū motus &c, ponitur physica. Et præter has non potest dari alia, quæ nō contineatur sub istis, vel sub aliqua istarū. Et si dicas, Quare non potest dari vna sciētia speculatiua de substantia incorporea, sicut datur de substantia corporea, & vna de quantitate, sicut datur de substantia corporea, vt sibi inest quātitas. Respondēt qd licet substantia incorporea habeat passiones sibi primo inherentes, non tamē scibiles à nobis via sensus, sed sic sunt notē nobis de ipsa solē passiones entis. Vnde verum est qd illa substantia est subiectū alicuius scientiæ speculatiuæ, possibilibus intellectu potētī cognoscere eā sub propria ratione, sed nō nobis. Ad illud de quātitate dicit, qd nullū genus accidentiū potest esse primū subiectū in aliqua scientia, quoniā quodlibet genus accidentiū, & quælibet species cuiuslibet eorū continetur in aliqua specie substantiæ virtualiter mediato vel immediato. Oportet ergo diuidere substantiam præcise, vt habeatur primum subiectum alterius scientiæ à metaphysica &c.

Sed hic modus dicendi non videtur conueniens intentioni Aristoteli ipse assignans determinatum numerorum scientiarū speculatiuarū semper fundauit se super ens, vt diuersimodē abstrahibile à materia. Vnde in 3. phys. ostēdens differentiā inter phys. & metaph. à tex. 16. vsq; ad tex. 18. processit hæc via, & in 6. metaph. vt iā declarauimus eadē via processit. Assignatio autē trium subiectorum adducta ab Ant. And. est potius voluntaria quam fundata in doctrina Aristoteli. Immo quæsum ad illud quod dicit, substantiam incorporeā non posse esse subiectū alicuius

QVAESTIO VII.

131

scientiæ speculatiuæ possibilis, nobis videtur sibi contradicere. Determinauit enim in 2. lib. metaph. q. 3. qd substantias abstractas cognosci quidditatiuē ab intellectu viatoris nō est impossibile. Præterea, Philosophus in lib. 12. deuenit ad multas proprietates primi principij, quæ nō explicatū per passiones entis, puta qd est purus actus, qd est maxime intelligibile, qd intellectio est substantia sua, quæ maxime in seipso delectatur, qd est via sua, qd est totius naturæ bonum, qd omnia ordinata sunt ad ipsum, falsum est ergo, qd de substantia incorporea nō possumus cognoscere via sensus, nisi solas passiones entis, & quod nō potest esse subiectum alicuius scientiæ speculatiuæ possibilis nobis, qd autem dicit de quantitate, nullam apparentiā habet. Aliud est enim quodcūq; genus accidentis cōtineri in substantia quo ad esse, & aliud quo ad intelligibilitatem, licet enim primū sit ad esse, & aliud quo ad intelligibilitatem, licet enim primū sit ad esse, quoniā accidentis esse est inesse, non tamen secundū, quoniam potest habere propriam speciem intelligibilem, per quā primo & per se potest intelligi, vnde in doctrina Scoti, vt declarabimus in 7. lib. non cognoscitur à nobis substantia nisi per speciem accidentis, licet ergo repugnet accidenti esse primum subiectum inhesionis, non tamen sibi repugnat esse primum subiectum, circa quod versatur aliqua scientia speculatiua.

Quantum ad tertium aduerte, quod pro maiori parte argumenta quæ solent fieri in hoc quæsto soluuntur per distinctiones, quas præposuimus in principio quæsti. Tu tamen aduerte illud argumentum, quo solet sic argui. Diuisio prima cuiuslibet generis, debet esse solum per duas differentias ex consequenti bimebris. Nam ex 10. metaphysicis, in vnoquoque genere est vna prima contraritas, quæ est per duas primas differentias, scientia speculatiua est quoddam genus, continetur enim prædicamento qualitatis & in primo genere scilicet in habitu, ergo vel vt genus, vel vt species, non vt species, aliter physica & mathematica differrent solum numero, ergo prima diuisio scientiæ speculatiuæ non debuit esse trimembris.

Respondetur, aliqui tenent scientiam speculatiuam esse analogum ad diuinam & naturalem, & mathematicam, eo quod per prius dicitur de diuina, tanquam de nobiliori, vnde solet ab Aristoteli dici prima philosophia, sicut animal primum sanum. Diuisio autem analogi prima, nō oportet esse bimebris. Sed hæc opinio nō videtur vera, quoniā quod in vno solo



prædicamento continetur, non potest esse analogum, sicut nec æquiuocum, coordinatio enim vnius prædicamenti constituitur ex generalissimo & specialissimo, & subalternis generibus, ac differentiis essentialibus, secundum doctrinam Porphyrii. Constat autem quod scientia & inferiora sua, vt practica & speculatiua, & partes speculatiuæ continentur in prædicamento qualitatibus & in primo genere: ergo non est analogum, nec valet obiectio, quoniam licet vt adinuicem comparantur, vna sit prior altera, puta diuina, tamen comparata generi suo, æqualiter participant rationem speculatiui. Dicendum est ergo quod est genus, cuius prima diuisio debet esse bimbremis vel reducibilis ad bimbrem. In proposito dico, licet philosophus affigat trimembrem, vt breuius & clarius manifestaret differentiam inter scientiam diuinam & physicam & mathematicam, tamen sic potest reduci ad bimbrem. Omnis scientia speculatiua, vel est de omnino abstractis à materia, & hæc est metaphysica, vel de abstractis non omnino. Et hoc dupliciter, quia de abstractis à materia sensibili, tam vniuersali, quã particulari, & hæc est mathematica, vel de abstractis solum à materia sensibili singulari, & hæc est physica. Hæc de præsentibus quæstio dicta sit.

Quæstio 8. Vtrum speculatiuæ sint nobiliores practicas.

Ergo theoreticæ aliis scientiis desiderabiliore sunt. Text. 2.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primo ponitur quædam distinctio. Secundo quædam conclusiones responsiuæ. Tercio soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod speculatiuæ possunt in nobilitate comparari practicas ratione obiectorum, vel ratione finium. Ratione quidem obiectorum, vt scilicet illæ sint nobiliores, quæ sunt de nobiliori obiecto, & ex parte finium illæ sint nobiliores, quæ ad nobiliorem finem ordinantur, finis autem potest esse communis & proprius. Communis quidem vt si dicamus, speculatiuas ordinari ad sciendū tantum, practicas autem ad operari siue ad vsum nostrum. Proprius vero, vt si dicamus, hanc speculatiuam, puta metaphysicam, ordinari ad tale sciendū, quale est sciendū diuinum, hanc autem practicam, puta moralem, ordinari ad tale operari, quale est operari secundum virtutem.

Quantum ad secundum aduerte quod si speculatiuæ comparantur practicas quo ad finem cõmunem, nobiliores sunt, quoniam finis speculatiuarum est sciendū, practicarum autem est nostrum operari. sed sciendū nobilius est nostro operari, quoniam per ipsum sciendū conuenimus cum nobilissimis substantiis intellectualibus, non autem per nostrum operari, vt patet, quod nostra artificia non conueniunt eis, ergo &c. Si autem comparantur quo ad sermones proprios, puta quo ad tale sciendū & tale operari, aliqua speculatiua est nobilior aliqua practica, & aliqua practica est nobilior aliqua speculatiua, quoniam sciendū alicuius speculatiuæ, vt notitia de coelo, de anima, de homine, excedit in nobilitate vsum, siue operari alicuius practicæ, puta sciendū scientiæ frenesactiæ. Et operari alicuius practicæ, puta sciendū moralis, vt bene regulare subditos, & operari secundum virtutem excedit in nobilitate aliud sciendū, puta sciendū triangulum habere tres, & sciendū formicam, vnde dixit philosophus in lib. 12. metaph. text. 51. quod inconueniens est de quibusdam in lib. 12. metaph. text. 51. quod inconueniens est de quibusdam meditari, & dignius est quædam non videre quã videre, ergo &c. Si autem speculatiuæ comparentur absolute & simpliciter practicas, dico quod speculatiuæ sunt nobiliores, quoniam in genere speculatiuarum inuenitur aliqua, puta diuina, excedens in nobilitate omnes practicas. Veratur enim circa ens diuinum, quod est nobilissimum, & in tali sciendū stat humana felicitas, ex 10. ethicorum, nulla autem practica est nobilior toto genere speculatiuarum, nec ex parte obiecti, quoniam nullum obiectum cuiuscunque practicæ est nobilius ente diuino, nec ex parte finis, quoniam actiones nostræ practicæ etiam morales, sunt media ad felicitatem, & non sunt ipsa felicitas.

Quantum ad tertium aduerte quod hæc determinatio non videtur saluare dictum philosophi quo dicit: ergo theoreticæ aliis scientiis desiderabiliore sunt, nam quoniam comparat theoreticas aliis, & nullam excipit, videtur hæc comparatio esse vniuersalis, vt sic sensus: ergo omnes theoreticæ sunt desiderabiliore, ex consequenti nobiliores aliis scientiis, scilicet practicas non ergo oportebat tot distinctiones & conclusiones ponere, sed probare quod omnes theoreticæ sunt nobiliores practicas, aliter non saluatur dictum philosophi.

Respondetur à Paulo Soncin. in 6. metaph. q. 6. propter hoc argumentum dicit, quod philosophus nõ comparat theoreticas practicas in nobilitate, sed comparat theoreticas, quas enume-

rauerat inter se dicens, quod metaph. est dignior mathematica, & naturali, & dictum suum manifestat per tex. commen. & per Commenta. in fine 2. commenta. Verum si intendebat, vt Thomista, non diuare à mente b. Tho. nō potuit sic respondere, quoniam b. Tho. exponens dictum philosophi, manifeste comparat theoricas practicas, & non solum theoricas inter se, sic enim inquit. Ergo cum hæc scientia scilicet metaph. sit honorabilissima inter omnes, quia est honorabilior theoricas, vt prius ostensum est, quæ quidem sunt honorabiliores practicas, vt in 1. lib. habitum est, hæc ille.

Propterea tenendo quod comparat theoricas practicas, dicendum est, quod non intendit concludere omnes & singulas speculatiuas esse nobiliores omnibus practicas, nisi quo ad finem communem, vt declarauimus, sed quod absolute & simpliciter loquendo speculatiuas sunt nobiliores practicas, in hoc sensu, quoniam aliqua speculatiua ratione obiecti, & ratione proprii finis, est nobilior omni practica. Nulla autem practica est nobilior omni speculatiua, & sic nulla est difficultas in dicto philosophi, nec repugnat determinationi factæ.

Alia argumenta, nec difficilia sunt, & ab alijs soluntur. Hæc de præsentis quæsto dicta sunt.

Quæstio 9. Si de ente per accidens est scientia.

Nulla scientia studiosa est de eo, nec practica, nec theorica, non enim faciens domum &c. Tex. 4.

In hac quæstione cito expediemus nos: quoniam in epitomi nostra super Sexto libro metaphysicæ satis de hoc locuti sumus. Pro vniuersali tamen resolutione, hic duo agemus. Primo, præponuntur duæ distinctiones. Secundo, duæ conclusiones responsiue.

Quantum ad primum aduerte aliquos formare talem distinctionem, ens per accidens potest esse quadrupliciter, primo accidentalitate prædicationis, vt quando prædicatum dicitur de subiecto, sed non in aliquo modorum per se assignatorum in 1. poster. 2. accidentalitate rei, sed non prædicationis, & hoc reperitur, quando prædicatum est passio subiecti, licet enim risibile prædicetur per se de homine, est tamen accidens in homine secundum viam nostram, tertio, quia sunt distinctæ res, quarum vna accedit alteri, vt homo albus, musicum album,

quarto dicitur ens per accidens accidentalitate causalitatis, vt album ædificat, fodiens sepulchrum inuenit thesaurum, sub cane pluit. Ex huius quidem distinctionis primum membrum non est alicuius momenti in proposito nostro, nec secundum habet difficultatem, nullus enim dubitat quin ista, homo est risibile, sit conclusio scibilis & demonstrabilis, & homo, vt de eo propria passio prædicatur, est subiectum scibile: tertium autem, & quartum membrum deseruiunt proposito nostro, quoniam de tali ente per accidens, & non alio modo intendit philosophus, cum dicit de eo non esse scientiam.

Secunda distinctio quam inuit b. Tho. exponens text. 5. in hoc 6. lib. & quam communiter adducunt expositores, sit hæc, ens per accidens tertio & quarto modo, dupliciter considerari potest, primo formaliter, siue pro conceptu, quem per se importat hoc, quod est ens per accidens, secundo materialiter siue pro re subtracta, cui inest & de qua prædicatur denominatiue. Alij ponunt eandem distinctionem sub his verbis, ens per accidens sumitur dupliciter, primo secundum rationem communem, quam importat hoc nomen commune, ens per accidens, secundo secundum rationem specialem & determinatam, in quantum importatur per speciale nomen, vt fodiens sepulchrum inuenit thesaurum, musicum ædificat, sub cane pluit, &c.

Ex his dist. pono duas conclusiones responsiuas.

Prima, de ente per accidens tertio & quarto modo formaliter sumpto, siue quo ad rationem suam communem, potest haberi & haberi scientia, vel saltem certa notitia, nam Arist. in tex. 5. inuestigat quæ sit eius natura, & quæ eius causa, sicut diffuse pertractauimus in epitomi nostratergo de eo formaliter sumpto habetur certa notitia.

Secunda, de ente per accidens tertio & quarto modo, sumpto pro re subtracta, non potest haberi scientia, nec certa notitia, nam ex 1. poster. Quicquid scitur, aut est semper, aut frequenter, & habet determinatam causam. Quod autem est ens per accidens tertio modo & quarto modo, nullam harum conditionum habet, immo oppositas, vt patet de fortuito & casuali ergo &c. Et aduerte quod in 2. phys. text. commen. 55. agens de fortuna, tangit idem, dicit, enim fortunam dicere esse extra rationem, recte est. Ratio enim id est ratiocinatio per quæ acquirimus certam notitiam, aut est eorum quæ semper sunt, aut eorum quæ sunt frequenter sed fortuna, siue effectus for-

nitur, nec est semper, nec frequenter, immo ut in paucioribus, ergo &c.

Contra hanc determinationem solent fieri duo argumenta alicuius apparentie.

Primo, quod est à causa determinata agente, ut in pluribus videtur scibile, hæc est manifesta, sed ens per accidens, præcipue quarto modo, est huiusmodi, dicit enim philosophus in text. 7. Quod est secundum magis, id est, ut in pluribus, hoc principium, & hæc causa eius, quod est accidens esse, ergo &c.

Respondetur, Arist. non dicit quod causa agens ut in pluribus, in quantum agit ut in pluribus, sit causa entis per accidens quarto modo, sed in quantum debet aliquando, nam in quantum agit ut in pluribus, agit ex intentione, & effectum proprium ac per se, in quantum autem aliquando deficit, agit præter intentionem & effectum per accidens, nego ergo minorem, & ad dictum philosophi, patet quid dicendum.

Secundo, quod est à causa necessaria & immutabili videtur esse necessarium & immutabile, sicut quod est à causa contingente est contingens, & à mutabili est mutabile, sed ens per accidens quarto modo, est à causa necessaria & immutabili, quoniam est à causa prima, quæ est necessaria & immutabilis. Omnis enim effectus positivus, est à causa prima mediate vel immediate, ergo est necessarius & immutabilis, ex consequenti scibilis, quoniam huiusmodi non contingit aliter se habere.

Respondetur, negatur maior, de causa remota, & conceditur de causa proxima, necessitas enim & contingencia effectus attenditur penes causam proximam, ut dicemus infra, & quoniam ens per accidens quarto modo, non est proximè & immediate à causa prima immutabili, ideo nihil concluditur, utrum autem si prima causa ageret de necessitate naturæ, cause secundæ de necessitate agerent, ex consequenti nullus esset effectus contingens, discurremus infra. Hæc de præsentibus quæ sita dicta sint.

Quæstio 10. Si secundum doctrinam Arist. potest saluari ens per accidens quarto modo, quod est effectus contingens per respectum ad causam suam proximam.

Circa hanc quæstionem, quod idem est ac si queratur, an omnes effectus sint necessarii, vel aliqui necessarii, & aliqui contingentes. Hanc quæstionem multi pertractant, sed non resolvunt. Tu igitur sic procedes, effectus contingens dupliciter considerari potest, primo quantum ad esse suum, quod est esse corruptibile & definibile, & sic patet ad sensum, quod effectus voluntarii & causarum inferiorum sunt contingentes, quoniam pro aliquo tempore habent esse, & pro aliquo non esse, & de hoc fuit dubium apud philosophum, & Cômment. ut patet in hoc libro 6. commen. 7. Secundo quantum ad causalitatem, & sensus huius est, verum dentur aliqua cause contingentes causantes, vel omnes necessario causent. Et in hoc sensu ita tota difficultas quæritur, & totum pendet ex modo causandi, quo prima causa causat, nam si ad mentem philosophi, prima causa causat, & agit libere, facile erit secundum philosophum saluare contingentiam effectus, per respectum ad causam proximam, si autem causat, & agit de necessitate naturæ, difficilius erit, ut igitur ad quæstionem resolutionem deveniamus, tria agenda sunt, primo, si est tenendum ad mentem philosophi, primam causam agere de necessitate naturæ, secundo supposito quod sic, utrum cum hoc sustinere possimus, non omnia evenire de necessitate, sed servari contingentiam effectus per respectum ad causam proximam, tertio soluetur ratio Scotistarum tenentium oppositum determinationis, quam facturi sumus.

Quantum ad primum adverte, quod Deum agere de necessitate naturæ, dupliciter potest intelligi. Primo, quia agit per naturam, ut præveniens intelligere & velle, ita quod non agit per intelligere & velle, sed per aliquod antecedens ad ista, sicut homo de necessitate naturæ digerit cibum, & ignis calefacit, & sol illuminat, & hoc modo nullus philosophus, qui verè de Deo cognitionem habuit, posuit Deum agere de necessitate naturæ, cognoverunt enim veri philosophi, quod omne agens aut agit à casu, aut propter finem, constat autem quod Deus non agit à casu, quia agens à casu est causa per accidens, Deus autem cum sit prima causa, non potest esse causa per accidens, est enim causa per accidens, posterior causa per se, igitur Deus est causa agens propter finem, omne autem huiusmodi agens, aut proficit sibi finem, aut proficitur sibi finis ab alio, Deo nõ potest proficitur finis ab alio, quoniam non esset primus agens simpliciter & nobilissimum, proficitur enim finem alteri, prius & nobi-

hinc est, utpote regulans & dirigens, igitur Deus proficitur sibi
 finem, ergo est agens per intellectum & voluntatem, non enim
 posset sibi finem proficere, nisi intelligeret, & veller finem,
 quicquid ergo Deus agit ad extra, agit per intellectum & vo-
 luntatem, ita quod productum est intellectum & volitum, &
 per consequens non agit de necessitate naturæ, prout natura
 præintelligitur actui intelligendi & volendi. Secundo potest
 intelligi, quod agat de necessitate naturæ, non prout natura a præ-
 intelligitur actui intelligendi & volendi, sed prout voluntas
 vult necessario quædam volita, sicut primum vult necessario
 bonitatem suam, & homo vult necessario felicitatem, ita quod
 hæc necessitas sit quædam habitudo necessaria voluntatis ad
 aliqua, ut volita, & sic Deum agere de necessitate naturæ, est
 ipsum volendo necessario bonitatem suam, vellet etiam neces-
 sario omnia reducibilia in bonitatem suam, secundum quod sunt
 reducibilia in ipsam, & velle necessario cuilibet communicare
 bonitatem suam, quantum vniuersum quodque est capax, ad quod
 velle sequitur de necessitate effectus, & in hoc sensu tenendum
 est philosophum putasse, Deum agere de necessitate naturæ,
 nam in 8. physic. probauit motum cæli esse æternum de neces-
 sitate, ergo motorem primum de necessitate mouere, & in 1.
 de generatione probauit generationem inferiorum de neces-
 sitate esse æternam, & hanc causari ex motu diurno & motu er-
 raticorum, ergo primum de necessitate producit inferiora, me-
 diante motu, & 12. metaphy. vbi idem ex proposito pertracta-
 bitur, probat philosophus, in motore æterno non esse potentiam,
 sed actum, & facit hanc consequentiam, si in eius substantia est
 potentia, continget non esse motum, quod enim est in potentia
 potest non esse, & huius quidam consequentiæ, ita reputat salu-
 tatem consequentis esse manifestam, quod non immoratur circa
 eam, reputauit ergo motum cæli, & productionem rerum esse
 necessariam & sempiternam, ex consequenti primum de ne-
 cessitate naturæ mouere & producere. Quod autem Cōment-
 eiusdem fuerit sententiæ, manifestabimus in libro 12.

Quantum ad secundum aduerte, quod cum Deum agere de
 necessitate naturæ secundo modo, idem sit, quod voluntatem
 suam habere necessariam habitudinē ad ea quæ vult facere, ita
 quod non potest non velle ea facere, hoc potest habere dupli-
 cem sensum, primo sic. Deus vult necessario hoc scilicet cælum
 producere, & cælum necessario habere, id est, quod habeat esse

necessarium & immutabile, & quod cælum habeat causalitatem
 id est, virtutē causandi necessariam, quo ad ea quæ potest causa-
 re, & sicut dico de cælo, intellige de quocunque alio, quod Deus
 vult producere. Secundo sic. Deus vult necessario aliqua produ-
 cere, quæ habeant esse necessarium, & virtutē causandi necessariam,
 & vult necessario aliqua producere, quæ tamē habeant esse non
 necessarium, nec virtutē causandi necessariam, sed contingentem,
 iuxta primum sensum, si Deus agit de necessitate naturæ, omnia
 de necessitate eueniunt, nec potest saluari cōtingentia effectus
 per respectum ad causam propriam & proximam, quia iuxta primum
 sensum, tam causa prima, quæ omnes causas secunde habet cau-
 salitatem necessariam, cum qua non stat cōtingentia effectus, ideo
 enim effectus habet cōtingentiam, quia causa cōtingenter causat,
 si ergo omnes causas de necessitate causant, omnes effectus de
 necessitate eueniunt, iuxta secundum sensum potest saluari, quod
 non de necessitate omnia eueniunt, quia licet Deus quicquid
 vult producere, necessario velit producere, non tamē vult quic-
 quid producit habere necessariam causalitatem super effectum suum,
 sed aliquod necessarium, & aliquod contingentem, ex consequenti
 stat, quod cum voluntate primæ causæ volente necessario con-
 tingentiam causæ proximæ in causando, quod causa cōtingenter
 causat, & quod effectus cōtingenter causatur, & non necessario, &
 iuxta hunc secundum sensum, tenendum est, quod philosophus opinatus
 fuerit Deum agere de necessitate naturæ, & tamē non omnia eue-
 nire de necessitate, & quidē quod tenet Deum agere de neces-
 sitate naturæ, iam probauimus, quod autem arbitratus sit, non
 omnia de necessitate euenire, patet hic in lib. 6. in tex. 7.

Quantum ad tertium aduerte, quod Scotiste tenent hanc con-
 sequentiā, esse simpliciter veram, si quicquid agit Deus agit de
 necessitate, omnia eueniunt de necessitate, unde si Arist. admit-
 tit antecedens, de necessitate admittit consequens, ex consequenti
 sibi contradicit, in eo quod vult saluare contingentiam in causa-
 tis stante antecedente. Ratio autem eorū est hæc, si prima causa
 necessario causata, necessario mouet a, scilicet ad causandum, si a
 est necessario motum ad causandum, necessario mouet b, simi-
 liter b, necessario motum, necessario mouet c, & sic vsque ad
 proximam causam, quoniam posterior nunquam mouet, nisi
 mota à priori. Si ergo prima causa necessario causat & mouet,
 sequitur quod omnes alie necessitate causabunt & mouebunt, ex
 consequenti omnia necessario euenient à proximis suis causis.

SEXTI METAPHY.

Respondetur, & dico ex determinatione facta quod prima consequentia potest dupliciter intelligi, primo sic, si prima causa necessario causat a, necessario mouet a, scilicet ad causandum necessario, & sic nego eam, quia non est necesse, quod eo modo quo prima causa causat a, moueat a, ad causandum, quoniam causalitas necessario impressa à prima causa in a, recipit vt & modificatur in a, secundum quod euenit naturæ ipsius a. secundo sic, si prima causa &c. necessario mouet a, ad causandum necessario vel contingenter, & sic concedam eam, quoniam si natura ipsius a est talis, quod ei competat causalitas necessaria, prima causa necessario mouebit a, ad causandum necessario, si autem competit ei mouere contingenter, prima causa necessario mouebit ipsam ad causandum contingenter, & sic nihil concluditur, nisi quod omnia eueniunt à proximis causis, necessario vel contingenter. Et aduerte, quod causa erroris in Scotistis fuit, quia opinati sunt, omnem causam secundam causare, eo modo quo causatur & mouetur à prima, quod non est verum, quia vt diximus causalitas actiua, non recipitur in secunda, nisi vt competit naturæ suæ. Patet ergo, quomodo hæc duo possumus sustinere, Deum agere de necessitate naturæ, & tamen non omnia eueniunt de necessitate. Hæc de presenti questione dicta sunt.

Quæstio II. Si effectus contingens habet contingentiam à causa prima, vel à causa proxima.

In hæc q. sic procedemus, primo ponetur distinctio de effectu contingente, secundo de effectu contingente in primo sensu, probabitur quod habet contingentiam à causa proxima, tertio de effectu contingente in secundo sensu pertractabitur opinio b. Tho. & Scoti, & determinabimus secundum mentem b. Tho. & soluemus rationes Scoti.

Quantum ad primum aduerte, quod effectus potest dici contingens, dupliciter, primo quia casualis siue fortuitus, & est ille qui producit à causa præter intentionem, & vt in paucioribus, & proprie dicitur ens per accidens, de quo supra locuti sumus ad mentem philosophi, quod de eo non habetur scientia, secundo dicitur contingens, non solum quia habet esse defectibile, sed quia est à causa, quæ potest causare & non causare, & vt sic opponitur effectui necessario, qui est à causa, quæ non potest non causare, in quo sensu dicemus, productionem rosæ esse contingentem & motum solis esse necessarium.

QVAESTIO XI.

Quantum ad secundum, pono hanc conclusionem, effectus contingens in primo sensu non habet contingentiam à prima causa. Hæc est de mente philosophi in hoc libro 6. in tex. 5. ubi inuestigans principium & causam entis per accidens, id est effectus fortuiti, dicit quod causa necessaria, id est quæ non contingit aliter se habere, & quæ est vt semper, id est infallibilis, non est principium & causa entis per accidens, sed quæ secundum magis, id est quæ vt in pluribus producit effectum, & aliquando deficit, sed secundum doctrinam Arist. prima causa vt docuimus in q. precedenti, est causa necessaria de necessitate agens, & infallibilis, ergo ab ea effectus contingens in primo sensu non habet contingentiam. Præterea, effectus contingens in primo sensu habet contingentiam à causa agente præter intentionem, sed vt videbimus in lib. 12. prima causa, nihil potest agere præter intentionem, ergo &c. Patet ergo quod contingentia id est, causalitas effectus contingens in primo sensu, reducenda est in causam proximam potentem deficere, sicut monstrum reducitur in deficientem virtutem formatiuam generantis.

Quantum ad tertium aduerte, quod ibi non habemus inuestigare quid in hoc sentiant b. Thom. & Scotus in quantum theologi, sed in quantum innituntur doctrinæ & fundamentis Arist. puta si b. Tho. & Scotus teneant Arist. sensisse Deum esse causam necessariam, & necessario agentem quæcumque agit & necessario mouentem quæcumque mouet, vtrum effectus contingens sit contingens propter primam causam, an propter causam proximam. Ad huius igitur resolutionem aduerte, quod mens q. Tho. fuit, vt patet in 1. par. q. 14. art. 13. in responsione ad primum, quod licet prima causa sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, & exemplificat de germinatione plantæ, quæ est contingens, propter causam proximam contingentem. licet motus solis qui est causa prima, sit necessarius, causa autem proxima est radix plantæ. Similiter quæ sunt scita à Deo, sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima sit necessaria, & huius quidem ratio est, quoniam naturaliter effectus assimilatur cause suæ propriæ, quæ est eius causa proxima, consequens ergo est, vt effectus contingens reducat in causam proximam contingentem, & effectus necessarius in causam proximam necessariam. Mens autem Scoti fuit, quod secundum doctrinam Arist. necessitas & contingentia effectus, principia

sicer reducendæ sicut in causam primam. Arbitratur enim, ut patet in 2. sec. dist. 2. q. 2. quod si causa prima necessario agit & mouet causas secundas, omnem effectum esse necessarium, & causam secundam non posse dare contingentiam effectui sui, si autem causa prima cōtingenter siue libere agit mouet causas secundas, seruari poterit contingentia in effectu causæ secundæ, ita quod necessitas & contingentia rerum pendent ex modo agendi causæ primæ. Vnde tenet Arist. in arduenter tenet posuisse contradictoria, scilicet quod prima causa agat & moueat de necessitate naturæ, ad quod sequitur quod omnia eueniant de necessitate, & tamen in 6. metaphysic. tenet quod non omnia eueniant de necessitate. Hanc autem imaginationem suam, conatur Scotus probari duplici medio.

Primo, causa quæ mouet in quantum mouetur, si necessario mouetur, necessario mouet, sed omnis causa secunda mouet & agit in quantum mouetur à prima, ergo si causa prima necessario mouet secundam, ipsa quoque necessario mouet & agit, ex consequenti nulla remanet causa cōtingens, nec effectus contingens.

Respondetur, iam diximus in q. præcedenti, hoc argumentum non concludere, & de nouo formaliter respondendo, negatur maior, quoniam licet causa secunda non moueat nisi in quantum mouetur à prima, non tamē est necesse quod in se recipiat virtutem motiua eo modo quo est in prima, sed ut proportionatur naturæ suæ, sicut aer recipit lumen à sole, & luna similiter recipit virtutē illuminatiuam à sole, non tamen eo modo quo est in sole, sed modo competenti naturæ lunari. Vni quodque enim recipitur in aliquo, non per modum quo est in dante, sed per modum conuenientem recipienti.

Secundo, causa prior, prius naturaliter & simpliciter respicit effectum quā causa posterior, ergo in illo priori causa prima si de necessitate agit & mouet, dabit effectui necessitatē, ergo in secundo instanti nature, causa proxima non potest eidē effectui dare contingentiam, necessitas ergo & contingentia in effectu causæ proximæ pendent à causa prima.

Respondetur, si antecedēs sic intelligatur, causa prior prius naturaliter &c. id est pro aliquo instanti respicit effectum, pro quo nondū attingitur à causa secunda, nego ipsum, quoniam simul & pro eodem instanti ab utraque attingitur. Si autem sic intelligatur, causa prior prius &c. id est à se & propria virtute, causa autē secunda posterior, id est virtute sibi impressa à priori, ita

si, ita quod prius & posterius non respiciunt durationis ordinem, sed ordinē causalitatis, sic conceditur, sed nego utranque consequentiam, quoniam ex quo effectus simul attingitur à causa prima & secunda, ab utraque simul habet contingentiam. Posito enim quod causa prima agat de necessitate quæcumque immediate agit, tamen non coagit causæ secundo, nisi modo competenti causæ secundæ. Hæc de presenti quaesito dicta sint.

Quæstio 12. Si effectus contingens, dum est, est contingens.

In ista q. aduerte quod non est difficultas de contingenti, antequam producat, quia potest causari & non causari à causa sua impedibili, nec etiam postquam est productum, dubitatur, quin sit contingens pro tempore futuro, potest enim deficere ab esse, cum habeat esse transmutabile. Difficultas ergo solum est, pro isto instanti, pro quo est actu, utrum possit esse & non esse, videretur enim pro tunc esse necessarium, quoniam res dum est, necesse est esse.

Pro resolutione huius, pono duas conclusiones, deinde soluiam quoddam dubium.

Prima conclusio, effectus cōtingens qui ex natura sua est cōtingens, puta quia ex natura sua & intrinsece potest esse & non esse, etiam dum est, est contingens, probatur. Quod ex natura sua est tale, & à principio sibi intrinseco, puta ex materia subiecta priuationi, vel ex compositione contrariorum, ad quodcumque comparetur, & ad quamcumque differentiam temporis, semper est tale, prædicata enim per se inseparabilia sunt, sed effectus contingens, qui ex natura sua est contingens, est tale, quod scilicet ex se potest esse & non esse. Hæc est enim definitio contingentis, ut patet in libro nono; ergo ad quodcumque, & quamcumque differentiam temporis comparetur, semper est tale, ergo dum est, adhuc contingens est. Præterea, necessitas & contingentia sunt generales modis entis, quorum alterum necesse est de vnoquoque ex sui natura verificari, nam cum ens sit, cui debetur esse, vel ex natura sua non potest non esse, & sic est ens necessarium, vel potest esse & non esse, & sic est contingens, sed de contingenti dum est, non potest ex natura sui verificari necessitas, quoniam contingens ex natura sui potest esse & non esse, ergo &c. Dico autem ex natura sui, quoniam licet natura contingentis nunquam transmutetur in necessariam absolute, tamen non inconuenit quod fiat neces-

faria ex aliqua conditione & per comparationem ad alterum quæ tamen in seq. semper remanet contingens, & hoc declaratur in conclusione sequenti.

Secunda conclusio, effectus contingens, licet ex natura semper sit contingens, siue sit, siue non sit, tamen non inconuenit, pro tali mensura temporis, pro qua est, sit necesse esse. Pro cuius euidencia aduerte, quod res contingens potest dupliciter considerari, primo secundum se & absolute, id est quantum non est determinata ad aliquam differentiam tēporis, secundo in quantum iam est determinata ad tale tempus, puta in quantum iam exiit in tali tēpore præterito, vel in quantum exiit in tēpore præteriti. Et quidem si primo modo consideretur, semper est contingens, quoniam & in se, & per respectum ad causam suam potest esse & non esse. Si autem secundo modo, dico quod est contingens & necessaria, contingens quidem quo ad naturam suam, necessaria autem propter respectum præsentialitatis, & sic probatur, sicut se habet res contingens præterita ad tempus præteritum, sic res contingens præterita ad tempus præteritum, sed illa non potest non fuisse, ex respectu præteritionis, ergo ista non potest non esse, ex respectu præsentialitatis, ergo pro tali mensura temporis, pro qua est, necesse est esse. Præterea si res contingens, quæ ut præterita est, potest non esse, ponatur in esse, ergo simul erit & non erit, quod implicat: erit ergo & contingens & necessaria. Contingens quidem ex se, necessaria autem per respectum ad alterum, nec id est inconueniens, quoniam licet contingens absolute, & necessarium absolute repugnent eidem, non tamen necessarium ex conditione, & contingens absolute.

Sed contra determinationem hanc, videtur esse dubium, quoniam si contingens quando est, est contingens: ergo quando est, potest esse & non esse, ex diffinitione contingentis, sed hoc est falsum, quoniam quando est, non potest esse quin sit, aliter contradictoria verificaretur de eodem, ergo necessarium est, ergo non est contingens, propterea dixit Aristoteles in 1. peribet. res dum est, necesse est esse.

Respondetur, non inconuenit, quod aliquid verificetur de re, cōsiderata sub ratione, quod tamē non verificatur, si cōsideratur sub alia ratione. v. x. si cōsideratur lapis, ut habet esse intellectu per speciem intelligibilem, est immaterialis, si autē consideratur, ut habet esse ad extra, est materialis, & non immaterialis, sic in

proposito si cōtingens quādo est, consideretur ut cōtingens, id est ratione qua cōtingens, sic potest esse, & non esse, quoniam hæc est natura sua, quæ immutabiliter manet, si autē consideretur ut existens, vel ut præterita, sic non potest non esse, & ut sic est necesse esse, ex hoc tamen non desinit esse contingens ex sui natura, sicut licet lapis ut intellectus sit immaterialis, propter hoc tamen non desinit ex natura sua esse materialis. Hæc de præteriti quæsitio dicta sint.

Quæstio 13. Si ens verum excluditur à metaphysico.

Et quod ut verum ens, prætermittendum, Text. 8. ubi inquit Commen. ens quod est veridicans non habet causam, nisi animam, & ideo utrunque, scilicet ens per accidens, & ens veridicans numerentur in genere entis diminuti, & ideo perferendum est, scilicet à metaphysico, de ente perfecto, quod est ens extra animam.

In hac quæstione procedemus. Primo assignabimus tres modos veritatis, Secundo, relictis duobus modis, prosequemur tertium de quo proprie philosophus intendit, quando dicit, ens verum prætermittendum. Tertio pro decisione quæsitii, ponemus tres conclusiones responsivas. Quarto soluemus quedam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod iuxta doctrinam Heruei in 3. quolibet. q. 1. veritas dicitur de tribus, primo de rei entitate, sicut dicimus hoc est de veritate humana, quod ad entitatem & quidditatem hominis pertinet, ut anima intellectiua est de veritate hominis, secundo de actu cognoscendi complexo, siue de voce significatiua complexa, tertio de obiecto intellectus entitatiui, signato per complexum infinitum, sicut cum dicimus, hominem esse risibilem, est verum, veritas quidē dicta de vnitatem rei, est veritas materialiter siue fundamentaliter, non autem formaliter, quod sic patet, si esset veritas formaliter, ergo voces incomplexæ, significantes rerum entitates, significarent verū vel falsum, quod est cōtra philosophum in 6. meta. tex. 8. ubi inquit, circa vero simplicia, i. terminos simplices, non est veritas & in 1. de anima tex. 11. inquit, indiuisibilem intelligentiam in his est circa quæ non est verum neque falsum, in quibus autē verū & falsum, cōpositio quædam est, veritas autē secundo modo dicitur veritas representatiue, vel significatiue, voces enim complexæ significant conceptus complexus, conceptus autem cōple-

xi significat rem sic esse vel nō sic esse, vnde dicitur, propositio siue in mente, siue in voce significare verū vel falsum, veritas 3. modo dicitur veritas formaliter, quod sic patet, quod correspondet vero representatiue, est verum formaliter, sicut quod correspondet sano representatiue, puta vrinæ est sanū formaliter, sed obiectum intellectus enunciatiuū, puta hominē esse risibilem, in sui natura correspondet huic propositioni quā diximus esse veram representatiue, homo est risibilis, ergo in obiecto intellectus enunciatiuū stat formaliter veritas.

Quantū ad secundū relicto primo, & secundo modo, inuestigandum est de 3. de quo proprie intendit philosophus hic in lib. 6. tex. 8. cū dicit, quod autē vt verū ens, & nō ens vt falsum: quoniā secundū compositionē & diuisionem &c. ex quibus inuenitur, q. non intendit, nisi de veritate signata per enunciationē, quam diximus esse veritatem formaliter. De hac igitur inuestigandum est, quid sit, & quoniā cōmuniter tenetur, q. est ens rationis, ideo prius perscrutandū esset, quid sit ens rationis, vt distinguitur contra ens reale, verum quia de hoc satis locuti sumus in tractatu de transcendentibus, ideo resolue te illic.

Postquam cognoueris quid sit propriūissimum ens rationis, quod philosophus hic in 6. appellat ens verum, & distinguit cōtra ens reale, erit tibi via ad sciendum, quid sit veritas formaliter. Tu igitur aduerte, quod de ea sunt duæ opinionēs, prima dicit, q. est conformitas siue adæquatio, quæ est relatio realis, inter actum intelligendi cōplexum & rem intellectam, secundum q. est obiectū intellectus enunciatiuū, puta adæquatio quæ est inter hoc enūciabile ex parte rei, hominem esse animal, & cōplexum actum intelligendi, quo intellectus cōponens intelligit sic esse, sicut intelligit, dicit veritas formaliter, & hęc opinionem recitat Herueus in 3. quoli. q. 1. art. 2. in principi. & multipliciter improbat, verū quia hęc opinio contradicit philosopho in 6. metaph. tex. 8. & Cōmenta. q. ens verum distinguitur contra ens reale, relatio autem realis non distinguitur contra ens reale, ideo relinquens hanc opinionem, quæ nō potest fortius improbari, quā per dictum philosophi, secunda opinio dicit, q. est relatio rationis, & in hoc conueniunt b. Tho. & Herueus, sed dissentiunt in hoc, q. b. tho. in 6. metaph. exponēs text. 8. vult, q. huiusmodi veritas consistat in ordine, siue in cōparatione duorū conceptorum ab intellectu, siue illa duo concepta sint idem secundū rem, siue diuersa, nam intellectus cōceptio-

nem formans, vtitur aliquando vno vt duobus, vt cum dicitur homo est homo, ex quo patet, inquit b. Tho. q. talis cōpositio est solū in intellectu, ideo illud quod est ita ens, sicut in tali cōparatione consistens, est alterum ab his, quæ proprie sunt entia extra animam, ergo est mere ens rationis. Herueus autem in 3. quo lib. q. 1. arti. 2. tenet, quod huiusmodi veritas est conformitas rei, quæ est ad extra ad seipsam, vt est in intellectu enunciatiuo secundum esse cognitum, & suam quidem opinionem prius declaro, deinde probō huiusmodi veritatem esse mere ens rationis.

Tu igitur nota entitatē rei dupliciter considerari posse, primo vt est habens esse extra intellectum, & in rerū natura, secundo vt obicitur intellectui per speciem intelligibilem. Quando igitur intellectus per speciem intelligibilem representatē prædicata rei obiectæ, apprehendit aliquid ex suis prædicatis & format conceptū de natura obiectæ, deinde enunciat talem conceptum vel prædicatum de re, puta dicendo, homo est animal, inter re ad extra & ipsammet vt est sic apprehensa vel concepta, consurgit quedam conformitas, quæ representatur per hanc copulam est, per oppositum autem consurgit difformitas, si aliter apprehendatur, vel concipiatur, quam sit conueniens rei. Hanc igitur conformitatem Herueus vocat veritatem formaliter. Difformitatem vero, falsitatem. Quæ quidem sunt respectus non reales, sed rationis, consequentes operationem secundam intellectus, nam remoto intellectu res non conciperetur conformiter, nec difformiter, ex consequenti tales respectus non consurgerent. Præterea eiusdem ad seipsam est respectus rationis, cum non sint extrema realia realiter distincta, sed hęc conformitas est respectus eiusdem ad seipsam, est enim eiusdem rei, vt habet esse ad extra, ad seipsam, vt est apprehensa ab intellectu, ergo &c.

Posita declaratione sic probō propositū, quod distinguitur contra ens reale, est ens rationis, quoniam non datur medium inter ens reale & ens rationis, sed ens verum quod consistit in cōpositione, & diuisione, & de quo intendit philosophus, distinguitur contra ens reale, ex 6. metaph. text. 8. ergo &c. Tunc vltra omne ens rationis vel est respectus, vel est negotio, vt declarauimus in tractatu de transcendentibus, constat autem ens verum siue veritatē formaliter non esse negationem, ergo est respectus, & ab omnibus cōmuniter conceditur, q. est



SEXTI METAPHY.

conformitas, siue adæquatio, siue conuenientia iuxta famofam definitionem, qua dicitur. Veritas est adæquatio rei & intellectus: ergo veritas for maliter est conformitas, quæ est respectus rationis inter rem, vt habet esse ad extra, & ipsamet, vt habet esse cognitum in intellectu enunciatiuo.

Et aduerte quod Her. non loquitur de veritate vniuersaliter, sed solum de veritate complexa, qua significatur per propositionem, & de qua sola loquitur philosophus in 1. perih. & in 6. metaph. & id dico, quoniam non omnibus modis quibus dicitur, est ens rationis, sed abstrahit ab ente reali, & ab ente rationis, vt videre poteris in tra. de transcendentibus in capite de vero, vbi pertractauimus mentem b. Thomæ.

Quantum ad tertium ponuntur tres conclusiones responsiue præfenti quæfiro.

Prima, veritas fundamentalis non excluditur à metaphysic. probatur, vt declaratum est in 1. lib. metaph. considerat omniū rerum quidditates in vniuersali: ergo omnium rerum veritates fundamentales: consequentia patet, quoniam vt prædiximus, ipsa veritas fundamentalis est rei quidditas siue entitas. Præterea verum fundamentale est conuertibile cum ente reali, cum vtrumq; sit transcendens, nec addit super ens reale, nisi ordinem ad intellectum. Dicitur enim verum id, quod ex sui natura est manifestatiuū sui, cuiusque intellectui potenti cognoscere ipsum, sed ens reale consideratur à metaph. vt probatum est in 1. lib. in q. de subiecto huius scientiæ, ergo &c.

Secunda, veritas representatiue non concluditur à metaph. probatur. Talis veritas dicitur de actu intelligendi complexo, quæ est secunda operatio intellectus, & de propositione, sed tam actus intelligendi, quam propositio formata, sunt entia realia, cum sint effectiue ab intellectu, & subiectiue in eodem. Omne autem ens reale in quantum ens reale, est de consideratione metaph. quoniam continetur sub obiecto suo. Tu tamen aduerte, quo ad rationes proprias considerari debet in lib. de anima, quoniam eiusdem est considerare potentiam animæ, & propriam eius operationem.

Tertia, veritas formaliter, quæ proprie est in intellectu enunciatiuo excluditur à metaph. probatur. Talis veritas quæ philosophus appellat ens verum, & Commen. ens veridicans, est ens diminutum & contractum ad ens logicum, quod est ens rationis, quod proprie conuenit secundis intentionibus, conside-

QVAESTIO XIII. 140

rare autem ens rationis. & secundas intentiones, ad logicum, & nõ ad metaph. spectat, cum metaph. sit dignissima & realissima scientia, ergo &c.

Quantum ad quartum aduerte quod argumenta quæ communiter fiunt contra hanc determinationem, procedunt de veritate fundamētali, sicut est illud, quod est commune cuilibet enti, est de cōsideratione metaph. sed esse verum, est commune cuilibet enti, quoniā omne ens est intelligibile, ergo &c. Præterea, verum conuertitur cum ente: ergo si verum excluditur à metaph. & ens, quod est falsum. Præterea metaph. est scientia veritatis, ex 1. lib. ergo est consideratiua de veritate. Præterea, hæc scientia versatur circa prima principia & primas causas, quas necesse est esse verissimas, ergo &c. Patet autē, quod hæc & his similia, concludunt de veritate fundamētali, nam veritas complexa quæ sola excluditur à metaph. non est commune cuilibet enti, quædam enim intelligitur simplici intelligentia, nec conuertitur cum ente, cum sit ens rationis, & metaphysica non dicitur scientia veritatis, nisi quia est speculatiua, & versatur circa maxime intelligibilia, quæ vt sic dicuntur verissima fundamētaliter. Hæc de præfenti quæfiro dicta sunt.

Expliciunt q. Fra. Chryf. Iauelli Canap. ordin. præd. philosophiæ & sacre Theologiæ professoris, super lib. 6. metaph.

Incipiunt quæstiones eiusdem super librum 7.

In hoc libr. 7. pertractanda sunt dubia infra scripta, & quantum poterimus innitemur textui.

- 1 Si inherencia est de essentia accidentis.
- 2 Si accidentia in abstracto sicut entia uel non.
- 3 Si substantia est prior tempore accidente & diffinitione & natura & cognitione.
- 4 Si forma est prior & magis ens, quam materia, & quam compositum.
- 5 Si materia est ens, quod est substantia, ita tamen quod est ens, quod est pura potentia.

SEPTIMI METAPHY.

- 6 Si sola prædicata essentialia constituunt quodquid est substantiæ cõpositæ, ita quòd excludatur omnia prædicata accidentalìa, tam propria, quàm communiã.
- 7 Si dicendo nasus finus committitur nugatio.
- 8 Si quodquid est, est idem cum eo cuius est.
- 9 Si materia est pars quidditatis substantiæ cõpositæ.
- 10 Si genita ex putrefactione, possunt dici genita à casu.
- 11 Si omnia producta cum semine, possunt produci sine semine, & si producta sine semine, sunt eiusdẽ speciei cum productis ex semine.
- 12 Si unumquodque generatur à suo simili.
- 13 Si forma generanda præexistit in materia, uel aliqua pars eius, ut cooperetur agenti extrinseco ad productionem eius.
- 14 Si agens naturale solum disponit materiã, & agens separatum producit formam, uel si ad utrumque sufficit agens naturale.
- 15 Si omnis diffinitio habet partes, quæ correspondeat partibus diffiniti.
- 16 Si singulare est diffinibile, & per se intelligibile.
- 17 Si solis substantijs separatis, quodquid est identificatur ei, cuius est.
- 18 Si ex genere & differentia, fit unum per se.
- 19 Si in animali plurificantur formæ secundum partes organicas.
- 20 Si totum distinguitur à partibus simul sumptis.

QVAESTIO PRIMA.

Si inhærentia est de sententia accidentis.

Alia vero dicuntur entia, eo quòd totaliter entis. Text. 2.



In hac q. sic procedemus. Primo preponentur quedam distinctiones. Secundo tractabuntur tres opiniones famosæ, & rationabiliter. Tertio sustentabitur, & secundum illam determinabimus quesitum.

Quantum ad primum aduerte tres distinctiones. Prima est. Cum inhærentia sit formaliter respectus, hic respectus est duplex scilicet actualis & aptitudinalis. Actualis est, qui confurgit ex eo quod accidens actu receptus est in subiecto, & durat quãdiu remanet accidens in subiecto. Aptitudinalis est qui ex natura accidentis cõuenit accidenti,posito per possibile, quod nõ esset actu in subiecto, nam si daretur albedo separata, adhuc ex natura sua respicit subiectũ, & in hoc distinguitur aptitudinalis ab actuali, quoniam aptitudinalis semper verificatur de accidenti, siue actu in sit subiecto, siue non, nam actu esse, supponit aptitudinem. Actualis autẽ non verificatur, nisi accidens actu in sit.

Secunda, est. Aliquid potest esse de essentia alicuius dupliciter, primo quia est idem essentialiter cum eo, non tamen est de suo conceptu quidditatio, sicut verum, & bonũ, & alia transcendencia sunt idem essentialiter cum ente, sed non sunt de ratione formali ipsius, cum se habeant ad ipsum, sicut proprie passionis, vt declarauimus in 4. lib. 2. quia est de cõceptu quidditatio, non sicut additum, sed quod est idem re cum eo, sicut animal est de essentia hominis, hoc secundo sensu. Dico non sicut additum vt excludamus diffinitiones per additamentum nam licet subiectum sit de conceptu quidditatio accidentis, tamen non potest dici hoc, secundo sensu, de essentia accidentis, quia non est idem re cum accidente.

Tertia est, aliud est pertractare hoc quesitum ad mentem philosophi, & aliud secundum veritatem, nam secundum philosophum pertractandum est, vt potest conuinci ex sensatis, &

non aliter secundum veritatem autem, ut habemus ex fide, cui non subest falsum, & quoniam ex sensatis non potest convinci, quod possit dari accidens sine actuali inharrentia, ideo vel utraque inharrentia est de essentia accidentis in primo vel in secundo sensu, secundum philosophum, vel neutra. Quoniam autem ex fide tenemus actualiter esse separabilem, aptitudinalem autem inseparabilem, ideo constat secundum veritatem, actualiter non esse de essentia accidentis, nec primo nec secundo modo, de aptitudinali autem inuestigandum est.

Quantum ad secundum adverte quod circa hoc quaesitum sunt tres opiniones. Prima est Ant. And. in libr. 7. q. 1. Iste tenet duas conclusiones, prima est, neutra inharrentia est de essentia accidentis in secundo sensu, & probat tripliciter, primo, respectus non est de essentia in 1. sensu absoluti, inharrentia est respectus, & accidens est quid absolutum, puta quantitas, & qualitas, aliter nullum accidens diceret perfectionem formaliter, ergo &c. 2. respectus non est de ratione formali sui fundamenti, quoniam est posterior eo, inharrentia est respectus, & fundatur super naturam accidentis, ergo &c. Tertio, quia cum inharrentia sit quid commune quantitati & qualitati, si est de ratione sua formali, ergo est genus ad quantitatem & qualitatem, ex consequenti quantitas & qualitas, non essent generalissima.

Et adverte quod Paulus Soncinas concordat in hoc cum Ant. And. ut videbis in 7. libr. q. 1. & est sua conclusio secunda, quam dupliciter probat. Primo, impossibile est aliquid concipi, absque his quae ingrediuntur formalem conceptum eius, sed accidens potest concipi absque inharrentia, ergo &c. Maior patet minor dupliciter probatur. Primo, quantitas est accidens, & tamen consideratur a mathematico per abstractionem ab omni subiecto, ergo &c. Secundo, quia ante demonstrationem habetur conceptus passionis, nam definitio passionis est mediunt saltem in aliqua demonstratione potissima, ut dicitur in 2. poster. sed tunc non habetur conceptus inharrentiae passionis ad subiectum, quia hoc demonstratur, ergo &c.

Secundo, si inharrentia est de formali ratione albedinis & culuslibet alterius accidentis: ergo omne accidens est formaliter respectivi. Sed hoc aperte est falsum, ergo &c. consequentia patet: quia illud est formaliter respectivum, quod in sua ratione formali includit respectum.

Verum quia intendo determinare oppositum, saltem quo ad inharrentiam aptitudinalem, ideo volo solvere rationes Ant. And. & Pauli Soncinatis.

Ad primam Ant. And. dico, quod absolutum est duplex. Quoddam est absolutum omnino, ita quod non dicit respectum ad terminum, nec ad subiectum. Quoddam est non omnino absolutum, quoniam & si non respicit terminum, respicit tamen subiectum in quo est, vel est aptum esse. Ad argumentum ergo, nego maiorem de absoluto secundo modo dicto, & quoniam accidens est absolutum secundo modo: ideo nihil concludit, & cum dicit quod aliter nullum accidens diceret perfectionem formaliter, negatur, quoniam ad hoc quod aliquid dicat perfectionem formaliter, sufficit esse absolute primo vel secundo modo.

Ad secundam dico, quod maior non habet veritatem, nisi de respectu ad terminum, inharrentia autem dicit respectum ad subiectum, & nego huiusmodi respectum esse posteriorem naturae accidentis, quoniam & realiter est idem cum accidente, & est de ratione formali eiusdem.

Ad tertiam, nego consequentiam, quoniam ad hoc quod aliquid sit genus, non sufficit quod sit commune his, de quibus dicitur & praedicatur in quid & univoce, sed quod dicat determinatam naturam, puta substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, &c. Constat autem quod inharrentia in communi non dicit determinatam naturam, quoniam inharrentia quantitatis est quantitas, & qualitatis est qualitas, &c. unde sicut absolutum quod praedicatur de substantia & quantitate & qualitate, non est genus ad ea, cum sint generalissima, sic nec inharrentia.

Ad primam rationem Pauli Sone. nego minorem si concipiatur ut accidens. Ad primam probationem dico, quod mathematicus non abstrahit nisi a subiecto sensibili, quod dicitur materia sensibilis, non autem a subiecto, siue materia intelligibili, ut patet in 8. metaphy. in tex. 15. & hoc sufficit mathematico, considerare enim accidens, ut respicit materiam sensibilem siue naturalem, ad physicum spectat. Ad secundam proba. nego quod ante totalem & resolutam demonstrationem habeatur conceptus passionis, ut est accidens, ad probationem nego solam definitionem passionis esse medium in demonstratione aliqua potissima, nam secundum doctrinam b. Tho. in 2. poster. necesse est demonstrare definitionem passionis per definitionem subiecti, unde ultimate inharrentia passionis demonstratur per

diffinitionem subiecti, & non per diffinitionem passionis, quare non est necesse eam simpliciter precognoscere ante demonstrationem.

Ad secundam, concessa consequentia, nego falsitatem consequentis, quoniam licet accidens non includat respectum ad ter minus, includit tamen respectum ad subiectum.

Secunda opinio est Commentariorum, & precipue Ioan. Baconi in 1. sen. di. 18. q. art. 3. Isti tenent, quod ad mentem philosophi utraque aptitudo est idem cum accidente, & est de sua ratione formalis, ita quod est formalis differentia, qua distinguitur accidens à substantia. Et quidē quod sic ut differentia formalis, sic arguitur, philosophus in predicamentis distinguit essentialiter & formaliter substantiam ab accidente, per non esse in subiecto, & esse in subiecto, ergo sicut est de ratione formali substantia, non esse in subiecto, sic est de ratione formali accidentis, esse in subiecto, quod aequipollet cum inherere subiecto. Quod autē sit de essentia primo modo, arguitur sic, si hæc inherencia est aliud ad accidente, aut est substantia aut accidēs, non substantia, quia vanū est dicere, accidēs inherere substantia per substantiam, si est accidens, cum accidenti sit inherere, ergo illa inherencia inheret subiecto, & tunc quæro de illa, vel est idem cum accidente, vel aliud, si idem, ergo eadem ratio, prima inherencia erat idē, si aliud, quæro ut prius, & sic vel ibitur in infinitū, vel confitendum est, quod est idem cum accidente, secūdo arguitur sic, per inherenciam formaliter accidens est ens, & non est alia ratio quare sit ens, sed per nullū extrinsecū ab essentia rei res est ens formaliter, licet enim aliquid possit esse tale effectiue per extrinsecū, non tamē formaliter, ergo &c. Maior quidē est philosophi in hoc 7. in tex. 2. alia quidē dicitur entia, eo quod totaliter entis, id est, quia respiciunt substantiam ut subiectum.

Et quoniam intendo determinare quæritum, secundum tertiam opinionem, quæ ut videbis quo ad inherenciam aptitudinalem non discordat ab ista secunda, ideo volo sustinere supradictas rationes adductas per secundam opinionem. Tu igitur aduerte quod rationi fundatæ super philosophum in predicamentis, quam arguitur, quod inherencia sit de ratione formali accidentis, nec Anto. Andr. nec Paulus Sonci. respondent, duas autē probantes quod sit idem cum accidente conātur soluere.

Ad primum dicit Ant. And. quod inherencia illa differēs ab accidente utique inheret, non quidē alia inherencia, sed eadem

sibi realiter, quia est idem cum fundamento suo, quod est prima inherencia, & sic non est processum in infinitum, sed hæc solutio non valet, quia cum utraque inherencia sit relatio, oportebit eum cōcedere, quod relatio fundatur in relatione, quod est cōtra philosophum in lib. 7. in ca. de ad aliquid, quid in omni modo relatiuorum assignat aliquod absolutum pro fundamento, & ipsemet Ant. And. illic idem tenuit.

Secundam rationem aliter soluit Ant. And. & aliter Paulus, nam Ant. And. sic exponit dictū philosophi. Alia dicitur entia, eo quod taliter entis, id est, accidens est ens in eo quod est taliter entis id est talis causæ, & in tali ordine causandi. q. d. accidēs est ens, quia causatur à substantia: ex hoc autē non habetur, quod ly ex eo quod dicat rationem, vel principium formale. Sed hæc expositio non valet, quoniam mens philosophi est, quod sint entia, eo quod accidit enti per se, quod est substantia, & sic exponit Cōmen. in cōmen. 2. Accidētalitas ergo vel inherencia est ratio formalis quod sint entia, & non quia causantur à substantia.

Paulus, autem Sonc. dicit quod ly eo quod taliter entis, non intelligitur in ratione principij formalis, sed efficientis vel subiectiui, sed hæc sua expositio, cōtradicit expositioni b. Thonam b. Tho. exponēs dictum tex inquit, eo quod sunt talis entis, id est eo quod habent aliquam habitudinē ad substantiam, &c. ergo talis habitudo est ratio formalis, quod sint entia. Sed huiusmodi habitudo, est ipsa inherencia vel accidentalitas, ut declarauit Commentator: Quare &c.

Tertia opinio est b. Tho. & Capreol. & Henrici. Isti tenent secundum veritatē quod inherencia actualis nec est idem cum accidente, nec est de sua ratione formali, quoniam tenent quod diuina virtute potest dari accidens, non actu inherens subiecto, aptitudinalē autem esse idem, & de ratione formali, vnde b. Tho. in 4. sen. di. 12. q. art. 2. quæstiuncula prima ad secundum sic dicit. Diffinitio substantia est res habens quidditatem, cui debetur esse non in alio, & similiter esse in subiecto non est diffinitio accidentis, sed res cui debetur esse in alio, & hoc nunquam separatur ab aliquo accidente, nec separari potest, quia illi rei quæ est accidens, secundum rationem, sui quidditatis semper debetur esse in alio. hæc ille, & aduerte quod Capr. in 4. sen. di. 42. q. 1. ad primum factum contra 5. & 6. cōclusionem, conuenit cum b. Tho. Henricus autem in quolib. 4. q. 9. querens si accidens diuina virtute potest retinere terminos propria ef-

sentie sine subiecto determinans questum circa finem, sic inquit. Rationi illius de cuius ratione est habere habitudinē ad esse in subiecto, non repugnat esse in actu sine subiecto, quia ista duo non repugnant, quod vnum & idem non sit actu tale, & sit aptitudine tale. Sed hoc videtur sufficere ad rationem accidentis, scilicet quod aptum natum sit inesse &c. hac ille, ex quibus omnibus constat, quod concedunt inherentiam aptitudinalem esse de ratione formali accidentis. Quod negauerunt Ant. And & Paulus Sone. & quoniam hanc tenemus esse mentem b. Tho. ideo determinamus questum secundum hanc tertiam opinionem, & licet b. Tho. & Herue. non adducant novas rationes, quoniam in locis per allegatis sunt respondentes, tu tamen probare poteris rationibus adductis pro secunda opinione, quas sustinimus contra Ant. And. & Paulum Sone. Hæc de presenti questio dicta sint.

Questio 2. si accidentia in abstracto sunt entia, vel non entia, Vnde & utique dubitabit aliquis, vtrū videre & sanare & sedere, vnumquodque eorum sit ens, aut non ens. Tex. 3.

In hac, q. sic procedemus. Primo declarabitur in quo differunt accidentis in concreto & accidentis in abstracto. Secundo ponetur vnica distinctio de ente. Tertio due conclusiones responsive.

Quantum ad primū, aduerte quod in hoc aliter sensit Auic. aliter Cōmen. cui concordat b. Tho. nam Auic. vt recitat Commen. in 5. metaphy. in cap. de ente, tenuit, quod accidēs in concreto puta album significat substantiā, in qua est accidentis, ita quod res significata per accidentis in concreto principaliter est subiectum, secundario autem est natura accidentis. Accidentis autem in abstracto signat solam naturam accidentis. Sed e contra Auic. sic arguitur, si accidēs in concreto significat principaliter subiectum, ergo album significaret ens per accidēs, id est, quid aggregatū ex substantia & accidente ex consequenti accidentis in concreto non locaretur in aliquo predicamento quod contradicit Arist. qui in predicamentis dixit album ideo esse in predicamento, quia purā qualitatem significat. Præterea Arist. in 5. metaphy. in cap. de ente, ponens diuisionem entis in predicamenta, exemplificat de accidentibus in concreto, dicit enim alia quid est significat alia quale, alia quantum, alia ad aliud.

Commen. igitur & b. Tho. in eodē loco contra Auic. tenent, quod quantum ad rem significatam non differunt, quoniam tamen

in concreto quam in abstracto significant purā naturā accidentis, vnde sicut albedo puram qualitatem significat, sic & album, quantum autem ad modum significandi differunt, quoniam concretum significat naturam accidentis per modum inharrentis, ex consequenti connotat subiectū, non autem abstractum, verum aduerte, quod hic modus prædicandū est per opus intellectus, & nõ præcise ex natura rei significare, intellectus autem potest ea quæ sunt coniuncta in re intelligere separatim, vnde licet accidens non derur, nisi inhaereat subiecto, potest tamen intelligi per modum inharrentis & per modum non inharrentis, ex hoc tamen non falsè intellectus intelligit, non enim intelligit accidens esse & non inhereere, sed accidens per modum non inharrentis, licet realiter inhaereat.

Quantū ad secundū aduerte, quod cum queritur, vtrū accidens in abstracto sit ens vel non ens, id potest habere duplicem sensum, primo quod sit ens per se subsistēs, sicut si imaginatur calor existēs separatus ab omni subiecto, sicut ponitur idea hominis separata ab omni materia, ad mentem Plato. secundo quod sit ens in alio vel inherens alij, licet non significetur per modum inharrentis, sed potius per modum per se existentis.

Quantum ad tertium ex hac distinctione ponuntur due conclusiones responsive.

Prima cōclusio. Accidēs in abstracto non est ens primo modo, probatur, si haberet esse, & esset ens primo modo, oppositū distinctionis conueniret diffinitio, nam diffinitio accidentis est, quod habeat esse in alio, sed si ergo esset ens primo modo non haberet esse in alio, vt patet, ergo &c. præterea, inquit Arist. in tex. 2. quod alia sunt entia, quia sunt totaliter entis, & per ly alia intendit accidentia, & per ly entis intendit substantiā vel subiectum, ergo ratio existentis accidentis sumendo accidentis condistinctū contra substantiā, siue in concreto siue in abstracto sumitur ab inharrentia subiecti, impossibile est ergo loquendo mere ad mentē philosophi, vt etiā locuti sumus in q. præcedenti accidens abstractum habere esse vel quod sit ens primo modo.

Secunda conclusio. Accidēs in abstracto est ens secundo modo, probatur, est ens, cum significaretur nomine generis, vt color, & speciei, vt albedo, nam ratio generis & speciei non verificatur de non ente, sed non est ens primo modo per conclusionem procedentem, ergo secundo modo.

Nec obstat, quod in abstracto non videtur importare inha.

rentiam, sed potius per se existentiam, quoniam ut diximus, hoc est ex parte modi significandi, qui fit per intellectum, qui potest coniuncta separatim intelligere, & non est ex parte rei significata, quoniam natura accidentis quo ad suam realitatem non potest separari ab habitudine ad subiectum. In hoc quaestio non cadunt difficulta argumenta deo dicta sufficient.

Quaestio 3. Si substantia est prior tempore accidente.

Substantia omnium primum est tempore, ratione natura, & notitia. Text. 4.

In hac quaestione primo inuestigandū est, quomodo substantia est prior accidente tempore. Secundo quomodo diffinitione. Tertio quomodo natura. Quarto quomodo cognitione.

Quantum ad prioritatem temporis, aduerte, quod si Arist. non posuisset modum aeternum, facile esset saluare huiusmodi prioritatem, nam cum esse prius tempore, ut habetur in post-prædicamentis, sit esse antiquus id est, esse pro duratione, pro qua nondum est aliud, ut patet de patre & filio, de sene & iuvene, si mundus non est eternus, patet quod aliqua substantia, puta prima causa, quae est aeterna, ut probabitur in 12. lib. est prior tempore siue duratione quocumque accidente, quoniam omnis substantia & omne accidens est effectiue à prima causa, ut probabitur in libro 12. & nullū eorum est aeternum, si mundus non est eternus, ergo &c. verum quia Arist. posuit mundū eternum, non est assignare aliquod instans nec tempus, in quo primo philosophi. Ut igitur videamus quam veritatem continet pertractabimus opinionem Comment. & Scoti, & b. Tho.

Quantū ad Cōment. aduerte quod cum quædam sint substantiae aeternae & incorruptibiles, ut in astra & caelum, & quaedam sint temporales ac corruptibiles, ut elementa, & elementata, & quaedam sint accidentia aeterna, ut accidentia caeli, & quaedam de nouo genita, ut accidentia substantiarū inferiorū, ex quibus aliqua sunt cognita, ut propriae passionēs, & accidentia inseparabilia, ut albedo in niue, nigredo in aethiopo. Quaedam autem accedunt & recedunt, ut accidentia communia separabilia, arbitratr Cōment. propositionē philosophi, alio modo verificati de substantia comparata accidentibus communibus separabilibus, & alio modo comparata accidentibus propriis & inseparabilibus, nam respectu primi tenet substantia compositam secundum se esse

se esse priorem tempore, quoniam stat quod pro aliquo tempore sit rei substantia, puta aqua, & tamen non sit in ea accidens separabile commune, puta calor, & quod dicitur de aqua, intelligendum est de qualibet substantia inferiori comparata accidenti communi. Respectu autē secundi, tenet substantiam copositam non ratione totius, sed ratione materiae primae, quae est ingenua & aeterna, esse priorem tempore, quoniam licet sortes non sit prior tempore sua proprietate, nec nix albedine, tamen materia sortis quae fuit ante sortem, & materia niuis quae fuit ante niuem, est prior tempore accidente proprio sortis, & accidente inseparabili à niue, nam materia sortis praecedit tempore formam substantialem sortis, cum illa sit aeterna, & haec de nouo producta, ergo & accidentia propria sortis. Haec enim consequuntur formam substantialem, idem intellige de niue.

Sed haec scientia Cōment. non videtur consona textui philosophi, nam philosophus dum comparat substantiam accidenti secundum prioritatem temporis, comparat substantiam secundum se, non accidenti communi vel proprio vel inseparabili, sed omnibus categoriis accidentium, ita quod considerata natura substantiae ut est ens simpliciter, & ens primum, & considerata natura accidentis, ut est ens in habitudine ab substantia, intendit philosophus quod substantia ut substantia est prior accidente ut accidens est. Praeterea licet Cōment. posset aliquo modo saluare positionem suam, quo ad accidens propriū & inseparabile in substantiis inferioribus, quoniam saltem ex parte materiae sunt priores tempore, id tamen non saluabit in corpore caeli, quoniam ab eo remouet materia, quae est ens in potentia & pars compositi, ut declarabitur in 8. lib. Praeterea, sicut philosophus ponit substantiam esse priorem tempore ipso accidente, ponit etiam esse priorem diffinitione & perfectione & cognitione, sed falsum est substantiam ratione materiae esse perfectionem & prius ac magis cognoscibilem accidente, cum sit ens in pura potentia, accidens autem sit forma & actus quidam. Quare &c.

Quantum ad Sco. aduerte ut patet per Ant. And. in 7. lib. q. 2. quod arbitratur dictū philosophi alio modo esse verum quo ad accidentia communia, & alio modo quo ad accidentia propria, nam respectu primi, dicit esse verum, quia substantia non pendet ab accidente communi, ideo non repugnat, quantum sit ex se, posse esse sine tali accidente, ut patet de aqua respectu caloris. Item quia substantia non est causa accidentis communis: non

SEPTIMI METAPHY.

enim fuit à principiis substantia, sed est penitus à causa effecti-
ua extrinseca. Respectu autem secundi, dicit esse verum, quia
substantia non pendet à proprio accidente, sed potius econuer-
so, unde verificatur quo ad causalitatem, quoniam substantia
est vere causa intrinseca productiua sui proprii accidentis.
Sed si bene aduertis, Scotus ex hac declaratione non seruat, ni-
si prioritatem naturæ, illud enim dicitur proprie prius secun-
dam naturam, quod comparatum alteri, non pendet ab eo, sed
econuerso, dato quod vnum non precedat alteri duratione, quæ
prioritas seruatur inter subiectum & proprietatem suam, in-
ter causam & effectum suum coruam. Præterea, si hoc quod
vnum non dependet ab alio, seruatur prioritas temporis, ergo
possemus dicere motorem primum esse priorem tempore cœ-
lo, secundum philosophum, quoniam dicit philosophus in lib.
11. tex. 15. quod ab hoc principio cœli & natura pendet, quod
tamen est falsum, quoniam cum cœlum sit æternum, nihil est
prius eo duratione, ergo nec tempore.

Quantum ad b. Tho. aduerte qd vt patet in expositione tex.
intendit dictum philosophi pro tanto esse verum, quia in tota
latitudine accidentium non inuenitur accidens sine substantia
sine accidente, unde Deus respectu accidentium, quæ nullo mo-
do possunt esse in eo, ex consequenti nullo tempore dicitur
prior tempore siue duratione accidente, nam verum est dice-
re, Deus nunc est, & nunc nullum accidens est in eo: ergo est
prior tempore accidente, sumendo tempus vt se extendit ad
quamcunque duram.

Sed contra hanc determinationem tripliciter arguit Ant.
And. primo sic, non sequitur, si prima substantia, quæ est Deus,
est prior accidente, quod substantia, posterior puta producta,
sit prior accidente tempore.

Ad hoc dicitur qd argu. supponit falsum, scilicet qd si substi-
tia vt substantia, est prior tempore accidente, quod omnis sub-
stantia sit prior tempore accidente. Hoc non dicit philosophus
sed ad veritatem propositionis suæ sufficit qd detur aliqua sub-
stantia, quæ sit prior tempore omni accidente, & non econuerso,
sicut & ipse Ant. And. in 1. metaph. q. sua vlt. quando declarat
tex. 1. in 6. meta. vbi inquit philo. theoreticæ aliis scientiis sunt de-
siderabiliores, dicit Ant. and. ad veritatē huius dicti, non est ne-
cesse omnē speculatiuā esse nobiliore omni practica, sed suffi-

QVAESTIO III.

et qd detur aliqua speculatiua, puta, metaphy. quæ sit nobilior
omni practica, & non econuerso, sic dico in proposito &c.

Secundo sic, Deus non est in aliquo genere, ergo ex hoc qd
Deus est prior tempore omni accidente, non potest concludi,
substantiam quæ est primum genus comparatum generibus
accidentium, esse priorem tempore accidente.

Ad hoc dicitur qd qd philo. dicit substantiā priorē tempore
accidente, nō accipit substantiā vt est genus, sed vt est analogū,
sub quo continetur Deus, nam nec accidens est genus sed ana-
logū, alioquin prædicamēta accidentiū, nō essent gñalissima.

Tertio sic, Deus non præcedit tempus tempore, quoniam non
mensuratur tempore, vt patet, cum sit extra omnem mutabili-
tatem, ergo non est prior tempore omni accidente, patet con-
sequentiā, quoniam tempus est accidens, &c.

Ad hoc dicitur qd sufficit Deum esse priorem omni acciden-
te & ipso tempore aliqua duratione, quæ largo modo potest
dici tempus, nec philosophus dum dicit substantiam priorem
tempore accidente, accipit tempus proprie dictū, vt & ipse Ant.
And. dicit in fine quæstionis suæ, vbi inquit, nō accipitur hic tem-
pus proprie, vt est numerus motus, substantia ergo præcedit tem-
pus proprie dictū, tempore improprie dicto. Hæc ille. Hæc de
prioritate temporis dicta sunt.

Quantum ad prioritatem diffinitionis aduerte, quod dictū
philosophi potest dupliciter pertractari. primo, si est verū vt ia-
cet, secundo si ita est verū, qd sit necesse absolute & secundū se
accidens diffiniri per substantiam, & non econuerso, siue suma-
tur accidens in concreto, siue in abstracto.

Quantū ad primum sensum ponitur cōclusio affirmatiua,
substantia est prior accidente diffinitione, probatur, substan-
tia ponitur in diffinitione accidentis de necessitate, & nō econ-
uerso, ergo est prior diffinitione, consequentiā patet, quoniam
esse prius diffinitione alio, est cadere in diffinitione eius, & nō
econuerso, antecedens autē probatur, quoniam illud ponitur in
diffinitione accidentis per quod antecedens est ens, sed per substi-
tiam est ens, cum non sit ens, nisi quia est entis, substantia autē
non est ens per ipsam accidens, vt patet, ergo, &c.

Quantum ad secundū ponitur hæc conclusio si debet haberi
perfecta cognitio de accidente, necesse est vt diffiniat per substi-
tiam, probatur, diffinitio causatiua perfecte cognitionis habet
sufficere explicare naturā diffiniti, sed nō potest sufficere ex-



SEPTIMI METAPHY.

plicare naturā accidentis, nisi in ea includatur inherētia ad substantiā, diximus enim supra inherētiā esse de ratione formali accidētis, ergo necessario in diffinitione qua debet accidens perfecte cognosci, & que habet quietare intellectum, cadit substantia, & propterea philo. infra declarabit, q̄ accidētia non habet simpliciter quod quid est, nisi ex additione, eo q̄ fiunt sunt ens, sic habēt diffiniri, cum igitur non sint ens, nisi per substantiam, non possunt perfecte diffiniri, nisi per substantiā.

Sed aduerte quod contra hanc determinationem formantur tria argumenta apparentia.

Primo sic arguitur, accidēs habet propriū genus & propriā differentiā: ergo potest diffiniri sine substantia, consequētia patet, quoniā ut dicit philo. in hoc 7. diffinitio cōstat ex proprio genere & propria differentiā, ergo si accidēs habet propriū genus & propriā differentiā, pōt per seipsum habere propriā diffinitionē, accidens autē probatur, & quidē q̄ habeat propriū genus patet, quoniā in predicamētis accidentiū datur species specialissima, ut in qualitate albedo, species autem est que ponit sub assignato, id est determinato & proprio genere, ut albedo sub colore, quod autē detur propria differentiā, probatur, quoniā diuersorum generū & nō subalternatim positorū, diuersa sunt species & differentiā, ergo albedo non solū habet propriū genus colorem, sed & propriā differentiā, & constitutiū albedinis.

Ad hoc, negatur consequētia, quoniā non sufficit diffinitionem constare ex proprio genere & propria differentiā, sed habet manifestare modum & qualitatem diffiniti quo ad naturā, hoc autem non potest fieri in proposito, nisi assumatur substantia in diffinitione accidentis, quoniā ex habitudine ad substantiam, scimus naturam accidentis.

Secundo sic, ratio quā significat nomen, est diffinitio, sed nomen accidentis non significat substantiam, ergo ratio accidentis non debet includere substantiam.

Ad hoc, licet nōmē accidētis non significet substantiam, tamē in concreto connotat substantiā, & in abstracto nō absolvitur ab habitudine ad substantiam, quoniā accidens ut accidens, licet non dicat respectum ad alterum, dicit tamen respectum in alio, & ideo non potest diffiniri sine substantia.

Tertio sic, accidēs potest produci à causa prima sine subiecto, ergo potest diffiniri sine subiecto, consequētia nota, quia non

QVAESTIO III.

147

est alia ratio quare diffiniatur accidens per subiectum, quia secundum philo. non potest esse ens sine subiecto. Antecedens autem probatur, quoniā quicquid potest causa prima cum secunda, potest per seipsam, a liter non esset omnino perfecta, & penitus indepēdens, ergo sicut a causat accidens mediante subiecto, potest causare sine subiecto.

Ad hoc, licet arg. cōcludat secundū veritatē, tamē Arist. ut diximus in q. 1. huius li. nō admitteret antecedēs. Ad probationē, negaret antecedens, & diceret, q̄ hoc nō est imperfectione primę cause, sed ex natura accidētis, que nō seruaretur sine subiecto, quoniā inherētia est de ratione formali eiusdem, ut declarauimus in q. 1. huius li. Tu etiā aduerte, q̄ ista propositio, quicquid pōt causa prima cū secunda &c. nō tenet in causa formali, & in causa materiali, unde posito q̄ posset p̄ducere calorē sine igne, nō tamē posset producere, ita q̄ nulli inhereret, loquēdo ad mentem philo. subiectū em̄ licet possit esse causa productiua sui proprii accidentis, tñ est semper causa materialis, cuius vicē nō pōt habere causa prima. Hęc de prioritate diffinitionis dicta sunt. Quantum ad prioritatē naturę, que dicitur prioritas perfectionis, nō est difficultas, quā cū substantia sit ens primū & absolute, & nō per respectū ad accidēs, & sic substantia accidentis, & sic causa accidentis, & non eōuerso, constat quod est perfectior accidente. Quare in hoc non est immorandum.

Quantum ad proprietatem cognitionis, multę insurgunt difficultates, & ut resoluatur, sic procedemus, primo ponemus aliquas distinctiones, secundo aliquas conclusiones responsiuas, 3. soluentur quedam dubia.

Prima distinctio, cognitio substantię est duplex, prima est cōceptiua, qua scilicet apprehenditur quid est substantia, vel qua formatur cōceptus substantię, secunda est discursiua, qua scilicet concluditur aliquid de substantia, ut cum probatur esse susceptiuam contrariorum, vel non recipere magis & minus.

Secunda, cognitio substantię conceptiua est duplex, quedam quo ad conceptum confusum, quedā quo ad conceptum distinctum, cōceptus confusus est, quo apprehenduntur predicata vniuersaliora, ut quando apprehendo de homine quod est ens vnum, substantia, corpus. Distinctus autem est, quando apprehendo predicata proxima & propria, ut cum de homine apprehendo, quod est animal rationale.

Tertia, cum hic intendamus de prioritate cognitionis quo

SEPTIMI METAPHY.

ad cognitionem conceptuam, aduerte, q̄ prioritas cognitionis substantiæ respectu cognitionis accidentis, potest attendi secundum ordinem perfectionis, vel secundum ordinem generationis, primo quidem modo dicitur cognitio prior, quæ magis perficit intellectum, & quæ est de perfectiori ente, secundum autem modo dicitur cognitio prior, quæ est obiecti, prius apprehensi ab intellectu, vnde si substantia prius cadit in nostro intellectu quàm accidens, est prior cognitione secundum generationem, si autem prius cadit accidens, erit posterior.

Ex his distinctionibus ponitur conclusio quo ad prioritatem cognitionis secundum perfectionem, substantia est prior cognitione accidente, probat, obiecti perfectioris perfectior est cognitio, trahit. n. cognitio nobilitatem à nobilitate obiecti, ex 2. de anima, sed vt confessum est ab omnibus, substantia est sit primus & absolute ens, perfectior est accidente, ergo &c. præterea, cuius perfectius est quicquid est, eius cognitio est perfectior, quoniam cognitio quiddam est cognitio perfecta, sed substantiæ est perfectius quodquid est. Dicit enim infra philosophus, q̄ sola substantia habet quodquid est primo & per se, accidentia autem aut non habent, aut secundario, qui vnumquodq; eo modo quo est ens, habet quodquid est, & aduerte q̄ philosophus copians substantiam accidenti quo ad prioritatem cognitionis in text. 4. videtur semper loqui de prioritatem perfectionis, sic enim arguit, quando cognoscimus rem secundum substantiam, magis cognoscimus, quàm quando cognoscimus quo ad accidentia, puta qualis aut quanta sit, ergo substantia prior est cognitione quàm accidens, constat autem hanc rationem non concludere, nisi quo ad prioritatem perfectionis, quod & manifeste apparet per Comment. exponentem prædictum text. dicit enim scire individuum substantiæ per sua vniuersalia prædicata substantialia, perfectius est scire, quàm scire illud per vniuersalia accidentium, & in hac conclusione omnes conueniunt.

Quantum autem ad prioritatem cognitionis conceptuæ secundum generationem, est varia opinio, nam Herueus in 3. quolib. q. 12. & Ant. And. in hoc 7. in q. 4. & Iandunus in hoc 7. in q. 3. tenent, q̄ prius apprehendimus accidens, quàm substantiam, & prius cadit in intellectu nostro conceptus accidentis, quàm conceptus substantiæ: sed b. Tho. & veri Thomistæ tenent oppositum. Vt igitur resoluetur propositum, pertractabimus primo viam Thomisticam, deinde soluemus rationes tenentium oppositum.

QVAESTIO III.

148

Igitur pro via nostra pono duas conclusiones, prima est, substantia quo ad prædicata cõia, à quibus trahitur cognitio confusa, prius apprehenditur ab intellectu nostro, quàm accidens, probatur, conceptus substantiæ necessario supponitur conceptui accidentis, ergo &c. cõsequẽtia nota, & probatur antecedens secundum philosophum in hoc 7. in text. 4. necesse est in diffinitione accidentis esse diffinitionem substantiæ, & Cõmen. inquit exponens, necesse est vt substantia accipiatur in diffinitione accidentis, & in diffinitione substantiæ non accipitur illud, quod est extra naturam suam, ex his habemus, q̄ diffinitio accidentis supponit diffinitionem substantiæ, ergo necesse est conceptum accidentis supponere in intellectu nostro conceptum substantiæ, ex consequenti prius cognitione conceptuam, saltem quo ad prædicata communia, apprehenditur substantia, quàm accidens, præterea, in scientia cuius subiectum est substantia, necesse ante omnia est præcognoscere de subiecto quid, vt in lib. de anima, & in lib. de cõsentibus: ergo ante apprehensionem cuiuscunque accidentis conuenientis animæ aut cælo, necesse est præconclpere substantiam animæ & cæli, saltem quo ad prædicata communia, cõsequẽtia nota & antecedens, quoniam ex 1. poster. De subiecto præcognoscitur quid. Et confirmatur propositum per Comment. in 1. physic. commen. 3. dicit enim, illa quæ sunt nota apud nos primo de rebus naturalibus, sunt composita causata ex elementis, & aduerte quod ex dicto Comment. excluditur declaratio, quam dat hic text. Arist. cum dicit, sunt autem prius nota nobis confusa magis, dicit Herueus in 3. quolib. q. 12. quod per ly confusa magis, intendit accidentia sumpta in magis vniuersali, quæ prius ab intellectu apprehenduntur, quàm in particulari, & quàm substantia, patet autem ex intentione Commentator. quod Aristoteles loquitur de substantiis, & non de accidentibus, quoniam accidentia non sunt composita causata ex elementis.

Secunda conclusio, substantia quo ad conceptum distinctum quo apprehendimus eius proprium genus & differentiam, cognoscitur posterius accidente, probatur, non innotescunt nobis præcipue in naturalibus, genera rerum & differentiæ, nisi ex effectibus & propriis qualitibus, ita quod iste est ordo intelligendi in nostro intellectu, primo quando virtute intellectus agentis, formata est species intelligibilis representatiua substantiæ, per talem speciem cognosco representatam substan-

nam, quo ad predicata cōfusa essentialia. secundo, quia nostra cognitio distincta incipit à sensu qui est cognoscimus accidentium, per viam sensus procedo ad cognoscendum accidentia propria substantiæ prius apprehensa in confuso, puta qualitates ignis. tertio, ex his accidentibus iam notis, deuenio in cognitionem specificam & distinctam ipsius substantiæ, & sic patet, quod cognitio accidentium est in 2. gradu, & in 3. est distincta cognitio substantiæ, & hanc conclusionem non negat Herueus vbi supra. Sed solum discrepat in prima, vult enim in primo gradu esse cognitionem confusam non substantiæ, sed accidentis apprehensam in confuso, in secundo esse cognitionem accidentis distinctam, in tertio esse cognitionem distinctam substantiæ.

Postea hac determinatione soluende sunt rationes Ant. And. & Landuni, & Heruei. Aduerte igitur, quod Ant. And. & Landanus vbi supra, duas rationes formant eiusdem sententiæ, & sunt tales.

Substantia notificatur per accidens, ergo est posterior cognitione. consequentia patet, quoniam notificans est prius cognitum notificans. Antecedens probatur, quoniam ex cognitione accidentium propriorum & essentialium, innotescit nobis substantia, vnde Commenta. inquit in 6. metaphysic. commenta. in scientiis naturalibus non cognoscuntur substantiæ rerum, nisi ex posterioribus, scilicet accidentibus. Præterea inquit philosophus in proemio 1. de anima. Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, id est, quid dicitatem substantiæ: ergo accidentia præcognoscuntur. His rationibus non oportet aliud respondere, nisi quod concludunt de distincta & propria conceptiua cognitione substantiæ, quantum autem ad cognitionem confusam, quam posuimus esse in primo gradu, negatur antecedens primæ rationis. Ad probationem dico, dictum Commenta. verificari de cognitione distincta, & non de cōfusa. similiter dico dictum philosophi in proemio 1. de anima debere intelligi de quod quid est, proprie & distincte apprehenso, & non aliter. Rationes autem Heruei vbi supra, sunt tres, prima est intellectui cuius cognitio pendet à sensu, & ortum habet à sensu, occurrit primo illud quod est per se sensibile, non enim alia ratione nostra cognitio incipit à sensu, nisi quia primo intelligimus, quod est apprehensum sensu, sed intellectus noster est ille, ex 1. poster. cuius cognitio pendet à sensu, ergo

illi primo occurrit, quod est per se sensibile. Hoc autem ut patet est accidens, quoniam sensus proprie est cognoscituum accidentium, ergo &c. Ad hoc negatur maior ad probationem. dico, quod illa non est ratio, sed est quia necesse est intelligentem phantasmata speculari, phantasma autem pendet à sensu, non tamen est necesse, quod intellectus illud primo intelligat quod est primo causatum phantasmatum, sed quod primo sibi præsentatur per speciem intelligibilem abstractam à phantasmate. Hoc autem, ut dicemus infra, non est accidens, sed natura substantiæ. Deceptus est autem Herueus, quia credidit ex eo quod nostra cognitio habet ortum à sensu primo, sensatum sit primo intellectum, & qualis est ordo in sensu, talis sit in intellectu, quod nos non admittimus, ut declarauimus infra, per tractantes, quomodo à phantasmate abstrahitur species representatiua substantiæ.

Secunda ratio, imago alicuius sensibilis non prius mouet ad cognitionem alterius, quam illius cuius est imago: cum igitur sit imago obiecti per se sensibilis, quod est accidens, prius mouet ad cognitionem accidentis, quam substantiæ.

Ad hoc dico quod talis imago vel comparatur ad sensum quem actuat, vel ad intellectum, si ad sensum, concedo quod prius mouet sensum ad cognitionem accidentis, à quo causata est, quam ad cognitionem substantiæ, quoniam sensus primo & per se cognoscit accidens, & tantum per accidens cognoscit substantiam, præcipue sensus exterior, ut præseruetur cogitativa, si ad intellectum, nego assumptum, quoniam imago siue species sensibilis non potest actuare, nec mouere intellectum, cum sit materialis, & ideo non potest mouere intellectum prius ad cognitionem accidentis, quam substantiæ, & si tu adueris, supponit Herueus, à phantasmate prius abstrahi specie intelligibilem representatiuam accidentis, quam speciem representatiuam substantiæ, quod nos non concedimus: ut dicemus infra.

Tertia ratio, circa illud quod primo occurrit intellectui non potest esse dubium vel error de existentia eius, sed multi dubitant de existentia substantiæ, &c.

Ad hoc negatur maior, & ratio est, quia species representatiua substantiæ, cum sit denudata ab omnibus conditionibus indiuiduantibus, abstrahit ab existentia & non existentia. Ideo &c.

Sed contra prædicta, dubium insurgit, scilicet, utrum substantia cognoscatur per propriam speciem, an per speciem accidentis.

Pro cuius resolutione aduerte duas opiniones, vna est eorū qui tenent accidens prius cognosci quā substantia, isti dicunt speciem substantiæ vel nullo modo causari in nostro intellectu, sed per solam speciem accidentis substantiā cognosci, quæ quidem species est representatiua primo accidentis, secundario autem substantiæ, vel speciem accidentis primo causari in intellectu, eo quod est primo phantasiatā: deinde causari speciem substantiæ. Arbitrantur enim intellectū agentē sua illustratione extrahere à phantasmate speciem substantiæ inuolutam cum specie accidentis. Et quoniam Herueus, vbi supra tenet, accidens prius cognosci quā substantia, ideo declinat ad hanc opinionem, quod substantia nō cognoscitur nisi per speciem accidentis, & id elicio ex quolibet. 3. q. 12. ad 8. vbi tenet phantasma quod est accidens, non imprimere in intellectu substantiæ speciem, sed sufficere quod suam imprimat, & per ipsam cognoscatur accidens & substantia Ant. And. in 7. metaph. q. 4. videtur circa hoc indeterminatus, & tandem respondens vltimo argumento dicit, quod substantia est perfectius cognoscibile simpliciter, cum hoc tamen stat, quod perfectius intellectus noster cognoscat accidens, eo quod est ei magis proportionatum, nec videtur negare speciem substantiæ, nec speciem accidentis, vt patet de exemplo quod adducit de albo intenso & albo remisso, & constat quod vtrunq; videtur per propriam speciem, non enim album intensum potest videri per speciem albi remissi cum species illa naturaliter representet, ex consequenti vno modo. Alia opinio quæ est Thomistica tenet, quod substantia cognoscitur quo ad conceptum confusum, prius accidente, & per propriam speciem, & hanc abstrahi à phantasmate prius, quā species accidentis, & hoc in virtute substantiæ, à qua causatum est ipsum phantasma, & in virtute intellectus agentis illustrantis phantasma, cuius lumine, separatur species substantiæ, à specie accidentis, quarum vtraque latebat, vt ita dicam in phantasmate, & quidem quod sit necesse intelligere substantiam per propriam speciem, & non solum per speciem accidentis, probatur sic, si cognoscitur solum per speciem accidentis, nulla substantia cognoscitur perfecte & quidditative, quod est inconueniens, maxime de substantiis materialibus proportionatis intellectui nostro, consequentia autem patet, quoniam perfecta & quidditatiua cognitio non habetur, nisi ex eo quod obiectum vnitur intellectui, vel per

essentiam, vel propriam speciem.

Præterea species entis inferioris gradus, non est sufficienter representatiua entis superioris gradus. Cum enim sit representatiuum naturale, non representat supra speciem suam, sed species accidentis respectu substantiæ, est species entis inferioris gradus, vt patet: ergo per ipsam non potest haberi cognitio perfecta & quidditatiua substantiæ. Tenendum est ergo substantiā quo ad conceptum confusum, prius cognosci quā accidens, & per propriam speciem. Hæc de presenti quaesito dicta sint, Argumenta autem tenentium, quod substantia non cognoscitur per propriam speciem soluentur à Paulo Sonc. in 7. libro metaph. q. 4. vide tu ad placitum.

Quaestio 4. Si forma est prior & magis ens quā materia & compositum.

Quare si species materia est prior, & magis ens, & ipso quod ex vtrisque prior erit. Tex. 7.

In hac q. vt plene resoluantur conclusiones tres responsiuas ponemus, deinde solucimus quedam dubia.

Prima conclusio. Forma in quantum actus, est prior natura & tempore, & est magis ens quā materia in quantum potentia. Hæc manifestabitur in lib. 9. in tex. 13. vsque ad tex. 21. vbi probabitur, actum esse priorē potentiam tempore, natura, diffinitione, & perfectione, pro nunc autem sic probatur, nullum potentiale reducitur ad actū, nisi per aliquid prius existens actu, generatur enim homo in potentia, ab homine præexistente actu, ergo forma vt actus prior est materia vt potentia. Quod autem sit magis ens, patet, quoniam forma est perfectio materiæ, & facit eam esse actū, & non e conuerso, nisi occasionaliter, prout forma educta de potentia materiæ non potest habere esse nisi in materia, sed hoc est potius sustentare, quā perficere formam.

Secunda conclusio. Forma est prior composito, probatur, principium & causa vt sic, est prior causato & principiato, & pars est prior toto, sed forma est principium & causa formalis, & pars essentialis respectu compositi, ergo &c.

Tertia conclusio. Licet forma sit prior composito, non tamen est magis ens, nec perfectior. Probatur. Cum esse sit prima perfectio, & perfectius conueniat composito, quā formæ, vt forma est, quoniam compositum est, quod est, forma autem, quo est, vnde licet infra philosophus, quod nō forma sed con-

SEPTIMI METAPHY.

positum est quod per se generatur, sequitur, quod forma non est magis ens, nec perfectior composito.

Sed contra prædicta, duo dubia insurgunt, primo, quia tertia conclusio videtur repugnare textui philosophi, dicit enim formam esse priorē eo, quod est ex utriusque, id est composito propter eandem rationē, id est eo modo quo est prior materia, sed dixit, formam esse priorē & magis ens quā materia, ergo forma, pari modo est prior & magis ens, quā compositum.

Ad hoc dicit Ant. And. quod dictū philosophi nō est verum, nisi ratione independentē, ut dicatur forma magis ens quā compositū, non quia habet perfectius esse, sed quia cum sit principium compositi, & non e converso, verū est formā in ratione principij non dependere à composito, sed e converso, & ut sic perfectiorem esse, & non aliter, ego autē dico, quod ut patet in text. philosophus non comparat formā composito, nisi secundū prioritatem & non quod sit magis ens, cuius signum est, quod comparat formam materiæ, dixit eam esse priorē & magis ens, comparat autē formam composito, dicit eam esse priorē, sed non dicit quod sit magis ens, unde non habuit Ant. And. causam laborandi in hoc. Tu tamen adverte quod Comment. in comen 7. videtur tenere formā esse priorē & magis ens quā compositum. Dicit enim & intendebat, quod cum forma sit prior composito ex materia & forma, & compositū est substantia, sequitur quod forma sit magis substantia quā compositū hæc ille, verum hoc dictum Comment. non potest expresse fundari in text. philosop. unde nec b. Th. exponens, comparat formam composito, nisi secundum prioritatem, si tamen vis saluare Comment. dices, ipsum esse verum, solum ratione independentiæ, ut dicit Antonius Andr.

Secundo, dubitatur de prima conclusione, nam cum prius non dependeat à posteriori, sed e converso, sequitur quod prius potest esse sine posteriori & non e converso, si igitur forma est prior materia, forma poterit esse sine materia, quod est falsum, quoniam sola anima intellectiva, ut pote non e ducta de potentia materiæ, potest esse sine materia.

Ad hoc, dico ad primam consequentiā, quod non valet, nisi quando priori & posteriori debetur esse actu per se & distinctum, ut duobus suppositis, puta quia elementum est prius elementato, & utriusque debetur esse per se actu, non inconuenit esse elementum, dato quod nullum esset elementatū, si autem prius & posterius non habent esse actu per se, sed prius susse-

QVAESTIO V.

151

tatur in posteriori, & posterius non est actu, nisi per prius, prima consequentiā non valet, sic est in proposito de forma & materia, quare argumentum non cōcludit. Vtrum autem saltem materia possit esse sine forma, discutimus in libro 8. Hæc de præsentī quæsitō sufficiant.

Quæstio 5. si materia est ens quod est substantia, ita tamen quod sit ens in pura potentia.

Et adhuc materia substantia sit (& infra) dico autem materiam, quæ est secundum se nullatenus, neque quid, neque quantitas, neque aliud eorum dicitur, quibus est ens determinatum. Tex. 8.

IN hæc q. ut resolute vidoamus quæ sit natura materiæ. Ponemus aliquas conclusiones responsivas, deinde soluemus aliqua dubia.

Prima conclusio, materia est ens, in probatione huius non est immorandū, quoniam omnes recte sentiētes de materia tenent esse subiectū, ex quo aliquid sit, & quod subiicitur omni transmutationi, subiectū autem non est non ens. Præterea si materia esset non ens, cum diceretur aliquid fieri ex materia, fieret ex non ente, & sic productio naturalis esset ex nihilo, sumo enim non ens, ut distinguitur absolute contra ens.

Secunda conclusio, materia est ens reale, quod est substantia. 1. pars probatur, quoniam est pars substantiæ sensibilis, ut probabitur in lib. 8. & est subiectū omnis transmutationis physiciæ, ut probatū est in 1. physiciæ, & est primū receptivum formarū, constat autem quod hic non possunt convenire nisi enti reali apud recte sentiētes, ergo &c. secunda autem pars sic probatur, materiæ cum sit primū subiectum, repugnat esse in subiecto, ergo repugnat sibi esse accidens, ergo est substantia, patet consequentiā, quoniam ens reale sufficienter dividitur per substantiā & accidens, & adverte quod apud antiquos, hæc conclusio ita erat evidens, ut patet ex 1. de generatione, & ex 1. physiciæ, & in 7. metaph. tex. 8. quod arbitrabitur solam materiā esse substantiam, unde & Comment. in comment. 8. dicit. Materia videtur esse magis substantia quā alia.

Tertia conclusio, materia ita est substantia, quod tamen est in pura potentia, hæc conclusionem, ut sonat, omnes videntur concedere, quoniam apud Arist. & Comment. non aliud dicitur

SEPTIMI METAPHY.

de materia, nisi quod est ens in potētia, vnde in hoc 7. in text. postquam negat omnia prædicamenta à materia, quia scilicet non est aliquid eorum actu, concludit quod est vnum quodque eorum in potentia, & in 8. libr. in text. 15. dissoluens dubium, quomodo sit possibile ex materia & forma fieri vnum, per se dixit huius causam esse, quia materia est potentia, & forma est actus & c. verum quia Sco. & Grego. de Arim. tenent materiam esse quid actu, ne videantur tenere contra philosophum, Sco. inuenit vnā distinctionē de potentia, & aliam inuenit Greg. Sco. quidem, vt patet per Ant. And. in 7. metaph. q. 6. distinguit potentiam per obiectiuam & subiectiuam, & correspondenter distinguit actum per formalem & obiectiuū, & dicit philosophum intelligere materiam esse substantiam in potentia subiectiuā, non autem obiectiuā, immo est in actu obiectiuo, verū quia tota vis Scoti est in positione potentie obiectiue, quam impugnabimus in lib. 9. Ideo pro nunc differo arguere contra eum, si enim probabimus, quod ad mentē philosophi nō datur potentia nisi actiua & passiua, & quod non datur actus nisi formalis, cōstabit quod materia ita est ens in pura potētia secundū philosophū, quod nullo modo est actus, nec actu ex seipsa, sed omnē actualitatē habet à forma. Quid intēdat Sco. per potentiam obiectiuā & per actum obiectiuū, declarabimus in lib. 9.

Prætermissa igitur pro nunc opinione Scoti, aduertit quod Greg. in 2. sent. dist. 12. q. 1. art. 1. tenet, quod materia prima est actu existēs ex seipsa, ita quod est in actu existentie, & non solum in actu obiectiuo, vt tenet Scotus, & tamē ne videatur contradicere philosopho & Cōmen. tenet, quod est ens in pura potentia ad omnem formam, & ad sui declarationē ponit distinctionem de actu & de potentia, que fit in hoc. Aliquid est actu dupliciter, primo vt de illo verificatur propositio de inesse de secundo adiacente in præsentia, vt lignum est, per oppositum dicitur aliquid in potētia de quo verificatur propositio de possibili tantū, vt antichristus est possibilis, hæc autem est falsa, antichristus est, secundo aliquid dicitur actu, quod est perfectio in specie, simplex, vel cōpositum vel est perfectio que cuiuslibet cōstituit rem actu in specie determinata, sic omnes substantie cōpositæ & abstractæ, & formæ substantiales, dicuntur esse actu. Per oppositū illud est in potentia hæc secundo modo, quod non est perfectum in specie, sed est quasi essentia quedam partialis perfectibilis per aliam, sicut lignum, licet sit actu primo

QVAESTIO V.

modo, quia verum est dicere, lignum est, tamen in genere artificiatorum est in pura potentia, secundo modo, quoniam ex se nullam habet formam artificiati, sed est in potentia vt perfectiatur per hanc vel per illam, sic intendit Gregor. quod licet materia sit actu in genere existentis naturalis, eo quod hæc est vera, materia est, tamen est in pura potentia in genere informabilium, eo quod ex se nullam habet formam determinate speciei, sicut diximus de ligno respectu formarū artificialium, & hæc suam imaginationē conatur asserere duplici cōclusionē, prima est, quod materia est ens in actu, primo modo quo expositum est, secunda est, quod materia non est ens actu secundo modo, sed ens in potentia tantū, ex quibus conclusionibus nos concedimus secundā in hoc sensu, quod materia ex se nullam formam habet, sed est in potentia ad omnem formā quoniam si aliqua ex se haberet, non reciperet aliam. Receptiuū tantum debet esse denudatum à natura recepti, sed primam conclusionem per quam attribuit materię ex se actualem existentiam negamus, & intendimus nunc soluere rationes suas.

Dupliciter igitur arguit ad propositum suum sic, substantia corporalis per se subsistens naturaliter genita est, & existit, vt patet de forte, qui nunc est, & de planta que nunc est, & de lapide & c. ergo materia est, & per cōsequens est actu primo modo. Antecedens ad sensum patet, & cōsequens probatur. Omnis substantia naturaliter genita habet aliquam partem essentialē que præfuit suę generationi, & hæc non est forma, quoniam illa non est terminus generationis, ergo non præfuit, ergo talis pars est materia si præfuit, ergo fuit verū dicere, Materia est. Assumptum probatur, si nulla pars præfuit, ergo totum totaliter genitum est, ergo omnis pars eius simul genita est, ergo ex penitus non ente genitum est, ergo non naturaliter genitum, sed potius creatum, quoniam physice, ex puro non ente nihil fit.

Secundo sic, philosophus ponit materiā ingenerabilem & incorruptibilem, ergo materia est. Antecedēs patet, ex 1. phisic. cōsequētia probatur, si materia non est, & tamen non potest esse, ergo est generabilis, illud enim est generabile, quod nō habet esse, & tamē potest habere esse, cōsequēs autē est falsum secundū philosoph. ergo & antecedēs, ergo materia est, & confirmatur, quoniam Cōmen. in 4. meta. cōmen. 15. dicit, quod nō est actu, est non ens, sed materia non est non ens, ergo est actu primo modo.

SEPTIMI METAPHY.

Ad primam negatur consequentia. Ad probationem dico, quod assumptum potest habere duplicem sensum, primo quod aliqua pars praesuerit, ita quod ex se haberet esse actu, vel ex se existeret, & sic nego assumptum, secundo quod aliqua pars praesuerit, non quidem ex se existens actu, sed per formam praecedentem, à qua actuabatur, & post generationem per formam rei genitae, & sic concedo assumptum, sed nego illam consequentiam, si praesuerit ergo verum est dicere, Materia est. Haec enim consequentia non valet, nisi concedatur assumptum in 1. sensu, in quo nos negamus ipsum, & sic arguatur, quod totum est, puta ignis genitus: ergo partes suae sunt, inter quas est materia: ergo materia est. Respondetur, concedo consequentiam, sed nego quod partes sint eo modo quo est totum, nam totum est, quod est, & est per se existens, partes autem non sunt simpliciter, sed sunt in toto. Et propterea nego hanc, materia est, & concedo istam, materia est in toto, & non aliter.

Ad secundam nego consequentiam, ad probationem nego consequentiam, quoniam ad hoc quod aliquid sit generabile, oportet quod possit esse per se existens, unde Aristoteles dicit quod forma & materia non generantur, sed compositum, quoniam de eo proprie verificatur propositio de inesse de secundo adiacente, nullo aditro vel subintellecto. De materia autem & forma verificatur in hoc sensu. Materia est, scilicet in composito. Idem dico de forma.

Ad confirmationem, dico Commen. sic intelligere contra antiquos, quod non est actu, est non ens, id est non est ens determinatum, cum hoc tamen stat, quod sit ens interminatum, quia est in potentia ad terminum, id est ad formam, quae terminat id cuius est forma, & tale ens est materia. Tenendum est igitur materiam ita esse in potentia, quod nullo modo est actu ex se, neque in genere existentium, neque in genere informabilium.

Sed contra praedicta insurgit duo dubia, primo, si materia est ens in pura potentia, excludens omnem actum, tam obiectivum quam existentiam, videtur quod non distinguatur actu à forma. Omnis enim distinctio videtur fieri per aliquem actum: quoniam, ut dicit infra philosophus, actus est qui distinguit & separat: quare &c.

Pro solutione huius dubij, adverte secundum doctrinam Gregorij in 1. sen. dif. 12. q. 1. ar. 1. quod aliqua duo possunt dici distincta actu dupliciter, primo, quia mutuo se negant, ita quod unum non est

QVAESTIO V.

153

est alterum & econverso, secundo quia utrumque est separatum & discretum, ita quod utrumque habet primum esse, nec constituit aliquod unum, sicut sunt duo supposita. Ex hac distinctione dico materiam distingui actu à forma, non quidem secundo modo, sed primo. Nam si secundo modo, ex materia & forma non fieret unum per se, quoniam ut sic tam materia, quam forma essent completa entia in actu, nec haberent rationem entium particularium, sed ut duo supposita, ex his autem impossibile est fieri unum per se, ut dicitur infra, ubi philosophus concludit: ideo ex forma & materia fit unum per se, quoniam alterum est actus, & alterum est potentia. Quod autem primo modo fit actu distincta, probatur sic, sumo substantiam compositam, cuius materia sit a. & forma sit b. constat a. & b. esse aliquas entitates quoniam non entia, non potest esse partes componentes, & a. non est b. Aliter substantia composita non esset composita sed simplex. Omne enim compositum aliqua includit, quorum unum non est alterum. Tunc ultra a. non est b. ergo est aliud a. b. ergo diuersum, ergo distinctum, omnes consequentiae patent, quoniam ex 10. meta. ex. n. omne comparatum ad omne, aut idem, aut diuersum.

Ad arg. igitur dico, omnem distinctionem fieri per actum, sumendo distinctionem actualem, secundo modo, non autem primo modo, ut nunc loquimur. Potest etiam dici, quod in proposito fit per actum, non quod materia dicat actum, sed quia ordinatur ad actum.

Secundo dubitatur, quoniam si materia est ens in pura potentia, quare de potentia materiae, ut distinguitur à materia, aut non, si non, ergo cum remaneat eadem materia sub forma generanda, quae fuit sub forma corruptenda, sequitur materia adhuc esse in potentia ad formam abiectam à materia, quod est falsum, quoniam per agens naturale idem numero corruptum possit regenerari, si sic, ergo materia comparatur ad potentiam suam, ut subiectum ad formam, ex consequenti, non est ens in pura potentia, sed quid aggregatum ex substantia materiae & potentia sua.

Ad hoc dubium respondebitur in lib. 2. ubi ex proposito investigabimus, quomodo se habet potentia ad materiam, an sit substantia vel accidens, an distinguatur, vel non, an dicat respectum, vel absolutum. Haec pro praesenti quaesito dicta sint.

Questio 6. Si praedicata tantum essentialia, constituunt quod quid est, substantiae compositae, ita quod excludantur om-

SEPTIMI METAPHY.

na prædicata accidentalialia, tam communia quam propria.

Et primo dicemus quædam de eo
logice. Tex. II.

In hac quæstione procedemus. Primo declarabimus quid philosophus intendat per quodquid est. Secundo ponemus conclusionem responsum. Tertio soluemus quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod vno modo sumitur à logico, alio modo à metaph. nam à logico sumitur pro diffinitione indicante rei naturam, data per genus & differentiam propriam, qualis est hæc, homo est animal rationale. A metaph. autem sumitur pro significato diffinitionis, quod est ipsa quidditas siue essentia rei, sumpta in concreto, puta id quod ex parte rei correspondet diffinitioni hominis, est quodquid est hominis metaphysicum. Dico autem, sumpta in concreto, quoniam quodquid est prædicatur in recto de eo cuius est, quidditas autem in abstracto non prædicatur in recto de eo cuius est, non enim homo est humanitas, nam est id quo, & non quod est homo, & quoniam Arist. proponit in text. II. loqui de quodquid est logice, ideo constat quod sumit ipsum pro diffinitione, pertractas que prædicata ingrediuntur ipsum quodquid est.

Quantum ad secundum, pono vnicam conclusionem responsum suam, nullum prædicatum quod sit accidens commune nec proprium, ingrediuntur quodquid est est substantiæ sensibilis compositione, probatur, sicut quodquid est substantiæ sensibilis prædicatur essentialiter & quidditarius de ea, sic & quælibet pars eius, quoniam quodquid est indicat essentiam. Sed nullum accidens siue commune siue proprium, prædicatur essentialiter de substantia sensibili, quoniam quodcumque accidens, dicitur aliam essentiam ab essentia accidentis, ergo &c. Præterea, siue prædicatis ingredientibus quodquid est, non potest intelligi id cuius est. Sed sine prædicato sumpto ab accidente, siue communi siue proprio, potest intelligi id cuius est, quoniam substantia est prior accidente ratione & cognitione, saltem confusa, ut determinatum est supra, ergo, &c. Præterea, sicut quodquid est prædicatur in quid de eo cuius est, ita & quæ ingrediuntur in quodquid est. Sed nullum prædicatum sumptum ab accidente, siue communi, siue proprio, prædicatur in quid de substantia sensibili, sed potius in quod ut cum queritur qualis est homo, respondetur quod est albus, quod est sensibilis.

QVAESTIO VI.

154

Patet ergo, quod si quodquid est substantiæ sensibilis, vere & proprie assignatum fuerit, nullum accidentale prædicatum est ingrediens quodquid est, sed sola prædicata primi modi per se, quæ dicuntur quidditarius, ex quo sequitur corollarie, quod diffinitiones datæ per propria accidentia, siue per proprias operationes, non sunt vere quodquid est, nisi utramur huiusmodi loco propria differentia.

Quantum ad tertium aduerte, quod hæc determinatio videtur repugnare doctrinæ philosophi, nam ipse in 2. phy. text. 19. assignans differentiam inter phys. & mathem. dicit, quod mathematicus diffinit sine materia sensibili, physicus autem in diffinitione assumit materiam sensibilem, quæ constat esse subiectam qualitatibus, ut caro, os, nervus, ergo in quodquid est physico ingrediuntur accidentia.

Præterea, si accidentia propria non ingrediuntur ipsum quodquid est, non magnam partem conferunt ad cognoscendum quodquid est, id est rei quidditatem, quod est contra philosophum in proemio primi de anima.

Ad primum conceditur totum, usque ad vltimam consequentiam. Aliud est enim, materiam subiectam qualitatibus ingredi quodquid est, & qualitates siue accidentia ingredi, primum enim est verum, non ratione qualitatibus, sed ratione materiae, non abstrahentis à qualitatibus, secundum autem est falsum, quoniam non potest verificari nisi ratione qualitatibus, quæ non sunt de essentia substantiæ physice. Materia autem subiecta qualitatibus est de essentia eius, ideo non est par ratio.

Ad secundum nego consequentiam, nam ideo conferunt, non quia ingrediuntur quodquid est, sed quia phys. cognoscit rem naturalem à posteriori, & ut sic videtur propriis operationibus, ac propriis accidentibus loco differentiarum, & propter hoc physicus quasi nullam format veram diffinitionem. Hæc de presenti quæsito dicta sint.

Quæstio 7. si dicendo natus sumus committitur nugatio.

Est autem & alia dubitatio de eis. Tex. 16.

In hac quæstione aduerte in primis, quod philosophus inuestigans si accidentia propria, quæ vocat accidentia copulata,

habent quodquid est, arguit quod non, quia cum huiusmodi accidentia non possint intelligi sine proprio subiecto, semper committitur nugatio, ut dicendo nasus simus, nam in simo intelligitur nasus, est enim simus, nasus concavus. Dicendo ergo nasus simus, idem est ac si diceretur, nasus, nasus concavus. Ad evidentiam igitur propositi dubij, sic procedemus. Primo probabitur, quod non committitur nugatio. Secundo assignabitur, ratio quare non committitur. Tertio solvemus quoddam argumentum.

Quantum ad primum sic probatur intentum, si hic committitur nugatio, hoc ideo est, quia non potest intelligi simus sine naso, sed hæc non est sufficiens ratio, aliter sequeretur, quod cum non possit intelligi relatiuum sine suo correlatiuo, quod committeretur nugatio, dicendo, Dominus serui, pater filij, nam in domino intelligitur seruus, & tamen nullus recte sentiens dicit negationem in huiusmodi relatiuis committi, ergo nec in proposito.

Quantum ad secundum aduerte, quod duplici ratione non committitur nugatio, dicendo nasus simus, dato quod nasus sit de intellectu simi. Primo, si in ratione simi. Primo, si in ratione simi ingrederetur nasus, ut quid essentialiter & sibi intrinsecum, sicut animal ingreditur rationem hominis, non esset via effugiendi negationem, sed quia ly nasus, est quid extrinsecum à simo. Dicit enim nasus substantiam, & simum accidens, & ingreditur rationem simi, sicut subiectum rationem accidentis, quod tamen est extrinsecum ab accidente, ideo dum dicitur, simus, non oportet replicare nasum, sunt enim essentialiter & intrinsece idem, simitas & concanitas, & non differunt, nisi ut contractum & non contractum, dicemus ergo, quod nasus simus est nasus curuus, quia in ly simo non intelligitur nasus, ut quid intrinsecum, sed ut extrinsecum, & si dicas, quod subiectum est de diffinitione proprii accidentis, ergo est sibi intrinsecum, negatur consequentia, quia accidens proprium, non diffinitur, nisi per additamentum, & ideo non inconuenit, quod per extrinsecum diffiniatur, secus esset de diffinitione substantiæ, quæ est diffinibilis per prædicata essentialia. Secundo dicitur, quod ideo, non committitur nugatio, dicendo nasus simus, quia ly simum non significat essentialiter & primarie nasum, sed essentialiter curuitatem, connotando nasum, per solum autem connotatum non committitur per significatum essentialiter, ut dicendo homo animal. Patet.

igitur quod sicut non committitur nugatio dicendo homo risibilis, sic nec dicendo nasus simus.

Quantum ad tertium aduerte, quod inter omnia argumenta quæ solent fieri contra determinata, hoc est præcipuum, sumo diffinitionem simi, quæ est hæc, simus est nasus concavus, tunc sic, loco simi, sumatur diffinitio eius, & applicetur naso, & nasus cum diffinitione simi prædicetur de Sorte, tunc manifesta erit nugatio. Dicitur enim sic, Sortes habet nasum concavum, ergo &c.

Ad hoc, dico, quod loco simi non potest sumi diffinitio eius nec illa propositio est vniuersaliter vera, qua dicitur quod sent per loco nominis potest poni diffinitio. Hoc inquam non est verum, nisi de diffinitionibus datis per essentialia & intrinseca aliter esset impossibile dare diffinitionem proprii accidentis sine negatione. Quando ergo queritur, quid est nasus simus, respondendum est, quod est nasus concavus, & non debet replicari nasus quia non significatur, sed connotatur per simum. Hæc de præfenti quæstio dicta sunt.

Quæstio 8. si quodquid est, est idem cum eo cuius est.

Singulum enim non aliud videtur esse, & à suæ substantia. Text. 20.

IN hac quæstione aduerte in primis quod philosophus comparat hic quoquid est ad id cuius est absolute, & non descendens ad aliquod genus entium, dummodo sit ens per se, & id dico, quod nisi infra text. 41. excipiet à determinatione quæ facit non solum entia per accidens, sed etiam omnes substantias materiales, & conceludet quod in solis separatis est idem penitus quodquid est, cum eo cuius est. Et quoniam id non aduerterit Landinus, & Ant. And. ideo præsentem quæstionem confunderunt volentes comparare quodquid est, & id cuius est non absolute, sed in particulari secundum diuersa genera entium. Nos autem id faciemus infra in text. 41. ubi comparabimus ea secundum viam b. Tho. secundum diuersa genera substantiarum. Hic autem queremus absolute in entibus per se, & sic procedemus. Primo ponemus tres distinctiones. Secundo aliquas conclusiones. Tertio solvemus duo argumenta.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio, entium quodlibet per se, quoddam per accidens, ens per se est quodcumque genus & species & indiuiduum cuiuscumque prædicamenti, siue sit simplex siue compositum, ens per accidens est aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum, ut homo albus, superficies colorata.

SEPTIMI METAPHY.

Secunda distinctio aliqua sunt idem realiter tantum, & distincta ratione, ut genus & differentia, aliqua sunt idem re & ratione ut homo & animal rationale.

Tertia distinctio, aliqua sunt idem ratione ex parte rei tantum & non ex parte intellectus, & sunt illa quae dicunt eandem praecise naturam, super quam fundat intellectus vnicam conceptam, & ut sic dicuntur esse idem ratione metaphysicali. Cum hoc tamen stat quod intellectus negocians circa illa potest diuersimode recipere & nominare illa, puta licet homo & animal rationale sint idem ratione metaphysicali, tamen intellectus potest concipere hominem in quantum est species, & in quantum est diffinitum & animal rationale in quantum est diffinitio, & ut sic, in quantum est prius cognitione ipso homine, & ut sic apprehenduntur ab intellectu, dicitur distincta ratione, non ex parte rei, sed ex parte intellectus conferentis vnum, ad alterum aliqua sunt idem ratione ex parte rei & ex parte intellectus, ut omnino sinonima, ut tunica & vestis, Marcus Cicero.

Quantum ad secundum sit haec prima conclusio. In ente per accidens, puta in homine albo, quodquid est non est idem cum eo cuius est. Hec patet, quoniam ens per accidens ut sic non potest diffiniri, omnis enim vera diffinitio significat vnum per se, cum constet ex genere & differentia quae dicunt vnam naturam, ut declarauimus in 3. lib. Sed ens per accidens ut sic non dicit vnam naturam, immo plures, cum sit aggregatum ex rebus diuersorum praedicamentorum, ergo &c. Praeterea cum quaelibet natura quae est ens per se, habeat suum proprium quodquid est, necesse est ut quodquid est hominis sit aliud a quodquid est albedinis: ergo impossibile est assignare vnum quodquid est, quod sit idem cum homine albo.

Secunda conclusio in ente per se. Quodquid est, est idem realiter cum eo cuius est. Ad probationem huius praetermissa ratione, quam adducit philosophus in textu, quae & formauimus in epitomi nostra, assumo rationem philosophi ex 4. lib. tex. 3. vbi intendens probare, ens & vni esse idem realiter sic arguit. Quaecumque praedicantur de aliquo, & nullam diuersitatem faciunt in eo, sunt idem realiter. Haec est euidentis, quoniam haec duo non stant simul, nullam diuersitatem faciunt, & sunt distincta realiter. si enim nullam diuersitatem faciunt, non sunt diuersa nec distincta. Sed in ente per se, quodquid est, & id cuius

QVAESTIO VIII.

198

est, praedicatur de aliquo, puta homo & animal rationale, praedicantur de Sorte & nullam diuersitatem faciunt in eo. Nam sicut homo praedicatur in quid de Sorte, sic & animal rationale, ex quo sequitur, quod sicut homo & animal rationale sunt idem re in Sorte, sunt etiam idem re inter se.

Tertia conclusio. Quodquid est & id cuius est sunt idem ratione ex parte rei, licet non semper ex parte intellectus. Prima pars sic probatur, eadem praecise natura & secundum eundem modum obiectiue correspondet intellectui per ipsum quodquid est, & per illud cuius est, ut patet de homine, & de animali rationali. Nam illud praecise quod concipit intellectus de homine, concipit de animali rationali: ergo quantum sit ex parte rei sunt idem ratione metaphysica, quodquid est, & id cuius est, secunda autem pars manifesta est, quoniam intellectus enunciat aliquid de eo cuius est, quod non verificatur formaliter de quodquid est. Nam haec est vera. Id cuius est, est species vel genus, & tamen quodquid est non est genus nec species, sed quid compositum ex genere & differentia, ergo &c.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta inter caetera quae solent fieri contra determinata. Primo dicit philosophus in 3. de anima text. 9. & aliud est magnitudo, & magnitudinis esse, & aliud est aqua, & esse aqua. Sed per esse magnitudinis & per esse aqua, secundum omnes expositores, intelligitur quodquid est magnitudinis & aqua: ergo in his quae sunt entia per se, non est verum vniuersaliter, quodquid est & id cuius est sint idem. Nam & magnitudo & aqua sunt entia per se.

Ad hoc, relictis aliorum responsionibus dico secundum b. Tho. exponente dictum textum, quod in tex. 4. huius 7. lib. purgabit determinationem factam hic, & declarabit, quod in omnibus habentibus formam in materia, qualia sunt naturalia & mathematica, non est idem, quodquid est, & id cuius est, propter principia indiuiduantia & accidentia, quae excluduntur a re, cuius est quodquid est, vnde concedo quod non est idem, aqua & quodquid est aqua, & similiter in magnitudine, & cum infertur: ergo in his quae sunt entia per se non est verum vniuersaliter, concedo consequentiam, quoniam non intendit hic philosophus probare, quod in omni ente per se, est idem quodquid est, & id cuius est. Sed intendit absolute, id est, quod in his quae sunt per se, non repugnat inuenire identitatem inter quodquid est, & id cuius. Repugnat autem in his quae sunt entia per



SEPTIMI METAPHY.

accidens, quoniam in nullo genere, siue modo entium per accidens sunt idem, in aliquo autem genere entium per se, puta in immaterialibus, sunt idem.

Secundo, si quodquid est, & id cuius est sunt idem, est processus in infinitum in quidditatibus, cuius oppositum probatum est in lib. 2. consequentia probatur, vt probat Commentar. secundum opinionem quorundam sophistarum in comment. 21. sumo hominem, & quidditatem hominis, & arguo sic, sicut homo habet quidditatem, & quidditas hominis habet quidditatem si enim aliqua duo sunt idem, sicut vnum habet quidditatem: & reliquum, sed per te homo & quidditas hominis sunt idem, ergo &c.

Tunc quero de quidditate hominis, aut est idem cum sua quidditate, aut non, si non, ergo pari ratione homo & quidditas sua non sunt idem, si sic, sumo quidditatem quidditatis hominis, cum & ipsa habeat quidditatem, eadem ratione, qua quidditas hominis habet quidditatem, & quero vt prius, aut est idem cum sua quidditate, aut non, si non, pari ratione dicendum erat in principio, si sic, iterum quero vt supra, & sic procedam in infinitum.

Ad hoc facile responderetur secundum viam nostram, & nego consequentiam, ad probationem, nego quidditatem hominis habere quidditatem, & vt loquamur in proposito, sumo quidditatem pro quodquid est logice, quod est ipsa definitio, nam definitionis non est definitio, & cum probatur si aliqua duo sunt idem &c. dico hanc propositionem non esse vniuersaliter veram, aliter sequeretur quod sicut genus habet differentias ita differentia haberet differentias, nam genus & differentia sunt idem essentialiter, & tamen hoc est falsum, vt patet. Hæc de presenti quæstio dicta sunt.

Quæstio 9. Si materia est pars quidditatis
substantiæ compositæ.

Quidditas hominis est homo, vno modo, & non est
homo alio modo, est homo, id est, forma homi-
nis, & non est homo, qui est congregatus
ex materia & forma. Hæc Commen-
tator in commentis 21.

QUAESTIO IX.

157

In hac q. duas inuenio sententias extremas, vna est Commēta. & Commentistarum, alia est b. Tho. & Scotti. & vt ordiāte procedamus, Primo pertractabitur opinio Comment. Secūdo opinio b. Tho. & Scotti. Tertio soluemus rationes & fundamenta Commentar. & sequentium eum.

Quantum ad primum aduerte quod, vt patet in comment. 21. Commentar. soluens rationem sophistarum, qua probatur quod si quodquid est, est idem cum eo cuius est, erit processus in infinitum in quidditatibus, dicit quod quidditas hominis est homo vno modo &c. vt allegatum est, & sic intendit Commentator, quod si quidditas hominis esset idem quod homo aggregatus ex materia & forma, tunc quidditas haberet quidditatem, & sic in infinitum. Sed quia quidditas hominis est homo secundum formam tantum, & forma non habet quidditatem, cum sit ipsa quidditas, sed ipsum compositum ex eo enim quod habet formam, habet quidditatem, ideo non proceditur in infinitum, & sic Commenta. determinat, quod sola forma est tota quidditas substantiæ compositæ, & dicitur Commentar. ita, vt laudum. in 7. q. 12. quod licet secundum Commentato. materia non sit pars quidditatis, est tamen pars substantiæ compositæ, & si quæras, quomodo materia se habet ad quidditatem, si non est pars, respondent quod est differens quidditatem, quæ est sola forma, eo quod talis quidditas non esset, nisi sustentaretur à materia in qua recipitur, & sic secundum Commentato. quodquid est, quod est significatum definitionis, importat solam formam, quæ est forma partis. Hæc fuit sententia Commentator. entus fundamenta adducemus & soluemus, in fine quæstionis.

Quantum ad secundum aduerte, quod sententia b. Tho. & Scotti est, quod in substantia composita sunt due formæ realiter distinctæ, scilicet forma partis vniuersalis materiæ, & quæ est perfectio materiæ, puta in homine est anima, quæ est actus corporis, & est forma totius, quæ resultat ex vnione formæ partis cū materia, ita quod in sui ratione includit formam & materiam & differt à forma partis, sicut compositum à simplici, puta in homine, forma totius est humanitas, quæ non est sola anima, sed quid resultat ex materia & forma hominis, & hanc formam totius, dicit quidditatem siue essentiam, quæ licet significet per modum partis, tamen in rei veritate, non est pars, aliter esset forma simplex, ex consequenti essent in homine due



SEPTIMI METAPHY.

formæ partis, quod non admittitur in via nostra. Et quidem hæc sit mens b. Tho. patet in 4. contra gentes in ca. 81. ubi sic inquit, dicunt quidam quod forma partis eadem est cum forma totius, sed dicitur forma partis secundum quod facit materiæ esse in actu, forma vero totius dicitur, secundum quod cõplet rationem speciei, & secundum istos humanitas non est aliud quàm anima rationalis. Sed quia humanitas est essentia hominis, essentia autem rei est quam significat definitio. Definitio autem rei naturalis nõ significat solam formam, sed formam & materiam, necesse est, qd humanitas significet aliquid compositum ex materia & forma, sicut homo. Differentem tamen, nam humanitas significat principia speciei essentialia, ram materialia quàm formalia, cum præcisione principiorum individualium. Dicitur enim humanitas secundum quam aliquis est homo: homo autem nõ est aliquis ex hoc quod habet principia individualia, sed ex hoc qd principia essentialia speciei. Humanitas igitur significat sola principia essentialia speciei. Vnde significat per modum partis. Homo autem significat quidem principia essentialia speciei, sed non excludit principia individualia à sui significatione: homo enim dicitur, qui habet humanitatem, ex quo non excluditur quin alia habere possit: & propter hoc homo significat per modum totius. Hæc ille, ex quibus constat essentiam siue quidditatem rei compositæ naturalis, non esse, nec significare solam formam, sed formam & materiam. Declarata igitur positione b. Tho. à quam non discordat Scotus, ut patet per Ant. And. in hoc lib. 7. quest. 12. pono hanc conclusionem. Materia quæ est pars potentialis in substantia composita, accepta absolute, & non contracta ad materiam individualement, pertinet ad quidditatem specificam, & probò sic. Quod est essentia & quidditas alicuius, illud est sufficiens ratio intrinseca essendi illi cuius est essentia, circumscripita quacunque alia re realiter differente ab eo, sed secundum te forma sola hominis puta anima, est tota essentia & quidditas hominis, ergo sola anima est ratio sufficiens intrinseca homini essendi hominem, ergo homo est homo sine materia, quod est absurdum. Minor quidem est positio tua. Maior autem patet, quoniam, albedo est sufficiens ratio superficies, essendi albam, ergo multo magis quidditas & essentia est ratio sufficiens essendi tale ens, ei cuius est essentia.

Præterea. Cuius essentia non pendet, nec causatur à materia

QVAESTIO IX.

158

in genere causæ materialis, nec illud cuius est essentia, pendet à materia, nec causatur ab ea in genere causæ materialis. Sed per te essentia, quidditas substantiæ compositæ naturalis non pendet nec causatur à materia in genere causæ materialis, quoniam secundum te, materiam non ingreditur quidditatem illius, ergo nec substantia naturalis composita causatur à materia in genere causæ materialis, quod est falsum, quoniam materia non esset causa, nec pars substantiæ naturalis compositæ, cuius oppositum tenet hæc positio, ut dicimus supra. Minor quidem est positio tua. Maior autem patet, ex eo quod secundum philosophum quidditas est idem cum eo cuius est quidditas, ergo si vnum est in causarum à materia, & reliquum.

Quantum ad tertium adverte, quod fundamenta opinionis Cõment. & sequentiũ, cum stant in duobus, primo quia si substantia composita haberet quidditatem constantem ex materia & forma, esset processus in infinitum in quidditatibus, quod reprobatur in 2. libro metaphy. Contrariam autem probant, ut nos probauimus in q. præcedenti.

Sed qd hæc ratio nihil valeat in via nostra, iam manifestauimus in q. præcedenti, ubi soluimus eam, ut videre poteris.

Secundo fundat se super dicta philosophi, qui in diuersis locis loquens de forma, appellat eam quodquid est, & quodquid est esse, vnum in hoc lib. 7. in tex. 10. inquit. Quoniam autem in principio diuisimus quod modo determinauimus substantiam, & horum quidem vnum videtur esse quodquid est esse, speculandum est de ipso, & per quodquid est esse intendit formam, ergo forma est ipsa quidditas, & in tex. 11. inquit. Quod autem ut species & forma, quodquid est esse, & in 2. de anima. tex. 8. dicit, quod anima quam, constat esse formam est quodquid est esse corporis, & ita in omnibus locis vbicunque loquitur de forma, ut est causa distincta ab aliis generibus, causarum, appellat eam quodquid est esse. Quod utique non faceret, nisi pro constanti haberet, quod forma est tota quidditas in substantiis compositis.

Sed nec ex his auctoritatibus Cõmentiste possunt concludere intentum, quoniam philosophus, cum dicit formam esse quodquid est esse, nõ aliud intedit, nisi quod cum à forma sumatur propria differentia, quæ est principalior pars definitionis, & cõpletina eiusdem, potest dici appropriate, sed non simpliciter, quod est quodquid est siue quidditas, sicut & aliquando apu d



SEPTIMI METAPHY.

philosophum anima dicitur homo, quia est principalior pars in eo. Nam quod est principalius in aliquo dicitur esse illud. Hæc de præfenti questione dicta sufficiant.

Quæstio 10. Si genita ex putrefactione possunt dici genita à casu.

Horum autem quædam sunt & à casu & à fortuna, similiter vt in factis à natura. Tex. 22.

In hoc quæstione duas opiniones. Prima est b. Tho. exponens præpositum tex. Secunda est Iandu. in hoc 7. in q. 13. procedimus igitur sic. Primo pertractabimus opinionem b. Tho. Secundo opinionem Iandu. & soluemus rationes suas. Tertio declarabimus, quomodo vane & extorte exponit propositum textum philosophi.

Quantum ad primum aduerte, quod mens b. Tho. est quod generata ex putrefactione comparata ad diuersa, possunt dici genita per se, & genita à casu, nã sicut se habet sanitas causata per confricationem, ita animalia genita per putrefactionem, sed sanitas causata per confricationem est causalis, & per se causata, nam respectu confricantis est causalis, non enim principaliter intendit sanitate, sed depellere pruritum, si autem comparatur ad virtutem regitiuam animalis sic se per se à virtute regitiua, quoniam confricatio exercit calorem, & calor est pars sanitatis, sic dicendum est de animali genito ex putrefactione, quoniam si comparatur ad calorem putredinalem, sic à casu, quoniam calor ille extrahendo humidum, non intendit generationem animalis, si autem comparatur ad virtutem cæli, quæ est regitiua totius vniuersi, sic producit per se, quia virtus cælestis intendit producere omnes formas, quæ sunt in potentia materie, & ideo illas formas quæ potest per se solam producere producit per se, sed quia materie quorundam, vt animalium perfectorum maiori indigent dispositione, quam virtus cælestis possit facere, ideo non immediate producit omnes formas, puta animalium perfectorum. Hæc est intentio b. Tho.

Quantum ad secundum aduerte, quod Iandu. in hoc 7. in q. 13. tenet à casu animalia generata ex putrefactione non possunt dici genita q, & dicit hanc fuisse mentem Arist. & Comen. Nam Comen. in comen. 22. dicit, quod nulla species sit à casu, constat autem q, animalia generata ex putrefactione sunt species, vt mus, rana, mus, ergo &c. Corroborat autem intentum suum ratione sic

QVAESTIO X.

159

Quod sit in tempore determinato, & à causa determinata non sit à casu, quoniam istæ conditiones repugnant casui, ex 2. physic. Sed animal generatum ex putrefactione sit in tempore determinato, vt quando generans appropinquat materie disponendo eam, & educendo formam de potentia eius, & sit à causa determinata, vt à constellatione determinata, quæ agit per calorem putrefacientem, vt per instrumentum, ergo &c.

Præterea. Quod producit vt in pluribus non est à casu, vt patet in 2. physic. Sed animalia generabilia ex putrefactione, producantur ex putrefactione, vt in pluribus, vt patet de vermibus & de muscis, ergo &c. Præterea. Quod potest agens minoris, virtutis potest etiam agens maioris virtutis, dummodo habeat causalitatem & proportionem super effectum. Sed agens particulare puta mus generans, potest per se producere muræ, ergo & cæli quod est agens vniuersale & maioris virtutis, potest per se producere, ergo non erit à casu. Dixi dummodo habeat &c. propter animalia perfecta, super quorum generationem, cæli non habet plenam causalitatem & proportionem, nisi concurreret agens particulare, quoniam non solus sol, sed cum homine generat hominem.

Hæc est positio Iandu. & quoniam intendo sustinere mentem b. Tho. ideo volo soluere quæ adducta sunt, & primo ad dictum Comen. licet possem ipsum negare prout contrariari videtur menti b. Tho. tamen sic declaro ipsum Comen. intelligit nullam speciem fieri à casu secundum se totam, cum hoc tamen fiat, aliqua illius individua fieri à casu, & dato quod omnia illius individua fieret à casu, non tamen simpliciter à casu, quoniam comparata cælo, vt diximus supra, non sunt à casu sed per se, nec oppositum huius dicit Commentator.

Ad primam rationem nego minorem respectu caloris putredinalis, concedo autem eam, respectu virtutis cælestis regitiue omnium quæ sunt in hoc mundo inferiori. Vnde si hæc ratio aliquid concludit, concludit huiusmodi animalia, habere tempus & causam determinatam respectu cæli, & respectu illius non fieri à casu, cuius cõterariu non tenet b. Tho. vt patet supra.

Ad secundam dico eodem modo. Ad tertium patet quod concludit respectu cæli, cum hoc tamen fiat quod sint à casu respectu caloris putredinalis, qui habet rationem agentis particularis.

Quantum ad tertium aduerte, quod Iandu. exponens textum philosophi præpositum quæstioni sic dicit. Arist. non vulg

SEPTIMI METAPHY.

dicere in litera, quam pro se allegat, quod sicut aliqua possunt generari ab arte & a casu, ut sanitas, sic aliqua animalia possunt fieri a natura & a casu. Sed tantum vult dicere, quod sicut contingit diuersitas in illis, quod aliqua sanitas fit ab arte, & aliqua a casu, sic etiam diuersitas contingit in factis a natura, quia aliqua animalia sunt per putrefactionem, & aliqua per propagationem.

Sed hæc expositio penitus extorta est, quoniam cum dicit philosophus, similiter ut in factis a natura, ly similiter refert, id quod prædixerat scilicet a casu & a fortuna, & non refert diuersitatem productionis ex semine & sine semine. Nam de huiusmodi diuersitate nondum mentionem fecerat. Sed incipit de ea agere in tex. 23. Et aduerte quod causa erroris Iaudu. fuit, quia secutus est expositionem Commen. in fine commen. 22. quæ expositio videtur parum valere, quonia tex. arabicus non concordat cum græco. Nam in arabico non ponitur aliqua similitudo, nec ponit hunc terminum similiter, ideo expositio b. Thom. est proprie ad mentem philosophi. Hæc de præfenti quaestio dicta sint,

Quaestio 11. Si omnia producta ex semine possunt
produci sine semine, & si producta sine se-
mine sunt eiusdem speciei, cum
productis ex semine.

Quædam enim & illic eadem & ex sper-
mate, & sine, Tex. 23.

IN hac q. primo pertractabitur prima pars, deinde secunda ad euidenciam primæ partis. Primo pertractabitur opinio Auic. Secundo opinio contrariæ Auic. Tercio opinio philosophi & Commen. quam sequitur b. Tho. in hoc 7. libro in tex. præposito.

Quantum ad opinionem Auic. aduerte, quod ut sibi imponit Comment. in 8. physic. commen. 46. & quem videtur sequi Albertus in 3. libro meteo. opinatus est omnia animalia tam perfecta quam imperfecta posse generari, non solum ex semine, sed etiam sine semine, vnde ut recitat Commen. in 8. physic. comen. 46. opinatus est, homines post diluuium genitos fuisse ex terra per virtutem & determinatum aspectu stellarum, & qui sequuntur Auic. conantur probare intentu suum sic, Quod

QVAESTIO XI.

160

potest virtus inferior potest virtus superior, & etiam amplius. Sed agens particulare, ut homo, licet sit virtutis inferioris, potest generare hominem, & equus equum, ergo multo magis coelum, quod est superioris virtutis. Præterea, corporea caelestia secundum varios & determinatos aspectus produciunt inferiora, ergo secundum quod aspectus est magis aut minus nobilis, sic produci poterit animal magis aut minus nobile, ergo sicut secundum aspectum parum nobilem produciuntur a coelo animal imperfectum, ut rana, sic secundum aspectum magis nobilem produci potest animal perfectum, puta leo & secundum aspectum nobilissimum, animal perfectissimum ut homo. Hæc est positio Auic. & sequentium eum, contra quam arguemus pertractantes mentem Arist. & Commen., & b. Tho. & soluemus rationes adductas pro opinione Auicennæ.

Quantum ad opinionem contrariam Auic. aduerte, quod aliqui tenent, non solum animalia perfecta, sed nec imperfecta posse produci sine semine, eo quod arbitrantur vnumquodque de necessitate in naturalibus produci a sibi simili, sicut videtur etiam dicere Arist. in hoc 7. libro. Sed hæc positio repugnat sensui, videmus enim ex cadauere generari diuersa animalia, fatuum autem esset dicere, animalia generantia ex quibus decisum fuisset semen, præexistisse in cadauere. Repugnat etiam philosopho in hoc 7. libro in tex. 23. qui expresse dicit quedam illic in naturalibus eadem & ex spermate, & sine.

Quantum ad opinionem philosophi & Commen. & b. Tho. aduerte, quod est opinio media inter Auic. & contrariam Auic. Tenent enim quedam generari cum semine, ita quod non possunt generari sine semine, ut animalia perfecta. Quædam autem cum semine, & etiam sine semine, ut animalia imperfecta, & quidem secunda pars non indiget probatione, quoniam ut diximus, ad sensum patet, sicut de rana in æstate, dum post multum cauma, & longam siccitatem, videmus cum pluuia, aut parum post, ranas peue infinitas saltantes in via, & mures genitos in naui, & formicas genitas ex vino, & muscas egredientes ex sepulchris. Prima igitur pars probatur rationibus sumptis ex Commentario, qui in 8. physicorum, comen. 46. arguens contra Auicem, innuit tres rationes, quarum primam relinquimus, quæ stat in hæc consequentia, si homo posset generari ex semine & sine, puta ex terra: ergo homo genitus ex terra, non esset eiusdem speciei cum homine genito ex semi-

SEPTIMI METAPHY.

ne. Hanc autem consequentiam negaret b. Tho. vt manifesta-
bitur in parte 2. huius questionis, & ideo primam rationem
Comment. relinquimus. Secunda ratio, si homo potest generari
ex terra aut erit necessarium aut contingens, non necessarium,
quia non posset aliter esse nec fieri, ex consequenti non posset ge-
nerari homo ab homine, cuius contrariu videmus consequen-
tia patet, quoniam necessarium est quod non potest aliter se habe-
re, si contingens, aut vt in pluribus aut vt in paucioribus, non vt
in pluribus, quoniam videmus oppositum. regulariter enim homo
est ab homine, non vt in paucioribus, quoniam quae in natu-
ralibus vt in paucioribus sunt, non naturaliter sunt, sed potius
monstruose, precipue in animalibus, igitur homo generus ex
terra, non naturalis, sed potius monstruosus homo dicendus esset.

Tertia ratio si homo & alia animalia perfecta possunt pro-
duci sine semine, non essent necessariae propriae & dispositae ma-
teriae, correspondentes propriis formis, quod est falsum quoniam
naturaliter proprius actus recipitur in propria & deter-
minata materia. Consequencia autem patet, quoniam si forma pura
equi potest actuare materiam aliam puta terream, & non solum
dispositam ex semine equi, manifestum est propriam materiam
non esse necessariam, ex consequenti auferretur naturalis ordo
in generationibus physicis. Tenendum est igitur animalia per-
fecta non posse produci sine semine, quia cum sint nobiliora
animalibus imperfectis, plura requiruntur ad eorum produ-
ctionem, & ideo licet caelum cum calore putrescente sufficiat
ad imperfectorum generationem, non tamen ad genera-
tionem perfectorum.

Respondentes igitur ad rationes inductas pro opinione Au-
icennae ad primam dicimus, quod maior non est vera, nisi quando
virtus inferior & superior sunt virtutes totales & disparate po-
tens habere causalitatem super eundem effectum, verbi gra-
tia. Quicquid potest comburere ignis vt decem, potest combure
re ignis vt viginti. Constat autem quod a gens particulare vt
homo, & vniuersale vt caelum, non se habent in generatione
hominis, vt duae virtutes totales, sed partiales, & ideo nihil
concluditur.

Ad secundam, si antecedens intelligatur, quod corpora ce-
lestia secundum varios aspectus producit vel producere pos-
sunt per seipsa omnia inferiora, negamus ipsum, si autem in-
telligatur quod mediantribus agentibus secundis secundum
varios

QVAESTIO XI.

161

varios aspectus producant inferiora, totum concedimus, quia
nihil aliud concluditur, nisi quod in eadem specie, puta huma-
na caelum secundum nobilem aspectum, concurrente homine
generante, potest producere nobilem hominem, & secun-
dum nobiliorem, nobiliorem, & secundum nobilissimum,
nobilissimum, semper tamen, concurrente generante par-
ticulari.

Ad euidenciam secundae partis aduerte quod Commenta.
tenet partem negatiuam & b. Thom. ac Scotus partem affirma-
tiuam primo igitur pertractabitur opinio Commenta. secun-
do opinio b. Thomae, & Scoti. tertio mouebo dubium in doctri-
na b. Tho. & soluum.

Quantum ad primum aduerte quae Commen. in 8. physic. in
commen. 46. arguens contra Auicennam, vt visum est in q. pre-
cedenti, tener quod si daretur homo generus ex terra, vt dicebat
Auicenna, & homo generus ex semine, de vtroque diceretur ho-
mo equiuoce, & non essent eiusdem speciei specialissime quod
sic probat. Materia propria distincta specie ab alia materia
propria distincta specie ab alia materia propria, requirit for-
mam distinctam specie ab alia forma, quoniam propriae for-
mae propriae materias requirunt. Sed constat quod semen & ma-
teria putrefacta sunt materiae propriae distinctae speciei, ergo
forma hominis quae introduceretur in materia putrefacta, distin-
guetur specie a forma hominis quae introduceretur in materia
seminali, ex consequenti hic, & ille homo distinguetur spe-
cie. Sed quod haec ratio non concludat, manifestabimus in-
fra, & solue eam.

Quantum ad secundum aduerte, quod b. Thom. in hoc lib. 7. in
expositione cox. 11. & Scotus vt pertractat Ant. And. in 7. in q. 8.
tenent partem affirmatiuam, quam sic probare conantur. Quae
generantur ex semine & sine semine sunt eiusdem figurae, ha-
bent eundem motum & consimiles operationes, & consimiles
proprietates, vt patet de rana genita ex putrefactione, quae est
eiusdem figurae, & format vocem, & remouetur localiter, & pro-
ducit ranam, sicut rana producta ex semine. Idem patet in pla-
tis, ergo sunt eiusdem speciei specialissimae, consequentia pro-
bat, quoniam in naturalibus venamus vnitatem vel distin-
ctionem specificam ex propriis accidētibus & propriis opera-
tionibus, & propriis effectibus, & qui negat hoc, negat via stu-
dendi in scientia naturali, & Iaudanus in 7. metaph. in q. 15. ni-

ters soluere rationem inductam, negat ea quæ ad sensum pertinent, negat enim quod animal generatum sine semine, putamus vel rana habeat eundem motum localem specificum cum matre generato ex semine, quod est contra sensum, nam manifeste videmus, quod eodem modo graditur saltat, ascendit, & descendit parieti inherens, negat etiam quod eundem effectum specificum producat, & tamen videmus eum eodem modo rodere, & eonimilem penitus murem generare. Quare laudat in hoc, non ut philosophus, sed ut astrictus ratione Commentator ad hoc ponendum deductus est.

Sed ratio illa non cogit, nam negatur consequentia, ad probationem, nego minorem, quoniam in materia putrefacta est calor putredinalis, qui adiutus virtute coeli, ita disponit materiam putrefactam ad formam muris, sicut disponit calor seminis materiam menstrualem ad eandem formam, ex consequenti istæ duæ materiæ sunt eiusdem rationis specificæ, & respiciunt formam vnâ specie.

Quantum ad tertium aduerte, quod b. Thom. in 1. sentent. dist. 10. questio. 1. art. 5. videtur tenere oppositum, & concordare cum Commentator, inquit enim, vna res habet tantum vnum modum quo oritur ex alio, non enim idem in specie est à natura & ab arte, nec per putrefactionem & seminationem, & ideo erit vna persona quæ est ab alio per generationem, & hic est filius, & alia quæ est ab alio per spirationem, & hic est spiritus sanctus.

Pro resolutione huius dubij, aduerte quod contingit aliqua duo produci ab vno agente particulari, vel à duobus agentibus disparatis, vnum quidem per propagationem & alterum per putrefactionem, puta Sortes producit Platonem per propagationem, & vermè per putrefactionem, Contingit etiam duo produci ab agente vniuersali & particulari subordinato, vnum quidem ab agente vniuersali tantum per putrefactionem, vt rana ex luto, alterum ab agente particulari concurrente agente vniuersali, vt rana ex rana per propagationem, ex distinctione dico quod in primo sensu duo producta vnum per putrefactionem & alterum per propagationem, non possunt esse eiusdem speciei, & in hoc sensu loquitur in 1. sent. cuius signum est, quod dicitur idem specie non posse produci à natura & arte. Constat autem quod agens à natura, & agens ab arte sunt vt duo agentia disparata, & non vt subordinata. In 2. autem sensu, non inuenit

quod sint eiusdem speciei, quoniam ibi non sunt propriæ duo agentia condistincta, immo particulare est sicut instrumentum respectu vniuersalis & in hoc sensu loquitur in lib. 7. metaph. vt patet, nulla ergo est repugnantia doctrinæ b. Thom. Hæc de presenti, quæstio dicta sunt.

Questio 12. si vnumquodque generatur à suo simili.

Palam vero ex dictis, quia modo quodam, omnia sunt ex vniuerso, id est, à suo simili. Tex. 30.

In hac quaestione sic procedemus. Primo ponitur quædam distinctio. Secundo conclusiones responsive. Tertio soluitur quædam argumenta.

Quantum ad primum sic hæc prima distinctio, aliqua sunt similia dupliciter, primo formaliter, secundo virtualiter, primo modo illa sunt similia quæ habet eandem formam specificam, vt duo calida, duo alba, homo generans, & homo genitus, conueniunt enim in anima intellectiua, secundo modo, illa sunt similia, quando in vno est forma formaliter, in alio autem est virtualiter, vt quando sol calefacit medium, calor est tantum virtualiter in sole, & formaliter in medio.

Secunda distinctio similia formaliter possunt esse duobus modis, primo secundum formam specificam vt leo generans, & leo genitus, secundo secundum formam communiorum, vt animal generans, & animal genitus, equus generans, & mulus genitus. Conueniunt enim in forma animalis, & in forma iumentum. Idem modus seruat in prædicatis vniuersalioribus vt corpus generat corpus, & substantia substantiam, & ens, ens, & bonum, bonum, & res rem, &c.

Tertia distinctio similia formaliter secundum formam specificam possunt esse duobus modis. Primo secundum formam specificam & secundum esse reale formæ, vt in naturalibus homo generans & homo genitus, vterque enim habet animam & secundum esse reale. Secundo secundum formam specificam, sed non secundum modum essendi reale, quoniam in vno, forma habet esse reale, in alio esse intentionale, vt quando ædificator ædificat, forma domus est realiter in ædificato, in ædificantis autem mente tantum intentionaliter.

Et aduerte quod omnes isti gradus similitudinis, ordinatur sic, secundum perfectionem & imperfectionem. Primus perfectissimus est ille, quando in vtroque simili est eadem forma speci-

SEPTIMI METAPHY.

fica, & secundum eundem modum reale esse. Imperfectissimus autem est, quando in vno est forma formaliter, in alio autem solum virtualiter.

Inter hos duos, mediant alij duo, vnus quando in vtroque est eadem forma, non tamen secundum eundem modum esse. & hic magis propinquat modo perfectissimo. Alter est quando in vtroque est eadem forma communis, signata per terminum genericum, vt iumentum, animal, corpus, substantia, ens, & hic magis propinquat imperfectissimo, sic ergo ordinatur conuenientia in forma specifica formaliter, & secundum eundem modum esse sunt in 1. gradu perfectissimo. Conuenientia in forma specifica, sed non secundum eundem modum esse, sunt in secundo gradu. Conuenientia in forma communi signata per terminum genericum, sunt in tertio gradu. Conuenientia in forma, ita quod in vno est formaliter, & in alio virtualiter, sunt in quarto gradu, qui est imperfectissimus.

Quantum ad secundum sic hęc prima conclusio, substantię naturales, qualia sunt animalia perfecta, generantur à sibi simili secundum primum gradum similitudinis, probatur: quia non producuntur nisi per propagationem, vt patet ex precedentibus questionibus, ergo &c.

Secunda conclusio. Non omnia que generantur tam in substantiis quam in accidentibus generantur à sibi simili secundum primum gradum, probatur, quia videmus genita per putrefactionem, & mulum, & ignem excussum à lapide, & calore causatum radiis solaribus non generari à sibi simili secundum primum gradum: ergo &c.

Tertia conclusio. Quęcumque generantur tam in substantiis quam in accidentibus, generantur à sibi simili secundum aliquem ex quatuor gradibus prenotatis. Hęc de se patet cuilibet exercitato in philosophia, & propterea philosophi, in textu preposito, non dixit simpliciter omnia fieri ex vniuerso, sed dixit modo quodam omnia fieri ex vniuerso, quasi dicat, sufficit saluari aliquem ex prenotatis gradibus, simpliciter autem saluatur dictum philosophi, vt inquit Commentat. in hoc 7. in cōmen. 30. in his que generantur ex patre & matre.

Quantum ad tertium aduerte, quod argumenta que communiter fieri solent in hoc questione, soluuntur per distinctiones supra notatas, & quoniam recitantur ac soluuntur à Paulo Soncinato libr. duodecimo, questione 14. nec alia difficultas

QVAESTIO XIII.

163

occurrit, ideo pertranseo.

Questio 13. si forma generanda vel aliqua pars eius preexistit in materia, vt cooperentur agenti ad productionem eius.

Causa vero est, quia horum quidem est materia (& paucis interiectis) in qua existit aliqua rei pars. Text. 29.

IN hac questione sic procedemus. Primo ponetur quædam opinio, quam non admitteret Comment. nec b. Thom. nec Scotus. Secundo pertractabitur opinio Comment. & b. Thom. Tertio declarabitur in quo sensu debeat intelligi textus philosophi prepositus. Quarto soluentur quedam argumenta.

Quantum ad primum aduerte quod est vna opinio, que attribuitur D. Alberto, & potest elici ex his que dicit in primo phys. in tract. 3. in cap. vbi tenet, principia naturalia esse vere contraria, & mutationem naturalem semper fieri de forma contraria in formam contrariam, arbitratur enim quod sicut in genere sunt differentie in habitu confuso & esse indistincto, sic in materia sunt forme contrarie secundum esse confusum.

Que quidam forme sic considerate sunt principia transformationis physice, & quoniam tales forme sub esse confuso habent aptitudinem ad esse perfectum, ideo forme considerata sub tale esse confuso, vt est apta esse sub esse perfecto, comparatur vt priuatio ad formam, est tamen eadem secundum essentiam sub vtroque esse, & hanc formam sub esse confuso cum aptitudine ad esse perfectum, arbitratur esse priuationem, quam philosophus ponit vnum ex principiis naturalibus, ita quod secundum Albertum, priuatio non dicit negationem forme in materia cum aptitudine, sed dicit formam cum negatione esse perfecti, & aptitudine ad esse perfectum. Hanc igitur formam secundum esse imperfectum, solent aliqui nominare inchoationem forme, & dicunt hanc esse partem rei preexistentem in materia, & coadiuuantem agens extrinsecum ad productionem rei, sicut tepiditas confert igni, vt citius & facilius deducat aquam tepidam ad ebullitionem, & aduerte quod qui hanc opinionem sequuntur, videntur moti duplici fundamento. Primo, quia secūdu eos, non videt aliter posse saluari motus sine mutatio naturalis, credunt enim necessario exigi principij intrinse-

cam, non solum passiuam, quod est materia, sed etiam principium actiuum, quod putat esse formam inchoatam modo quo diximus, secundo putant si forma non preexistet inchoata siue in esse confuso in materia, non possent vitare, quin forma crearetur, verum quod huiusmodi inconuenientia non sequatur, etiam quod non preexistat forma inchoata in materia, manifestabimus postquam pertractauerimus sententiam Comenari & b. Tho. a qua non discordat Scotus, vt pertractat Ant. And. in hoc 7. in questione 11.

Quantum ad secundum aduerte, quod Arist. nec Comment. nec b. Tho. negarent, quin omnes formae naturaliter receptibiles in materia preexistant in ipsa materia in potentia materiae passiuae, quia in ipsa est aptitudo & potentia essentialis ad formam recipiendam, nec negarent, quin in materia proxima, id est, iam disposita preexistat forma recipienda, non quidem secundum essentiam suam, sed ratione dispositionum, in quibus possumus dicere, quod forma virtualiter existit, nec negarent quin in materia ex qua generatur res animata, puta in semine preexistat aliqua virtus actiua, quae operetur intrinsece ad productionem rei animatae, quam tamen vim actiuam, negarent esse formam vel partem formae generandae. Negarent autem quod in materia, in qua introducenda est per generationem substantialem, forma substantialis, siue rei animatae siue inanimatae preexistat ipsa forma actu secundum esse imperfectum, nec secundum se totam, nec secundum partem, quae cooperetur agenti, vt producatur secundum esse perfectum, & hanc quidem conclusionem sic probare possumus, si ipsa forma preexistit actu, sed imperfecte secundum se totam: ergo generatio rei naturalis, puta hominis, non erit substantialis, sed potius accidentalis, nam ex 5. pvi. tex. 7. dicit philosophus, ponens differentiam inter generationem simpliciter, & generationem secundum quid. Quae vero ex non ente simpliciter substantiam est generatio simpliciter, ex quo habetur, quod in generatione simpliciter quae dicitur in substantiam siue substantialis, terminatur a quo, est non ens simpliciter, id est, nullo modo ens actu, neque imperfecte, neque perfecte, nam si esset actu imperfecte, non esset non ens simpliciter. Si igitur tu ponis formam generandam preexistere secundum se totam in materia secundum esse imperfectum, non potes saluare generationem huiusmodi esse ex non ente simpliciter, ex consequenti negas generationem sub-

stantialem, si dicis quod non tota forma sed pars preexistit. Contra, omnis forma substantialis, vt dicemus in 8. lib. consistit in indivisibili, & secundum sui naturam simplex est, est enim forma simplici & inuariabili essentia consistens: ergo in ea non est assignabilis pars & pars. Praeterea, si in materia preexistit vna pars formae vt cooperetur agenti ad productionem eius, quare aut cooperatur ad productionem ipsius partis preexistens, aut alterius, si preexistens, ponis contradictionem, quoniam vt cooperatur, preexistit per te, vt producitur, non preexistit, ergo preexistit & non preexistit, si alterius, ergo dum res generatur, non tota sua forma producitur, quod est absurdum. si dicis, quod tota generatur, quia tota educitur de esse actu imperfecto, ad esse actu perfectum. Contra, ergo forma substantialis, habet intensionem & remissionem, quod est falsum, quoniam in substantia non datur magis & minus, & id contradicitur philosopho in lib. 8. in tex. 10. Consequentia autem probatur, quoniam forma intendi, non est aliud, quam ipsam iam existentem aliquo modo actu, educi de esse imperfecto ad esse perfectum.

Quantum ad tertium aduerte, quod quando dicit philosophus, partem rei preexistere, non est intelligendum, quod pars rei tenetur, nec eius inchoatio preexistat, sed quod aliqua virtus actiua intrinseca materiae per quam res fit, preexistat. vnde aduerte, quod vt inquit Commenta. in hoc 7. in comment. 29. est in generalibus, sicut in mobilibus localiter, in motu autem locali videmus, quod aliqua mouentur naturaliter a mouente extrinseco, vt grauis & leuis a generante, aliqua a mouente intrinseco, vt animata quae dicuntur mouere se ipsas, ex 8. phys. tex. 30. & in generatione rerum naturalium, nam inanimata generantur ab agente extrinseco, vt ignis, vnde philosophus comparat materiam ignis, materiam domus, in hoc quod vtraque mouetur ad formam ab agente extrinseco, animata autem generantur ab agente intrinseco materiae, pro quanto virtus formatiua quae est in semine, mouet materiam ad formam, sicut in animalibus virtus augmentatiua animae, intrinseca ipsi quanto mouet ipsam ad maiorem quantitatem, & in alteratione puta in sanatione, est aliqua virtus in corde, quae mouet ceteras partes, & eorum animalium ad sanitatem, quae potest dici pars sanitatis, non formaliter sed virtualiter, sicut philosophus dicit calorem esse partem sanitatis, & vt breuiter te resoluas dic, quod philosophus in textu praeposito non loquitur vniuersaliter de rebus generabilibus,

SEPTIMI METAPHY.

sed tantum de animatis in quibus dicit aliquam partem præexistere, pro quanto aliqua virtus actiua intrinseca materię præexistit, vt in semine, quę mouet ad formam, quam non formaliter sed virtualiter appellat partem, modo quo diximus.

Quantum ad quartum aduerte quod ponentes partem formę, siue formam inchoatam in materia, vt cooperetur agentii, ideo posuerunt, quia videbatur eis non posse saluari differentiam inter generationem naturalem, & generationem artificialem, nec differentiam inter motum naturalem & motum violentum, nec differentiam inter creationem & generationem physicam, nisi ponatur huiusmodi forma inchoata in materia.

Sed quod sufficiens differentia saluetur inter prædicta absque positione huiusmodi formę inchoatę, sufficienter declaratum habet à Paulo Sonc. in 7. lib. 9. 27. in responsione ad argumenta, & à Iandu. in quæst. 18. & ab Ant. And. in quæst. 11. & à Scoto in 2. senten. dist. 18. quæst. 1. Nam omnes formant eadem argumenta, & quasi concorditer solunt & sufficienter, ideo nolo immorari in recitatione & solutione eorum. Hęc de præsentia quæstio dicta sunt.

Quæstio 14. si agens naturale, solum disponit materiam, & agens separatum inducit formam, vel si ad hoc sufficit solum agens naturale.

Similiter itaque his, & quę sunt natura constituta se habent, nam sperma facit sicut quę ab arte, habet enim potentialem speciem. Text. 31.

In hac quæstione aduerte primo, quod Paulus Sonc. in li. 7. q. 29. 101. mat idem quæsitum, vbi recitat opinionem Auicennę, quę habetur in lib. 9. suę metaph. cap. 4. Deinde ponit opinionem Arist. cum rationibus probatiuis. postremo soluit rationes inductas pro Arist. & defendit Auicennam, & sic quæstio remanet interminata pro Aristotele, nos autē arbitrautes viam philosophi, quam tenet Commē. & b. Tho. esse viam veritatis. Sic procedemus. Primo dimissis opinionibus antiquorum circa hoc quæsitum, quę recitantur à Commentatore in hoc 7. lib. in comment. 31. & in lib. 12. in comment. 18. quę fuerunt Plato & Auic. & Themistij, vt ad plenum & diffuse videre poteris in Iandu. in lib. 7. in q. 19. intēdimus pertractare viam Scoti, cum

QVAESTIO XIIIIL.

165

tationibus suis, secundo pertractabimus viam Comment. & b. Tho. Tertio soluemus rationes Scoti.

Quantū ad primū aduerte ex doctrina Scoti in 2. sent. di. 18. q. 1. & Ant. And. in hoc 7. in q. 11. tria eliciuntur, primo quid sit semen siue sperma, secūdo ad quid ponitur semen, tertio à quo producitur forma geniti ex spermate. Quantum ad primū dicit, quod semen est corpus imperfectum productum à generante, cuius forma non est intenta à natura propter se, sed propter alterum, vt ex ipso generetur aliquod simile generati. nam in processu generatio natura incipit à semine, sed ibi non sistit, sed mediante semine, vltterius procedit ad formam specificam vltimo intentam, puta alini aut equi, & ibi quiescit intentio natura, vnde patet, quod semen ideo à generante producitur, vt sit via ascendendi ad formam vltimo intentam & perfectam secundum speciem suam. Dico vltimo intentam, quoniam per semen proceditur aliquando ad plures formas medias, vt ad formam sanguinis, deinde embrionis, deinde animalis. puta equi, & ibi est status, & completur actio siue operatio virtutis, quę est in semine. Et aduerte quod vsque huc non dissentit à via Comment. nec b. Tho.

Quantū ad secundū aduerte, quod duo possunt attribui semini, primo quod sit actiua dispositio, quibus disponit materia ad receptionem formę geniti, puta quod sit formatiuū membrorū & figurę talis animalis, qualem habet ipsum generans, secūdo quod sit productiuum formę specificę ipsius geniti, puta quod semē equi decisi ab equo generante producat animam equi generandi.

Quantum ad primum, tenet Scoti & Ant. And. vbi supra, quod agit quidem vt concausa, sed nō vt sufficiens actiuum, & ratio eorum talis est, virtus actiua agentis vniformis, nō potest causare effectum difformem in passio vniformi. Sed virtus feminis est vniformis, vt patet, & materia in quam agit, est vniformis similiter: ergo virtus feminis non potest causare tantam difformitatem, quantum videmus in organis animalium. Maior patet, quoniam difformitas in effectu prouenit ex difformitate agentis vel passi. Hęc est ratio eorum, & si queras ab eis, quę sit virtus agens tantam difformitatem organorum in animali, Respondent quod est agens difforme, & illud est actio difformis influentię, siue caloris cœlestis, quę quātum ad hoc, est consona virtuti diuinę.

Quantum ad secundum tenent, quod semen non est princi-

pium actiuum, ita quod attingat formam geniti, & id probant dupliciter, primo quod non est, non est principium productiuam substantiae; quoniam agere praesupponit esse, sed semen in instanti generationis non est, quoniam generatio huius est corruptio alterius. Dices forte, quod est principium dum est. Contra, quia semen est aliquid de proximo conuertibile in illud, quod debet generari, sed omne tale habet magis rationem passiuam, quam actiuam, ergo &c.

Secundo sic, nullum imperfectum est principium efficiens producendi perfectius. Sed semen est quid imperfectius re generanda, ut patet, ergo &c. Maior patet, quia omne principium productiuum, vel est uniuocum vel aequiuocum. Quicquid detur vel est aequae perfectum vel perfectius productum, & nullo modo imperfectius, ergo &c. Dices forte, quod semen agit non virtute propria, sed virtute eius a quo deceditur, & sic potest producere formam geniti. Contra in virtute non entis eo modo quo non est, nihil agit. Sed decidens cum non sit in rerum natura, puta quia mortuus est pater, vel etiam si uiuit, tamen quia non est praesens corpori, in quo debet semen agere, ideo ut sic, est sicut non ens, ergo semen in virtute illius non agit, si ergo agit, vel agit virtute propria, vel virtute alicuius substantiae coexistentis. Confirmatur, quia in causis accidentaliter subordinatis non oportet omnes simul concurrere ad effectum, ut ostensum est in 2. huius. Sed decidens & semen sunt accidentaliter subordinata, ergo &c. Semen ergo non agit in virtute decidens. Quantum ad tertium tenet Ant. And. ubi supra, quod forma specifica animalis perfecti, quod gignitur per propagationem immediate producitur a Deo, nam probatum est inquit, quod non producitur a semine, nec a patre, quia ei mortuo potest filius generari, nec a virtute coeli, nec a forma coeli, quia est imperfectior quam forma animati. Viuens enim praesentius est non uiuente, nec producitur ab intelligentia, quia secundum communem sciam, non potest inducere per se, nec educere formam de potentia materis, quia non agit nisi mediante motu coeli, si ergo coeli non potest, nec intelligentia mediante motu coeli poterit, si ergo nec semen, nec decidens, nec coelum, nec intelligentia per se, nec mediante motu coeli possunt producere formam specificam animalis perfecti, relinquuntur, quod solus Deus producat. Haec fuit opinio Scoti, & Ant. And. ubi supra, quae quod non sit vera, manifestabitur in vltima parte quaestionis.

Quantum ad viam Comen. & b. Tho. aduerte quod sententia eorum est, quod semen non solum disponit materiam ad formam, sed etiam producit formam animati educibilem de potentia materiae concurrente tamen iusta suum coeli ut causa vniuersali. Ratio autem propter quam semen producit formam animati secundum Comen. in 7. lib. metaphy. comen. 31. est haec in semine, est virtus communicata a generante a quo deceditur, per quam ut per instrumentum generans producit sibi simile, sicut formae substantiales elementorum, agunt per qualitates actiuas, ut per instrumenta, & calor naturalis generat ex cibo carnem, ut est instrumentum animae vegetatiuae. Haec autem virtus ideo disponit materiam secundum formationem diuersorum organorum, & producit formam animati, quia virtualiter est ipsum generans, & se habet ut ars, vel ut forma artificiatum in mente artificis, a qua & per quam artifex disponit materiam artificiatum, & introducit formam artificiatum in materia, eadem enim arte fabricator idoli disponit metallum & figurat omnia membra idoli, simul copaginat, & tamen ars in mente fabricatoris, cum sit quid speciale, nullam habet diuersitatem ne difformitatem partium, & quoniam haec virtus quae est in semine, est a deo mirabilis in formatione membrorum, & figurarum, cum tamen in se nullam difformitatem formaliter contineat (est enim ut omogeneum) ideo apud Arist. & Comen. dicitur virtus diuina, & virtus agens per modum intellectus, virtus quidem diuina per similitudinem dicitur, quoniam sicut diuina virtus est occulta & conducit rem ad finem & suum complementum, sic virtus in semine occulta, & super omnem sensum operatur & deducit animatum generandum ad complementum, virtus autem agens per modum intellectus dicitur per similitudinem, quoniam sicut intellectus per nullum organum corporeum operatur ex 3. de anima, sic virtus feminis per nullum determinatum organum agit difformitatem membrorum, & producit formam animati, quoniam cum sperma sit quid vniuersum & confusum, quaelibet pars spermatis est sperma, & per quaelibet partem virtus ipsa operatur, & in hoc distinguitur virtus spermatis a ceteris virtutibus animae. videmus enim auditum operari per aurem, visum per oculos, gustum per linguam &c. virtus autem feminis, ut pote vniuersalis, virtualiter non operatur per determinatam partem, sed ut in se continens omnia membra generantis, & formam generantis non actu, sed potentia productiuam. Haec quidem est intentio summaria Comen. a quo non dissentit b. Tho. in expositione tex. 31. vnde non



SEPTIMI METAPHY.

oportet propter productionē formā substantiāliū, eorū que generantur ex semine recurrere ad idēas, nec ad datorē formārum, nec ad Deum, vt Sco. recurrit quantum ad generationē naturalem, & quantum ad formas educibiles de potentia materiæ, vt secludamus primam rerum productionē, que fuit immediate à Deo, vt sustinebimus in lib. 12. & animam rationalem quam tenemus non educi de potētia materiæ, sed à solo Deo creari, & hanc opinionem possumus sic probare, si formæ substantiales generatorum ex semine, non educantur de potentia materiæ per virtutē seminis agentis loco generantis, sed à Deo producuntur, ergo creantur, quod est falsum, quoniam generatio naturalis condistinguitur contra creationē. Probatur consequentia, nam nulla alia ratione dicitur anima intellectiua creari, nisi quia licet agēs naturale disponat materiā susceptiuā, non tamen attingit ipsam, nec educit eam de potentia materiæ, sed à solo Deo producitur in materia disposita, ergo in proposito, si agēs naturale non attingit animā generati ex semine, puta animā asini, sed tantum disponit materiā, & Deus eam producit, sequitur quod creatur sicut anima intellectiua, vel q̄ non magis creatur anima intellectiua, quā anima bruti. Possent adduci ad hoc propositū plures rationes, ex quibus aliquas format Iandu. vbi supra de mente Cōment. & aliquas Paulus Sone. vbi supra. sed quia de facili solubiles sunt vt videre poteris, ideo pertranseo.

Vltimo restat soluere rationes super inductas pro opinione Scoti, & Ant. An. Ad primam, qua probant virtutē seminis non esse sufficiens actiuum tantæ difformitatis, quantum videmus in organis animalium, negatur minor, quam nec probat, nam virtus seminis & si non formaliter, virtualiter tamen est multiformis, ita quod, cum sit ipsum generans, virtualiter potest causare cōsimilem multiformitatem in organis generati. Qualem videmus in generante, vnde se habet vt lux solis, que licet sit vniformis, difformes tamen, & aliquando contrarios effectus causat, vt mollificat gummicā, & indurat luteū.

Ad primam qua probant, semen non producere formam substantialem animalis geniti ex semine, negatur minor. Ad probationem dico, quod & corrumpatur actu, quo ad substantiam, remanet tamen in virtute in materia geniti, sicut remanent elementa in mixto, & virtus seminis grani corrupti, remanet in herba.

QVAESTIO XV.

167

Ad secundam nego minorem, licet enim semen pro quanto est secundū substantiā aningatū in potentia, sit quid imperfectius animali genito, eo quod est animatum actu, tamen virtualiter est æque perfectum, quoniam virtualiter est ipsum generans vniocum, quod est æqualis perfectionis cum genito.

Ad illam qua probat ex sufficiency diuisione, formā animalis generandi ex semine produci à Deo, negatur quod non producatur ex semine, concurrente, tamen celo moto, vt vniuersali & primo agente in his inferioribus, & hæc respōtio est sententia liter ipsius philof. Dicit enim in tex. 31. Nam sperma facit sicut quæ ab arte; habet enim potestatem speciei, & à quo sperma est aliquo modo vniocū. Vbi inquit Cōmen. forma enim generari in semine in potētia, quemadmodum forma artificiatū est in artifice in potentia. Hæc de præsentī quæstio dicta sint.

Quæstio 15. si omnis diffinitio habet partes, quæ cor respondeant partibus rei diffinitæ.

Vt autem ratio ad rem, & pars rationis ad partem rei. Tex. 33.

In hac q̄ duo principaliter perquirenda sunt. Primo si est necesse omnem diffinitionem constare ex partibus. Secundo si qualibet pars diffinitionis totam naturam diffiniti significat, vel si pars partem.

Quantum ad primum non inuenio discrepantiam. Omnes enim recte scientes concordant in parte affirmatiua, quæ non solum manifestatur dicto philofophi in hoc 7. in tex. 33. Inquit enim, Omnis diffinitio est ratio, & omnis ratio habet partes: sed etiam probatur ratione sic. Diffinitio ex 2. parte, inuestigatur diuisione & compositione. Diuisione quidē generis in differentias, compositione autem generis cum altera differentia. Sed compositio & diuisio non dantur sine partibus, vt patet, ergo diffinitio formata compositione generis & differentie, habet necessario partes. Præterea, per diffinitionem notificatur essentia diffiniti, omnibus illis modis quibus potest notificari. Sed potest notificari nobis primo confuse, deinde distincte & cōplete, sed per vnum solum terminum, non potest nobis notificari confuse & distincte, vt patet, ergo necesse est ipsam constare ex termino magis cōmuni, quo notificatur diffinitū confuse, & termino conuertibili, quo notificatur diffinitū ex consequenti necesse est diffinitionem habere partes.

SEPTIMI METAPHY.

Quantum ad secundum, aduerte quod si loquamur in substantiis separatis, quæ sunt simplices actus & in quibus non est cõpositio formæ & materię, ab omnibus conceditur, quod quælibet pars diffinitionis dicit totam naturam diffinitam, licet diuersimode, puta genus dicit naturam separatam in vniuersali, & differentia dicit eandem sub gradu distincto. Totum ergo dubium est de substantiis cõpositis, de quibus duas inuenio opinionones, quæ pendent ab vna radice, scilicet ab vnitatem vel pluralitate formæ in cõposito. Nam qui tenent quod in eodem plurificantur formæ, vt plurificantur prædicata quidditativa, dicunt, quod genus significat formam vniuersalem, puta animal significat formam, quæ est anima sensitua, & differentia significat formam specificam, & nihil plus, & ex his opusantibus est Landu. in 2. lib. huius scientiæ in q. 9. Cuius ratione nos solnimus in eodem libro in nostra q. 7. Qui vero tenent tantum vniam formam in cõposito, dicunt quod & genus & differentia debent totam naturam diffiniri, quia prædicantur in recto de diffinito & diuisim & coniectim. Est tamen verum quod genus sumitur à natura, vt habet modum determinabilis, & materię, non quod significant solam materiam, & differentia sumitur ab eadem natura, vt habet modum determinatis. Et hanc sententiam tenet b. Tho. in hoc 7. in lect. 9. vt videre poteris. Quia ergo tota resolutio pëder ab vnitatem vel pluralitate formæ in substantiis cõpositis, ideo protrahemus determinationem præsentis dubij vsque ad lib. 8. vbi de vtroque inquiremus.

Pro nunc tamen intendo defendere rationem b. Tho. quam ponit in expositione text. vbi sic inquit, partes diffinitionis prædicantur scilicet in recto de diffinito, sicut de homine animal rationale, nulla autem pars integralis nec essentialia prædicatur de toto, scilicet in recto, ergo partes diffinitionis non significant partem diffiniri, sed totam naturam.

Huic rationi dat Landu. in 2. libro metaphy. in q. 10. in fine, duas rationes, quarum prima est, quod negat tam genus quam differentiam prædicari in recto de diffinito, & si instatur. Quia communiter ista prædicatio acceptatur, homo est animal, homo est rationalis. Dicit ipse, quod ista non acceptantur ex natura rei, sed ex famositate, quam introduxerunt, tenentes vnitatem formæ in cõposito, vnde sicut consueuimus, sic dignamur dici. Et sic secundum ipsum hæc est verax ex natura rei, homo est quid cõmans ex animali & rationali. Hæc autem reputatur

QVAESTIO XLV.

vera ex consuetudine loquentium, homo est animal, & hæc, homo est rationalis. Dicit secundo, quod genus potest sumi dupliciter. Primo vt dicit formam generalem, quæ est in potentia, & ordinatur ad aliam formam, puta formam speciei, & sic est pars speciei & nõ prædicatur in recto sed in obliquo de specie. Idem intelligas de differentia. Alio modo genus dicit cõpositum ex materia & forma speciei, & formis præcedentibus formam speciei, & sic dicit totam essentiam speciei, & prædicatur in recto, sicut dicunt tenentes vnitatem formæ.

Sed neutra harum responsionum valet. Nam prima est contra doctrinam philosophi, qui in libro 5. in cap. de secundum quod, vtitur tali prædicatione in recto, & dicit, quod est prædicatio secundum se, & in primo modo per se, quæ est prædicatio quidditativa & ex natura rei. Dicit enim, alia vero quæ in eo quod quid est existunt quæcunque, vt animal Calias secundum se, nõ in ratione nõ est animal. Animal enim quoddam est Calias ex quibus patet quod si ista est quidditativa, Calias est animal, & hæc est quidditativa homo est animal, quoniam Calias est homo.

Secunda autem responsio, contradicit ipsi Landu. quoniam si in 2. sensu dicit totum, & prædicatur in recto, concordat nobiscum, & contradicit sibi ipsi.

Quare vt inconstans relinquendus est. Hæc pro præsentis quæstio dicta sint. Reliqua dicemus in libro 8.

Quæstio 16. Si singulare est diffinibile & per se intelligibile. Horum autem non est diffinitio, sed cum intelligentia &c. vsque ibi, sed semper dicitur & cognoscuntur vniuersalis ratione. Tex. 35.

Circa text. præpositum aduerte quod intentio philosophi est declarare, quod nõ datur diffinitio nisi de vniuersali, singularia vero non diffiniuntur, sed cognoscuntur sensu exteriori, si sunt sensibilia, vel imaginaria, si sunt mathematica, si autem dicuntur intelligi, hoc erit quia continentur in suo vniuersali, nam si intelligo hominem, intelligo implicite sortem, eadem sententiam tenent philosophus & Comment. infra in text. 53. vbi tenent contra Platonem, nullum singulare, nec ideam posse diffiniri. Vt igitur sciamus quid veritatis cõtinet sententia, philosophi in hac q. duo ventilla sunt. Primo si singulare potest diffiniri. Secundo si est per se intelligibile.

SEPTIMI METAPHY.

Quantum ad primum aduerte, quod satis constat singulare corruptibile, non posse proprie diffiniri, quoniam quod potest diffiniri de eo, potest esse demonstratio, cum diffinitio sit medium in demonstratione. Sed ex 1. poste. non est demonstratio de corruptibilibus, ergo &c. Præterea inquit Comment. in hoc 7. li. in commen. 53. Cum diffinitio sit per manentiū, id est, quæ non possunt aliter se habere, necesse esset singulare corruptibile fieri, & esse incorruptibile. Hoc autem est impossibile, ut patet ergo &c. Magis autem dubitatur de singulari incorruptibili, quoniam ratio assignata de singulari corruptibili, non habet locum hic, & ideo pono hanc conclusionē, singulare ens quod esset incorruptibile, non potest diffiniri, nam talis diffinitio aut constabit vnico nomine, aut pluribus non vnico, quoniam iam probatum est supra, quod necesse est diffinitionem habere partes, ergo pluribus nominibus, si pluribus, aut illa sunt cōmunia, & hoc non quia diffinitio non cōueniret soli diffinitio, aut singularia siue propria, & hoc non, quia essent sicut finissima, quæ non sufficienter notificant naturam diffiniri, aut vnium esset cōmune & alterum propriū, & hoc non, quia cum species specialissima non diuidantur per differentias, illud proprium esset accidens indiuiduale, sed prædicata accidentalia siue communia siue propria non ingrediuntur diffinitionem, sed tantum quidditatiua, ut dictum est supra, ergo &c.

Quantum ad secundum aduerte, quod multam difficultatem continet, propter varietatem opinionum, & diuersimode exponuntur à diuersis dicta b. Tho. Tu tamen vt te resoluas sic procedes. Primo inuestigandū est, quomodo intelligibilitas cōuenit singulari ex sui natura, & hoc est loqui metaphysice siue ratione siue entitatis. Secundo quomodo intelligibilitas ei cōuenit de facto respectu intellectus nostri pro hac vita, & hoc est loqui phys. vel vt dicunt alij animastice, id est considerata conditione intellectus coniuncti.

Ad euidentiā primi, præpono aliquas distinctiones, delin- de aliquas conclusiones responsuas.

Prima distinctio singulare sumitur dupliciter. Primo vt singulare præcise. Secundo vt singulare materiale. Et aduerte, quod singulare materiale cōparatur ad singulare, vt species ad genus. Prædicatur enim singulare de singulari materiali, & immateriali. Et singulare materiale de hoc & de illo singulari materiali. Idem intellige de singulari immateriali.

Secunda

QVAESTIO XVI.

169

Secunda distinctio per se intelligibile, sumitur dupliciter. Primo, vt idem est quod ex se, siue ex natura sua est intelligibile. Secundo vt idem est quod quocunque alio remoto vel nõ mediante alio, & vt sic est idem quod primo. Isti duo modi nõ conuertuntur. Nam accidens est per se intelligibile iuxta primum modum, sed non iuxta secundum, quoniam vt diximus supra, substantia est prior accidente cognitione. Ex his distinctionibus ponuntur & probantur tres conclusiones.

Prima conclusio, singulare vt singulare, est intelligibile per se, id est ex natura sua, probatur singulare vt singulare, est ens per se, ergo est intelligibile per se, cōsequenter patet, quoniam vniumquodq; intantum est intelligibile in quantum est ens, cū ens sit obiectū intellectus, ergo quod est ens per se, est intelligibile per se. Accidens autem probatur, quoniam singulare includit entitatem omnium superiorum in linea prædicamentali, & non addit nisi proprietatem indiuiduam. Sed ex hoc non fit vnium per accidens, aliter dum dico homo risibilis esset vnium per accidens, quod patet esse falsum, cum sit quod demonstrabile, ergo &c. Præterea si singulari vt singulare repugnet esse per se intelligibile, ergo intelligentia non se ipsam per se, nec Deus seipsum per se intelligeret, quæ omnia sunt absurda.

Secunda conclusio, singulare vt materiale, in neutro modo distinctionis dare est per se intelligibile, probatur, vniumquodque intantum est intelligibile in quantum est aut sit immateriale. Hac enim de causa ponitur ab Aristot. intellectus agens vt denudet quidditatem materiam à conditionibus materialibus, aliter non esset intelligibilis actu. Sed singulare vt materiale, nullo modo est nec sit immateriale, nõ enim abstrahit à materia communi, cum illa sit de ratione substantiæ materialis, vt diximus supra, nec à materia indiuiduali, cum sit constitutiua indiuidui materialis, vt diximus supra, ergo &c.

Tertia conclusio, singulare vt singulare, non est intelligibile per se, id est primo, siue nõ mediante alio prius intellecto. Antequam probetur aduerte, quod est cōtra Scotū, & Ant. And. est quidem cōtra, si sumatur, ly primo, respectu speciei intelligibilis quo ad representatiuitatem, vult enim Scotus & Ant. An. & Gregor. quod sit primo representatiua singularis, quia sumitur à pluralitate singulari. Sed b. Tho. vult ipsam esse primo representatiuam naturæ vniuersalis, secundo autem singularis, probatur igitur conclusio sic, illud est primo intelligibile ab

y

SEPTIMI METAPHY.

intellectu, quo primo distinguitur intellectus à sensu, quoniam distinguntur, potentia per objecta propria, sed in hoc distinguitur in via philosophi intellectus à sensu, quod sensus, primo apprehendit singulare, ergo intellectus non est aptus primo intelligere singulare, sed vniuersale. Præterea, si singulare est primo intelligibile ab intellectu, ergo species sensibilis posset actuare intellectum, cum sit naturaliter representatiua singularis. hoc autem falsum est, quoniam non esset necesse ponere intellectum agentem. Non igitur singulare vt singulare est primo intelligibile ab intellectu, sed primo sensibile. Et aduerte quod apud nos, idem est singulare esse primo intelligibile, & esse intelligibile propria specie primo representatiua singularis.

Ad euidenciam secundi, proponitur distinctio de cognitione. Deinde quedam conclusiones responsiuæ, postremo soluentur quedam argumenta.

Distinctio est hæc. Cognitionis duplex, scilicet directa & reflexa. directa est, quæ terminatur primo ad aliquod obiectum sua specie representatum, vt quando video albedinis obiectum propriam albedinis, & intelligo lapidem per speciem lapidis. Reflexa est, vt quando intelligo aliquid vel video in aliquo prius cognito, vt quando video directe imaginem in speculo, & reflexa per talem imaginem video faciem meam vel alterius.

Ex hac distinctioe ponuntur duæ conclusiones responsiuæ. Prima conclusio, singulare præcipue materiale, non potest cognosci ab intellectu coniuncto directe, sed solum reflexe. probatur, singulare materiale non potest abstrahi à materia individuali, quæ directe repugnat intelligibilitati, quoniam cum intellectus sit immateriale vel factum immateriale, ergo non potest directe attingi ab intellectu coniuncto. Dixi autem præcipue materiale, quoniam de immateriali secus est, nam cum sit abstractum ab omni materia, nihil sibi inest, quod repugnet intelligibilitati.

Secunda conclusio, singulare materiale cognoscitur ab intellectu reflexe, à sensu autem directe, & quidem quod à sensu cognoscatur directe, patet, quoniam cognoscitur per speciem sensibilem causatam in sensu à singulari materiali, quæ representat obiectum, vt hic & nunc, ex consequenti vt existens, ergo directe, quomodo autem & quo ordine cognoscatur ab intellectu reflexe, aduerte, quod in doctrina b. Th. hæc se habent per ordinem.

QVAESTIO XVI.

Intellectus per speciem intelligibilem representatiua primo natura vniuersalis, directe intelligit naturam vniuersalem, vt suum proprium obiectum. Deinde redit ad cognoscendum actum suum intelligendi, & aduertit quod hic actus causatus est à specie intelligibili simul cum ipso intellectu. Deinde reddit ad cognoscendum speciem intelligibilem, & aduertit illam fuisse extractam à phantasmate. Deinde redit ad considerandum phantasma, & aduertit fuisse causatum à singulari & representatiuum eiusdem. Tunc cognoscit in hoc vltimo gradu reflexionis substantiam singularem concurrere etiam cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis, eo quod substantiam particularem apprehendit. Hæc est mens b. Th. in questionibus de veritate, q. 2. art. 10. à qua dissentit Ant. And. in 7. in q. 13. Sed ratio sua non valet supponere enim falsum scilicet quod singulare possit obiecti intellectui sine conditionibus indiuiduantibus, quæ sunt differentia temporis, & situs, & figura, id nos non admittimus, ideo ratio sua nulla est. Aduerte etiam, quod ipsa in tertia sua conclusione ponit singulare signatum cognosci reflexe, sed non ad sensum nostrum. Tenet enim indiuiduum, vagum primo cognosci per speciem intelligibilem, secundo cognosci per naturam specificam, tertio per reflexionem ad indiuiduum vagum cognosci indiuiduum signatum. Sed hunc ordinem nos non admittimus, vt patet supra. Quia primum cognitum per speciem intelligibilem est natura communis primo representata per ipsam speciem, ideo suam conclusionem in suo sensu non acceptabis, nec similitudo quæ adducit est valida, licet enim natura non intendat producere vniuersale, quoniam actio est ad esse huius entis, tamen species intelligibilis potest primo representare vniuersale, vt deputata à conditionibus materialibus & indiuiduantibus.

Vltimo loco soluenda sunt quedam argumenta, quibus probant aliqui etiam ex fundamentis b. Th. intellectum directe intelligere singularia.

Primo igitur sic arguitur secundum doctrinam b. Th. intellectus antequam intelligat vniuersale, necessario conuertit se ad phantasmata, quæ sunt singularia & representatiua singularia. Sed hæc conuersio non est aliud quam intus sive intellectio phantasmatum, ergo non prius intelligit vniuersale sed singulare, ergo directe intelligit ipsum.

Ad hoc respondetur, secundum doctrinam b. Th. negatur

SEPTIMI METAPHY.

minor, quoniam intellectum aduertit ad phantasmate, non est nisi accipere speciem à phantasmate, in qua specie directe inuenitur vniuersale, reflexe autem singulare.

Secundo sic, necesse est intelligentem phantasmata speculari, ex 3. de anima, sed speculari non est nisi intelligere, ergo cum phantasmata sint singularia & representatiua singularium, intelligentes necessario intelligit singularia, ergo directe, quoniam intellectio reflexa non est necessaria.

Ad hoc negatur minor, nam speculari communiter attribuitur imaginatiue, & cogitatiue, & intellectui, vnde quando dicit philosophus intelligentem necesse est &c. intendit quod si homo debet intelligere, necesse est ut speculetur, id est imaginetur, vel phantasietur, phantasmata, à quibus accipiat speciem intelligibilem ut principium intelligendi, & aduerte quod non dicit philosophus necesse est intellectum, sed intelligentem, qui est homo, phantasmata speculari.

Tertio, formare syllogismum expositorium est actus intellectus, discurre enim videtur esse solius rationis, sed in tali syllogismo est singulare, ergo prius & directe intelligit singulare, cum ex singulari medio concludat vniuersale.

Ad hoc dicitur quod cum cogitatiua sit propinquissima intellectui, in tantum quod dicitur ratio particularis, non inuenit illam formare syllogismum expositorium, vnde dico quod cogitatiua format maiorem & minorem syllogismi expositori, ex consequenti argumentum non concludit aliud, nisi quod forma syllogismum expositorium cognoscit directe singulare, hic autem formans non est intellectus, sed ratio particularis.

Quarto, intellectus per inductionem procedit à singularibus ad vniuersale, ergo prius & directe cognoscit singulare.

Ad hoc dicitur, quod intellectus per se solam non facit inductionem, sed ut diximus aditus cogitatiua, que numerat singularia ut conuenientia in aliquo predicato, ideo nihil concludit.

Quinto, intellectus cognoscit hanc propositionem esse veram, Sortes est homo, ergo cognoscit Sortem & hominem, que sunt extrema, ergo singulare, sicut & vniuersale.

Ad hoc dicitur, admissio quod hanc propositionem cognoscit & extrema, non est necesse, quod vtrumque extremum cognoscatur directe, & posito quod cognoscatur directe, non est necesse, ab eadem potentia: vnde potest dici quod Sortes directe cognoscitur à co-

QVAESTIO XVII.

171

gitatiua, & homo ab intellectu.

Sexto, sensus directe cognoscit singulare, ergo & intellectus, probatur consequentia, quoniam, quicquid potest virtus inferior, potest virtus superior.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem, dico quod quicquid potest virtus inferior, potest virtus superior, sed non eodem modo, vnde ibi est fallacia, quoniam mutatur quid in quale.

Septimo, intellectus ponit differentiam inter singulare & vniuersale, ergo cognoscit vtrumque directe.

Ad hoc negatur consequentia, sufficit enim ad cognoscendam talem differentiam, quod vtrumque cognoscatur ab intellectu, sed non est necesse quod eodem modo, potest dici, quod cognoscit talem differentiam, quia cogitatiua cognoscit singulare, & intellectus vniuersale, nec est necesse potentiam cognoscendam differentiam inter duo extrema cognoscere illa duo extrema, nisi quando non sunt apta cognosci, nisi cognitione vnius generis, puta sola cognitione sensitiua, ut hoc album, & hoc nigrum, vel sola cognitione intellectiua, ut due species specialissimae, & quoniam singulare est aptum cognosci à cogitatiua, & vniuersale ab intellectu, & cogitatiua habet continuitatem & maximam propinquitatem cum intellectu, ideo potest intellectus ponere differentiam inter vniuersale & singulare, dato quod non intelligeretur nisi à cogitatiua, & propter hoc non infringitur ratio philosophi in 3. de anima, qua venatur sensum comunem, fundata super hoc principium, necesse est potentiam cognoscendam differentiam duorum extremorum esse vnam, & vtrumque cognoscere. Hoc inquit principium intelligitur, quando vtrumque extremum est aptum intelligi cognitione vnius rationis, puta vtrumque sensitiua, vel vtrumque intellectiua, & non aliter. Hæc de presenti quaestio dicta sint.

Quaestio 17. Si in solis substantiis separatis quodquid est, est idem cum eo cuius est.

Et quodquid erat esse, & vnumquodque in quibusdam idem ut in primis substantiis, & infra omnia autem que sunt sicut materia, aut sicut congregata ex materia, non sunt idem, neque secundum accidens vnum & Sortes & musicum. Tex. 41.

Circa hanc quaest. antequam deueniamus ad decisionem aduerte, quod philosophus in hoc 7. in text. 20. determinauit abso-

SEPTIMI METAPHY.

lure, quod in omni substantia que est ens per se, sunt idē quodquidest, & id cuius est, & solum exceptis ea que sunt vnum per accidentem. Hic autem quasi se corrigens, excipit substantias compositas, de quarum diffinitione est materia, & excipit ens per accidentem, & vult quod in simplicibus, vt in separatis sint idem, in aliis autem non. Vt igitur resoluamus propositum secundum doctrinam b. Tho. sic procedemus. Primo ponitur hæc conclusio. In solo primo principio, id est, in Deo sunt omnino idem quodquidest, & id cuius est. Secundo declarabitur in quo sensu tam substantiæ separatae quam materiales, nō sunt idem cum suo quodquidest. Tertio soluentur quedam argumenta opinantium, quod absolute omnis substantia siue materialis siue immaterialis, est idem cum suo quodquidest.

Conclusio quidem proposita sic manifestatur, substantia composita specifica, puta homo, licet non explicite includat hanc materiam & hanc formam & alia accidentia individualia, tamen non excludit ea, quia cum in homine includantur implicite Sortes & Plato, etiam includuntur & continentur implicite principia individualia. In quodquidest autem substantiæ compositæ continentur solum predicata per se primo modo, scilicet materia & forma in communi, & excludit omnia alia predicata, etiam predicata secundi modi per se, vt dixit supra philosophus: ergo quodquidest substantiæ compositæ specificæ & id cuius est, nō sunt idem, cum quodquidest præscindat omnia predicata individualia, & id cuius est, non præscindat illa: Ex quo patet, quod solum quo ad predicata quidditatiua sunt idē substantiæ vero separatae præter primam, licet non includant hanc materiam, quia non indiuiduantur per materiam, tamen includunt existentiam implicite, quæ est extrarationem formalem ipsarum, & includunt suas proprietates, & proprias actiones, quæ sunt accidentia, quoniam in solo Deo proprietates, & actio sunt substantia sua. Quodquidest vero earum, includit sola predicata quidditatiua, & omnia alia præscindit, scilicet existentiam, proprietates, & actiones, ergo non sunt idem, cum id cuius est, magis includat quam ipsum quodquidest, in solo autem Deo nihil est quod non sit essentia sua, ibi enim esse est sua essentia, & proprietates, & actio est sua substantia, nullum ergo predicatum extraneum includit id quod est Deus, sed etiam predicata quidditatiua, quæ sola etiam includuntur in suo quodquidest, ergo in solo Deo penitus sunt

QVAESTIO XVII.

172

idem. Et aduerte quod hæc conclusio supponit quod de tinent philosophi, ceteræ substantiæ separatae non sint purus actus, nec infinite virtutis, nec actio sua sit substantia, quæ an sint de mente sua, disputabitur in lib. 12.

Quantum ad secundum aduerte, quod aliqua dicuntur differre & non esse idem duobus modis. Primo quia sunt distinctæ naturæ, ita quod vnum non includit aliud, & sic differunt duæ species, duo indiuidua, tam in genere substantiæ, quam in genere accidentium. Secundo, quia licet sint quidditatiua, siue quo ad essentialia intrinseca, vna res, tamē quia vnum connotat aliquid reale & extraneum, quod non connotat aliud, vel quia vnum præscindit à quolibet extraneo, à quo non præscindit aliud, ideo dicuntur differre, sicut Sortes, & Sortes albus: licet enim sint essentialiter idem, non tamen ex connotato siue ex predicato extraneo, Sortes enim vt Sortes nō connotat albi, sicut connotat Sortes albus. In proposito dico, quod in abstractis citra primum & in substantiis materialibus, Quodquidest & id cuius est, non differunt primo modo. Nam homo est essentialiter idem cum animali irrationali. Sed differunt secundo modo, quoniam homo connotat implicite aliqua, quæ sunt extranea à sua quidditate, vt esse & accidentia, siue propria, siue communia, & omnino præscinduntur à sua quidditate, & si bene aduerteris, videbis quod ex hac distinctione soluentur penè omnia argumenta tenentium oppositum.

Quantum ad tertium aduerte, quod tenentes contra determinationem factam, arguunt multipliciter, & primo sic, si in omnibus habentibus quodquidest, non est idem cum eo cuius est, ergo falsum est, quod dicit philosophus in 7. metaph. scilicet quod singulum non est aliud à sui substantia, id est, à sua quidditate, siue suo quodquidest.

Ad hoc patet quid dicendum sit, ex his que diximus in principio questionis, nam in tex. 20. qui est tex. alleg. ab arguente, determinauit absolute & in genere. Sed infra in tex. 4. considerans materiam substantiæ compositæ, & naturam substantiæ abstractæ, excipit substantias compositas, ideo nulla est contradictio in dictis philosophi.

Secundo sic, si in aliquo ente per se, non est idem quodquidest, est cum eo cuius est, illud non posset esse formaliter scitum, neque ens, quod est manifeste falsum, quoniam tunc de nulla substantia composita haberemus scientiam, nec esset ens. Confe-

quentia autem probatur, quoniam vnumquodq; est scitū & est ens per intrinsecum sibi, & hoc est suum quodquid est, ergo nō est intrinsecum nec distinctum ab eo cuius est.

Tertio si sic, ergo idem esset seipsum & non seipsum, quod implicat, consequentia probatur, quia vnumquodq; est bonū per naturam siue quidditatem boni, sicut homo est homo per humanitatem. Sed si natura boni, siue quidditas est separata, iam non est illud, ergo &c.

Quarto, quia esset processus in infinitum. Quæretur enim de illo quodquid est separato, utrum habeat quodquid est vel non, & tener argumentum si ponitur alia res.

Ad hæc tria simul responderetur, quod fundantur in falsa imagine. Opinatur enim arguens, quod teneamus in substantiis compositis quodquid est distingui ab eo cuius est, iuxta primum sensum distinctionis positæ in q. quod nos non dicimus, sic enim esset incidere in opinionem Plato. contra quam militat dicta argumenta, & virtualiter sunt rationes philosophi disputantis contra Plato. Sed nos dicimus ea distingui, quia licet quo ad prædicata per se primi modi, sint idem, non tamen quo ad prædicata secundi modi, & alia accidentalialia, & quo ad esse, quoniam hæc præscinduntur à quodquid est, sed nō ab eo cuius est, vt declarauimus supra.

Quinto, si sic est, hoc ideo est, quia id cuius est, includit esse, quod nō includitur in suo quodquid est, hoc autem est falsum, consequentia patet, quia est ratio sic tenentium, falsitas autem consequentis probatur. Quia possumus loqui & disputare de rosa & de aliis concretis, & similiter de quolibet supposito angelico & materiali, ignorando utrum sint, & per consequens sub indifferentia ad esse & ad nō esse, ergo nec concretum, nec suppositum angelicum, nec materiale includit esse.

Ad hoc dicitur, quod arguens imaginatur nos tenere, quod esse includatur in ratione, siue in conceptu concreti, aut suppositi immaterialis vel materialis, & excludi à quodquid est. Id nos non tenemus. Sed dicimus, quod licet non includat esse explicite, includit tamen implicite, in quantum significat vt habens & vt totum, excluditur autem explicite & implicite à quodquid est, quoniam constat ex solis prædicatis quidditariis, excludens quodcumque extraneum, & quoniam in via nostra in quolibet circa primam causam, esse est extraneum & distinctū à quidditate, ideo omnino excluditur à quodquid est. Hæc de

præfenti quæstio dicta sint.

Quæstio 18. Si ex genere & differentia sit vnum per se.

Propter quod quidem vnum est, cuius rationem definitionem esse dicimus. Text. 42.

Circa hæc q. antequam deueniamus ad decisionem aduerte, quod philosophus in tex. præfenti intendit declarare, quomodo definitio significat vnum per se, cum constat ex genere & differentia, quæ videntur significare plura, vnde sicut ex subiecto & accidente non constituitur vnum per se, sic nec ex genere & differentia videtur posse constitui vnum per se, pro resolutione igitur huius dubij sic procedemus. Primo declarabitur secundum b. Tho. quæ est ratio quod ex genere & differentia sit vnum per se, non autem ex subiecto & accidente. Secundo examinabitur ratio, quam ad idem adducit Iand. in 7. metaphys. q. 23. Tertio soluentur quedam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod ratio b. Tho. stat in hoc. Quando differentia additur generi, non additur vt forma, vel natura distincta realiter à natura generis, sed vt determinatū indeterminato, ita tamen quod eadem natura concepta indeterminate fundat conceptum generis, concepta autem determinate, fundat conceptum differentie. Sed non sic est in subiecto & accidente, quoniam accidens siue proprium siue commune, est quid extraneum & distinctū realiter à subiecto, & tam accidens quam subiectū sunt in actu, ideo ex eis non fit vnum per se. Nam dicimus infra quod ex duobus entibus in actu distinctis realiter non fit vnum per se. Sed necesse est alterū esse ens in potentia. Hac enim de causa ex materia & forma fit vnum per se, vt patet infra. Quia igitur genus & differentia nō distinguuntur realiter, non inconuenit quod ex eis fiat vnum per se, & quoniam subiectū & accidens distinguuntur realiter, & neutrum eorum est ens in pura potentia, ideo ex eis nō fit vnum per se. Hæc est ratio b. Tho. Et aduerte q. cū teneamus genus & differentias medias & vltimā esse vnum essentialiter, non possumus dicere, ex genere & differentia fieri vnum per se compositione reali, quoniam cōpositio realis requirit extrema distincta realiter. Sed verius dicitur, q. sit vnum per se compositione rationis, quoniam genus & differentia distinguuntur solum ratione, & vnum prædicatur de alio identice, licet nō formaliter, vt diximus in 3. lib. Quantum ad secundum aduerte quod Iand. in 7. lib. in q. 2.

SEPTIMI METAPHY.

sequens imaginationē suā, q̄ scilicet in substantia cōposita multiplicentur forme, vt multiplicantur prædicata quidditaciua, tenet ideo ex differentiā & genere, præcipue ex differentiā finali, & genere proximo, sicut vñ per se, qm̄ genus dicit formam generalem, puta animal animā sentitiuā, & differentiā finalis dicit formā specificā, puta rationale animā intellectuā, & tenet q̄ differentiā finalis sumpta à forma specificā cōparatur ad genus proximū sumptū à forma generali, sicut actus perfectus & cōpletus ad actū imperfectū, qui vt imperfectus, est vt ens in potentia ad actū, & tunc arguit sic. Ex illis fit vñ per se, quod vñ addit super aliud actū perfectū & substantiā perfectā, quia actus cōpletus cū ente in potentia facit vñ naturā per se. Sed hoc est in partibus definitionis, nam quādo definitio cōstat ex genere remoto & omnibus differentiis, vltima differentia addit super alias actū cōpletū, quādo autē cōstat ex genere proximo & differentiā vltima, idē sequitur, qm̄ genus importat formam generalem & potentialem, differentia autē vltima, formā specificā vt actum vltimū & completū, vnde sicut ex forma & materia fit vñ per se, alterum, actus alterum potentia, sic in proposito, quia genus est potentia, & differentia vltima actus.

Sed hæc positio partim destructa est in lib. 2. metaphys. vbi quaerimus si est processus in insinuat in causis formalibus, & partim destruetur in li. 8. vbi determinabimus vnitatē formæ substantialis in cōposito. Et infra, in hoc 7. super tex. 56. quaeremus, si dantur diuersæ formæ substantiales in animali secundū diuersa organa. Pro nūc sufficit respondere rationi factæ à Land. negatur igitur maior, nisi illud cui additur actus perfectus, sit ens in pura potētia, qualis est materia prima, constare autē q̄ genus nec differentia media dicunt ens in pura potentia. Negatur etiā minor, ad probationē, nego q̄ genus dicat formā generalem, distinctā realiter, vt supponit arguēs à forma specificā, nego similiter q̄ differentiā vltima addat super differentias medias, actum perfectū, ita q̄ vt supponit arguens, differentia media dicant actum siue formam imperfectam, distinctam realiter à forma importata per differentiam vltimam. Et aduerte q̄ Ant. And. in 7. lib. in q. 14. videtur declinare ad mētem Land. nam in fine quaestionis cōcedit quod genus potest sumi ab vna forma, & differentia ab alia, & exemplificat de homine, in quo secundum ipsum sunt plures formæ, verū cum quilibet forma sit actus, & faciat esse actū id cuius est forma, sequitur q̄ ge-

QVAESTIO XIX.

174

nus & differentia in homine sumitur à duobus actibus. Sed ex duobus actibus aut ex duobus entibus in actu nō fit vnum per se, vt declarabitur infra, ergo stante in positione Land. & Ant. And. non poterit assignari ratio, quare ex genere & differentiā fiat vnum per se. Melius est ergo tenere sententiā b. Tho. à quo nec Cōmen. discordat, nam in hoc 7. in cōmen. 42. Declarans, quare homo albus non significat vnum per se, sicut animal bipes, quæ ponitur definitio hominis, inquit. Dicere vero quare homo albus non significat vnum, quoniā alterū istorū non est reliquū essentialiter, ex quibus innuit, quod ideo genus & differentia cōstituunt vnum per se, quia sunt idem essentialiter, & quoniā in subiecto & accidente non est identitas essentialis, ideo ex eis non fit vnum per se, si sunt idem essentialiter, ergo non sumitur ab alia & alia forma, vt patet. Sed ab eadē diuersimode concepta, vt diximus supra.

Quantum ad tertium aduerte, quod omnia argumenta quæ solent fieri contra determinationem factam, supponunt in eodem plures formas substantiales, & quoniā hoc quaerimus differimus vsque ad octauum lib. ideo ne multoties eadem argumenta & solutiones replicemus, non est hic immorandū. Hæc de presenti quaesito dicta fuerint.

Quaestio 19. Si in animali plurificantur formæ substantiales secundum partes organicas.

Maxime autem aliquis animatorum partes suspicabitur &c. vsque ibi, eo quod principia motus habeat ab aliquo in iuncturis. Tex. 56.

Circa hanc q̄, antequam veniamus ad resolutionē aduerte, quod philo. in tex. proposito intendit declarare, quomodo substantia cōposita cōponatur ex partibus, & dicit quod non cōponitur ex partibus existentibus in actu, sed in potentia, eo quod partes non sunt actu existentes ex seipsis dum cōponunt totum, sed existunt per esse totius, & id quidem clarum est in rebus inanimatis, in quibus non sunt diuersæ partes organice ordinatæ ad diuersas operationes, sed in animalibus videtur dubiū, nam ex quo diuersæ partes habent distinctas operationes, vt cor, stomachus, cerebrū, videntur existere actu nō solum per formā totius animalis quæ est anima, sed per formā propriam, ita quod alia sit forma substantialis cordis, alia stomachi, alia cerebri, alia carnis, alia ossis. Item aduerte, quod hic nō inten-

dimus querere, utrum in vno cōposito sint plures formæ totius cōpositi, puta quod in homine sit corporeitas, anima veg. sens. intellectua, quarū quælibet totū cōposita materiā informet. De hoc enim queremus in lib. 8. vt diximus supra. Sed hic intendimus querere solum utrum in animali perfecto in quo sunt varia membra distinctarum operationum, sint plures formæ partiales substantiales, vt in corde, in stomacho, &c.

Pro resolutione igitur presentis quæstionis, in quo inuenio opiniones duas extremas scilicet b. Tho. & Ant. And. cum Scot. sic procedetur.

Primo pertractabitur opinio b. Tho. & eorum qui concordant cum eo. Secundo pertractabitur opinio opposita, & soluentur rationes suæ.

Quantū ad primum aduerte, quod mens b. Tho. est, vt patet in 1. parte. q. 76. art. 4. cui concordat Greg. in 2. sen. dist. 17. q. 4. & Her. in q. magna de pluralitate formarū, quod non sint plures formæ substantiales in eodem animali partium etherogenerarum, nec diuersi forū organorū, immo est tantum vna forma totius animalis, & quācumque partū, donec visitur in toto. Hanc cōclusionē sic probare possumus. Organizatio corporis, & distinctio partū etherogenerarū preuenit aliquo modo productionem animæ. Est enim anima actus corporis, non quæcumque, sed physica organici. Igitur si huiusmodi partes habent proprias formas substantiales, sequitur quod præueniunt animæ corruptuntur, aut permanent, si corrumpuntur, aut alia similes inducuntur, aut non, si primo modo, ergo frustra corrumpuntur, ex quo ille sufficiebant, sicut suæ cōsimiles, si secundo modo, habetur propositū, quoniā post aduentū animæ, erit verum dicere, quod est tantū vna forma totius animati, & omnium organorū & omnium partū etherogenerarū, si permanent, sequitur quod erit vera generatio substantialis alicuius, absque cuiusquā substantiali corruptione, quod repugnat philosophi Arist. Quod & cōfirmatur per Cōmen. in 1. phy. cōmen. 69. vbi inquit, si materia haberet propriā formā, nullam aliam reciperet ipsa permanente. Sed statim corrūperetur, quā cito alia forma generaretur, præterea si manent, sequitur quod productio illa non erit vera generatio simpliciter, sed alteratio tantum, quoniā subiectū differens trāsmutationem, retinebit sub utroque termino idem nomē, & eandē diffinitionē, cum quæ-

libet forma substantialis constituat in esse specifico. Nec refert quantū ad hoc, utrum illa forma sit perfecta vel imperfecta, quia quælibet constituit hoc aliquid vnum secundū speciem, & per consequens manente eadem forma, ipsum erit idem non variatum secundū substantiā suam, ac per hoc quælibet trāsmutatio superueniens erit solum accidentalis, & hoc ipsum confirmatur per Cōmen. qui in 1. phys. cōmen. 69. per hoc probat, quod materia non est aliquid existens actu habens propriā formam substantiālem, quoniā tunc generatio in substantiā esset alteratio, & formæ receptæ essent accidentia. Vt igitur nō sequatur huiusmodi inconuenientia, tenendū est, quod non sunt plures formæ substantiales in animali secundū pluralitatem organorū &c.

Quantum ad secundū aduerte, quod Ant. And. in 7. lib. in q. 17. tenet partem affirmatiuā. Dicit enim quod in quolibet viuo præter formā animati, quæ est anima, est alia forma totius, quæ est forma corporis & forma mixti, & præter has quæ sunt cōmunes toti animali siue viuo, sunt alia partiales specificè distinctæ, & sunt totæ, quod organa distincta, & hanc suam opinionem conatur probare tribus rationibus.

Prima est, pars aliqua animalis potest separari ab animali, vt si pars ossis abstrahatur ab animali, & remanet actu post separationem, vt patet, & non remanet actu per formam totius, cum sit extra totū, nec remanet per formam de nouo genitam, quia tam subito, sicut potest esse illa diuisio si sit in instanti, non potest ab agente naturali noua forma introduci sine alteratione præcedente, ergo remanet per formam propriam, quam prius habebat, dum esset vniuersa in toto.

Ad hoc conceditur totum, vsque ibi, nec remanet per formam de nouo genitam, hoc negatur, ad probationē dico, quod quocumque paruo tempore fiat diuisio, sit enim alteratio, quæ vt præuia, sufficit pro generatione nouæ formæ ab agente naturali in parte diuisa, nam forma illa est forma cadaveris, quæ est forma vilis, & vt via in resolutionem ad 4. elementa. Ad cuius generationem propter vilitatem suam, nec multū temporis, nec multæ dispositiones, nec ordinata alteratio requiritur. Sicut opposito modo contingit, quando debet generari animal propter nobilitatem animæ, quæ cōparatur ad formas inferiores ea, vt perfectum ad imperfectum.

Secunda, vna forma mixti non videtur posse informare materiam dispositam contrariis, & repugnantibus mixtionibus.

SEPTIMI METAPHY.

Sed in corpore animalis sunt tales mixtiones ex 1. de anima, & patet, quia cerebrum est frigidum, & cor calidum.

Ad hoc respondet Her. & Greg. vbi supra, & negant maiorem. Dicunt enim illam non habere veritatem, nisi in forma, quæ ita est vna, quod non est multiplex virtute, vt forma elementi, modo forma mixti animati est multiplex virtute, equi-
poller enim formis 4. elementorum, & ideo sicut forma ignis est principium calefaciendi, & aquæ infrigidandi, sic forma mixti in diuersis partibus mixti, ad exercendum diuersas & contrarias operationes prout conuenit mixto animato, & præcipue animali perfecto. Et aduerte quod cõsimiliter soluitur argumentum, quo Ant. Andr. arguit in principi. illius quæstionis. Sic enim arguit. Actiones specie distinctæ, sunt à formis specie distinctis, quoniam cum forma det esse & agere, actio notificat formam. Sed in partibus animalis sunt actiones specie distinctæ, vt patet, quod cor calefacit, & cerebrum infrigidat, ergo &c.

Hoc inquit soluitur vt præcedens, quoniam maior non habet veritatem, nisi in hoc disincto. Actiones specie distinctæ sunt à formis specie distinctis, vel à forma equipollente formis specie distinctis. Et 2. pars verificatur in casu proposito, quare &c.

Tertia secundum Arist. in lib. de animalibus, cor prius etiam tempore generatur, quam aliæ partes animalis, & sic est assignatione animalis terminatas ab plures formas tergo &c.

Ad hoc concorditer responderetur à tenentibus vnitatem formæ in composito, quod philosophus per generationem cordis ante alias partes intendit figuratiõem eius, non tamen esse & essentialiter cordis, nisi in eo instanti in quo introducit formam animanti, quæ est anima, quæ informat totum & singulas eius partes.

Vltimo aduerte quod Ant. And. volens seruare pluralitatem formarum partialium secundum partes organicas, ne videatur tenere contra philosophum, qui vult quod manus mortua non sit manus, nisi æquiuoce. Quod vtique non verum, si manus habet propriam formam, distinctam à forma totius animati, nam hoc concesso, manus siue coniuncta siue separata retinebit suam propriam formam, & sic erit eadem manus viuæ & mortuæ ex quo stat eadem forma propria manus. Vt igitur Ant. And. non videatur tenere contra philosophum, sic distinguit. Manus potest dupliciter considerari. Primo ma-

QVAESTIO XX.

176

nus vt manus. Secundo manus vt organum officiosum ad exercendum opus vitæ, sicut est de oculo & aliis similibus: si primo modo, sic est manus vniuoce, quandiu manet sub propria forma manus, sic secundo modo sic est manus æquiuoce, quia sine anima non potest exercere opus vitæ, & in secundo sensu intendit philosophus, cum dicit, manum mortuam sicut & oculum mortuum, esse manum, æquiuoce.

Sed bene consideranti patet, quod stante sua distinctione non seruetur propria & vera æquiuocatio inter manum viuam & mortuam, & similiter inter oculum viuum & mortuum, nam æquiuoca proprie dicuntur, quorum solum nomen est commune & ratio substantiæ est diuersa, sed secundum stat eadem ratio substantialis, quia stat eadem propria forma. Cõstat autem quod philosophus in 2. de anima in tex. 9. intendit de propria æquiuocatione. Dicit enim quod si oculus esset animal, anima eius esset visus quo deficiente non esset adhuc oculus, nisi æquiuoce, sicut lapideus & depictus. Si igitur oculus mortuus est ita æquiuoce oculus, sicut lapideus, patet quod nullam formam substantialem retinet, quam habuit in corpore animato, sed tantum figuram, vt inquit Commen. in commen. eiusdem tex. Non igitur valet distinctio Ant. And. Hæc de præfenti quæstio dicta sunt.

Quæstio 20. si totum distinguitur à partibus simul sumptis.

Quoniam vero ex aliquo compositum sic vsque ibi. Sed & alterum sit. Textu. 60.

In hac quæstione aduerte, quod solet pertractari hic, & in 1. physic. in tex. 17. vbi inquit philosophus, verum vnum aut plura pars & totum. Et inuenio duas opiniones extremas. Prima tenet partem affirmatiuam, & est b. Tho. vt patet in expositione, quam sequitur Herueus in 2. quolibet libro q. 14. Alteram tenent pro maiori parte commentarii, eo quod Comment. in 1. physic. comment. 17. dicit vnaquasque partium dicitur esse aliud à toto, sed omnes in simul non possunt dici esse aliud à toto. Primo igitur pertractabitur opinio b. Tho. & Heruei. Secundo opinio Comment. & soluentur rationes, quæ induci solent pro eo.

Quantum ad primum, aduerte resolutionem opinionis nostre stare in hoc. Totum differt realiter ab omnibus suis partibus vniis & simul sumptis, non per aliquam partem, quoniam

implicat dari partem in toto, præter omnes eius partes, nec per aliquam passionem totius, quoniam passio est natura posterior, & supponit totum constitutum ex partibus, nihil autem distinguitur essentialiter ab alio per sui posterius, sicut enim distinctiuum non est posterius distincto. Sic distinctiuum non est posterius distincto, nec per ipsam unionem partis cum parte, quoniam cum vno dicat priuationem diuisionis, siue habitudinem, sequitur quod totum dicat formaliter talem priuationem, vel habitudinem, quod est falsum, hæc enim consequuntur naturam totius. Totum autem dicit formaliter compositum ex his. Sed differt seipso toto, id est, ex sui natura. nam sicut natura partium est quod componant hoc. Sic natura totius est, quod sit compositum ex his, licet autem differat seipso à partibus, non tamen differt quolibet sui, id est, quolibet inclusio in toto, quia cum totum includat partes, differret à partibus per partes, quod est impossibile, sed differt seipso, quia est talis nature, quia scilicet est compositum & non componens, & si quæras, utrum totum differens realiter à partibus addat aliquid supra partes, vel sit aliquid præter partes. Dico quod neutrum est concedendum proprie loquendo, non primum, quia illud proprie est præter alterum, quo non est ipsum, nec ipsum est aliquid eius, sicut diximus, quod in substantia composita, præter materiam datur forma, quoniam materia non est forma, nec forma est aliquid materie. Constat autem quod licet totum non sit aliqua pars, tamen pars est aliquid totius, & ideo non potest proprie dici esse aliquid præter partes, non secundum, quia illud proprie addit super alterum, quod includit ipsum, deinde dicit aliquid sui supra illud, sicut homo albus addit supra hominem. Sed ut dictum est, Totum quod est ex his non addit aliquid quod sit sui, supra omnes partes, quia non partem, non passionem, non unionem, ergo &c. Et si quæras quid ergo dicit totum, per quod non sit suarum partium simul sumptarum. Dico, quod dicit naturam sui ipsius, quæ non est partes, sed ex partibus, facta hac declaratione resolutiua ponitur hæc conclusio. Totum compositum ex partibus siue integralibus siue essentialibus, quod est unum per se, de hoc enim toto hic proprie quærimus, non est suarum partium simul sumptarum. Probatur primo sic, si huiusmodi totum est suarum partium ergo non differt à toto vniuersali, quod est manifeste falsum, quoniam partes totius vniuersalis, non sunt integrales nec essentialia, sunt autem subiectiua, ergo totum integrale & essentialia differunt

runt à toto vniuersali. Consequentia autem sic probatur. Totum vniuersale est suarum partium, & non est ex partibus, non enim genus componitur ex speciebus. Totum autem integrale & essentialia sunt ex partibus, quoniam vere componuntur ex partibus, ergo si totum integrale & essentialia sunt ex partibus, ergo si totum integrale & essentialia sunt suarum partium, non differunt à toto vniuersali.

Secundo, si huiusmodi totum est suarum partium simul sumptarum, non est unum simpliciter, sed tantum secundum quid, ut aerius lapidum, quod est manifeste falsum, probatur consequentia. Quod est plura non est unum simpliciter, licet enim unum simpliciter possit esse ex pluribus, non tamen plura. Sed secundum te, omne totum integrale & essentialia est plura, quia est suarum partium, quæ vnite & non vnite sunt plura, ergo &c.

Tertio, sequitur quod non poterit assignari terminus per se, generationis substantialis nec corruptionis, nam apud philosophum materia non per se generatur, cum sit ingenua, nec formata, sed tantum per accidens, scilicet ad generationem compositi, ut docuit philosophus in hoc 7. lib. tex. 26. nec unio, siue compositio, siue aggregatio partium potest esse terminus, cum dicant respectum. Si ergo non daturus tertia entitas confurgens ex partibus vnitis, non poterit assignari terminus per se generationis substantialis. Idem patet recte intelligenti ex parte corruptionis, quare &c.

Quantum ad viam Cömen, aduerte, quod licet Comment. videatur clare tenere partem negatiuam, ut patet in phy. commen. 17. vbi inquit, totum est aggregatio partium, & in 4. phy. commen. 43. Totum nihil aliud est, quam partes eius, tamen commentaria non concordant, quoniam aliqui ex eis, ut Burleus in 1. phys. post expositionem tex. 17. tex. tenet, quod distinguitur, aliqui vero ut Iand. in 1. phys. q. 10. tenet, quod non distinguitur, aliqui tenent utranque viam, ut Petrus Pomponac. & Paulus Sonc. in 7. metaph. q. vltima. Tamen quia communiter via negatiua attribuitur Comment. ideo volo principales rationes solitas induci pro hac opinione formare & soluere.

Aduerte igitur, quod principales rationes suarum partium sunt istæ, si totum distinguitur à partibus insimul sumptis, includit aliquid ultra partes, vel dicit aliquid præter partes, vel addit aliquid supra partes. Non enim est imaginabile duo distingui abinui cem, nisi unum includat aliquid quod non includit aliud, vel

SEPTIMI METAPHY.

addat super aliud, vel dicat aliquid præter aliud. Sed nõ potest assignari quid includat totum ultra partes, nisi aut vnione quæ est relatio, & sequitur totum constitutum, nec quid dicat præter partes, nec quid addat, nisi ipsam vnionem, quæ vt dictum est subsequitur, ex consequenti non est, de ratione formali totius, cum relatio non sit de ratione formali rei absolute.

Ad hoc iam patet responsio, per declarationem positam in questione, & negande sunt omnes consequentiæ, & dicendum, quod totum ideo distinguitur à partibus, quia ex natura sua est alia entitas ab entitate partium, est enim tertia entitas resultans ex partibus, partes autem non resultant ex partibus.

Præterea arguitur argumento recitato à Commenta. in 1. phys. commen. 17. Hæc pars est aliud à toto, & hæc, & hæc, & sic de singulis, ergo omnes sunt aliud à toto. Valet consequentiæ à singularibus sufficienter numeratis ad vniuersalem. Quod autem consequens sit falsum patet, quia si omnes sunt aliud à toto, ergo totum est aliud seipso: quoniam totum est congregatio partium.

Huic respondens Commen. dicit, quod peccat per fallaciam compositionis & diuisionis, eo quod & si omnes partes simul sumptæ sunt idem cum toto, non tamen diuisim sumptæ. Et ideo eñ arguitur. I hæc & hæc, & sic de singulis est aliud à toto ergo omnes sunt aliud à toto, negatur consequentiæ, quia sit trāsitus à diuisim ad coniunctim, vel à distributiua ad collectiua.

Sed Thomistæ aliter respondent, quod omnes partes tam diuisim quæ coniunctim sumptæ, sunt aliud à toto, & cum inferunt, ergo totum est aliud à seipso, negatur consequentiæ, & quando probatur, quoniam totum non est aliud quam congregatio partium. Hoc negatur in via nostra. Nam totum apud nos est quid resultans ex congregatione partium, & dicitur tertia entitas. Ideo hoc argu. apud nos habet paruam apparentiam, licet commentistæ ipsum magnificiant.

Præterea, arguitur per philosophum in 1. de anima, rex. 10. vbi inquit, & sicut oculus est pupilla & visus, & ibi anima & corpus animal, si ergo hæc est vera, animal est corpus & anima, cum animal sit totum, & illæ partes essentielles, ergo totum est suæ partes.

Ad hoc responderetur, quod licet philosophus vtatur prædicatione in recto, tamen debet intelligi eius veritas prædicatione

QVAESTIO XX.

178

ne in obliquo, vt sic exponatur. Sicut oculus componitur ex pupilla & visu, sic animal ex corpore & anima. Sic exponit b. Tho. & Commen. in comen. 10. innuit idem. Inquit enim, sicut hoc nomen oculus dicitur de illo membro, quod est compositum, & de virtute visibili, quæ est in eo, sic animal dicitur de corpore & anima. Hæc de præsentibus quæ sita dicta sint.

Expliciant q. Fr. Chrys. Iauelli Canap. ord. præd. philosophiæ & sacre Theologiæ professoris super 7. lib. metaph.

Incipiunt quæstiones eiusdem super octauum.

In octauo libro in quo philosophus pertractat de substantiâ composita modo reali, & de partibus eius, quæ sunt materia & forma, resoluenda sunt dubia infra notata. Sed aduerte, quod multas quæstiones formabimus de materia & forma, ad plenam noticiam metaphysicalem de eis habendam, quæ nõ sunt expressè fundatæ in textu philosophi, ideo singulis non præponetur textus. Cum autem expedita fuerit hæc consideratio, pertract. quæstiones textuales huius 8. lib. Hunc vero ordinem seruare volumus, ne confundantur quæ sita.

Agentes igitur prius de materia, Primo considerabimus si est separabilis à forma secundum esse, & secundum cognitionem.

- 1 Si materia potest esse actu & cognosci sine forma.
- 2 Si materia prius recipit quantitatem, vel habet eam inseparabiliter, antequam recipiat qualitates, ut dispositiones ad formam substantialem.
- 3 Si aliqua qualitas quæ sit dispositio ad formam introducendam præcedit formam, ita quod non corrumpitur in aduentu formæ.
- 4 Si materia potest simul informari pluribus formis substantialibus.
- 5 Si forma est separabilis à materia secundum esse vel se-

eundum conceptum.

- 6 Si intentio & remissio ita convenit formæ accidentali, quod repugnat substantiali.
- 7 Si ex materia & forma sit unū per se, & propter quid, & an immediate.
- 8 Si nomen speciei significat solam formam, & dato quod quod non, si prius significat formam, quam compositum.
- 9 Si numerus habet esse reale extra intellectum, & si est unum per se & entitas distincta à numeratis.
- 10 Si ultima unitas est forma numeri.
- 11 Si numerus quantitativus invenitur solum in rebus materialibus, an etiam in abstractis.
- 12 Si materia que est pars compositi est in celo.
- 13 Si materia cæli & horum inferiorum sunt eiusdem rationis.
- 14 Si forma cæli uniretur materiæ horum inferiorum, utrum cælum esset incorruptibile.
- 15 Si materia omnium corporum cælestium est eiusdem rationis, sicut materia omnium inferiorum.
- 16 Si accidentia componuntur ex materia & forma.
- 17 Si materia concurrat activè ad generationem.

QVAESTIO PRIMÀ.

Si materia potest esse actu, & cognosci sine forma.



IN HAC quæstione inuenio tres opiniones falsas: prima est b. Tho. Secunda Scoti, & Ant. And. Tertia Gregorij. Prima est mere negatiua. Secunda & tertia sunt affirmatiuæ, & quoniam intendo sustinere primam, sic procedendum est.

Actus tripliciter sumitur: Primo actus formalis, & est idem quod esse datum à forma: Secundo actus existentie, & est ipsum existere signatum per ly est in propositione de 2. adiacente. Tertio actus entitativus, de quo quid sit, dicitur infra:

Quantum ad esse actu in primo sensu, omnes concordant, & materia nõ est, nec potest esse sine forma, sed pura potetia, vt patet per philosophum in hoc 8. li. in tex. 3. materia dico, quæ nõ hoc aliquid ens actu, potestate autem est hoc aliquid; immo est contradiçtio ponere oppositum. Nam esset actu primo modo per te, & non esset actu, quia esse actu primo modo, est tantum à forma, & per te in casu, est sine omni forma, ergo nõ esset actu primo modo, & ideo in hoc sensu loquens Comen. in libro de substantia orbis dixit, materia nunquam denudatur ab omnibus formis, sed semper stat sub aliqua. Quantum ad esse actu in secundo sensu concordant in negatiua b. Tho. & Scotus, quoniam omnem existentiam materiæ tenet esse à forma. Greg. autem tenet partem affirmatiuam, quoniam distinguit inter existentiam & existentiam formalem, verum quia hanc suam imaginationem posuimus in lib. 7. in q. 5. & soluimus rationes eius, ideo nõ est hic repetenda.

Quantum ad esse actu. 3. modo, discordat b. Thom. tenens partem neg. à Scoto tenente partem affirm. nam considerans b. Thom. quod secundum philosophum & Commen. esse actu in naturalibus non est nisi à forma, ideo non concederet positionem Gregorij nec Scoti.

Restat ergo vt videamus quid veritatis habet opinio Scoti, & in quo differt ab opinione nostra. Pro notitia ergo huius,

OCTAVI METAPHY.

declarabitur opinio Scoti, de potentia obiectiua & subiectiua, de actu obiectiua & formali, deinde videbitur differentia inter opinionem suam & nostram.

Tu igitur aduerte ex his quae dicit Anro. And. in 7. lib. in q. 6. apud Scotum, potentia obiectiua est omne illud quod nondum est, potest tamen ab aliqua potentia productiua poni in esse, ut rana generanda est in potentia obiectiua caeli, & rosa generanda est in potentia obiectiua radice. Et breuiter, obiectum cuiuscunque potentiae productiuae, antequam producat, est in potentia obiectiua. Huic potentiae correspondet actus obiectiuus, & est illa res, quae erat in potentia obiectiua. Nam postquam producta est, dicitur esse in actu obiectiua, quia quod poterat produci & habere esse, productum est, & habet esse extra causam suam productiuam. Dicitur etiam actus entitatio, quia postquam producta, res est, iam est extra nihil, ex consequenti est in genere entium. Potentia autem subiectiua est omne illud, per quod aliquid recipitur in altero, ut in subiecto, & sic quicquid est receptiuum formae, siue substantialis, siue accidentalis, dicitur esse in potentia subiectiua, unde quia substantia recipit colorem mediante superficie, dicitur esse in potentia subiectiua. Huic potentiae correspondet actus formalis, qui est ipsa forma, siue substantialis siue accidentalis, recepta vel receptibilis in aliquo mediante potentia subiectiua, stante hac declaratione intendit Scotus, quod materia praecise sumpta, & denudata ab omni forma, quae ante sui productionem ab agente primo erat in potentia obiectiua, post sui productionem est in actu obiectiua siue entitatio, eo quod post sui productionem est extra nihil, & extra causam suam productiuam, & iam est in genere entium. Non tamen est, nec potest esse in actu formali, nisi ut fiat sub aliqua forma, quoniam actum formalem recipit a forma, sicut substantia corporea non potest esse actu alba, nisi sub specie albedini. Si igitur ponatur materia sine omni forma, erit quidem in actu entitatio & in potentia subiectiua, sed non in actu formali. Haec fuit imaginatio Scoti, quae tota fundatur super potentiam obiectiuam, qua reprobata totum fundamentum Scoti ruit, & quoniam in lib. 9. disputabimus, si apud philosophum & Commentar. admittenda sit huiusmodi potentia, ideo sustine usque ad libram nonum, ne iterum repetamus idem.

Pro nunc sufficiet tibi, si declarauimus differentiam inter

QVAESTIO I.

180

viam Scoti & nostram. Aduerte igitur quod quo ad sensum paruum inuenimus differentiam siue repugnantiam, nam Scotus tenent triplicem potentiam, scilicet actiuam & passiuam quam vocant subiectiuam & obiectiuam, & Thomistae tenent, similiter tres, scilicet passiuam & actiuam ex parte agentis, quia, scilicet agens potest aliquid producere vel ex parte productibilis, quia, scilicet producibile potest ab agente produci, nam alio modo rosa generanda in vere est in potentia actiua agentis naturalis, & alio modo intelligentia producibilis ab agente primo, sic enim rosa est in potentia agentis naturalis, quod sibi correspondet passiuam, scilicet potentia materiae, quae potest recipere formam rose, intelligentia autem est in materia potentia actiua primi agentis, quoniam ei non correspondet potentia materiae ex qua producat, unde in via nostra dicitur rosa generanda esse in potentia passiuam materiae, & in potentia actiua agentis, intelligentia autem est tantum in potentia actiua agentis, ideo autem aliquid est in potentia actiua agentis, quia est obiectum producibile ab eo, ex quo patet, quod illud quod Scotus dicit esse in potentia obiectiua, nos dicimus esse in potentia actiua agentis. Quod etiam patet per conditiones quas attribuit Scotus potentiae obiectiuae, sic enim verificatur de potentia actiua, sicut de potentia obiectiua, sunt autem istae, primo per potentiam obiectiuam res ponitur posse esse, licet non sit. Idem verificatur de potentia actiua agentis. Quod enim est in potentia actiua agentis, licet non sit productum potest tamen produci, secundo, potentia obiectiua non est vna plurius, alia est enim potentia qua rosa est producibilis, & alia qua homo, & alia qua leo, &c. Idem secundum nos attribuitur potentiae actiuae proxima, quoniam distincti effectus sunt a distinctis agentibus, qui agunt distinctis potentis actiuis. Dico autem proximo quoniam non inconuenit ab vna potentia actiua superioris & remoti agentis, ut ab vna potentia solis, plures effectus in his inferioribus produci. Cum ergo ea quae attribuit Scotus potentiae obiectiuae, possint saluari per potentiam actiuam, quae res producibilis est ab agente, non est necesse ponere huiusmodi potentiam: unde via nostra ut magis declarabitur in lib. 9. est consona philosophiae Arist. & Commenta.

Quantum ad secundam partem questionis, scilicet utrum sit cognoscibilis sine forma, id est, utrum possit concipi sine hoc quod apprehendatur forma, aduerte quod tota difficultas pen-

det ex precedentibus, nam qui tenent materiam esse in actu sine forma, vt Sco. & Greg. tenent ex consequenti eam esse cognoscibilem sine forma, eo quod ens actu potest mouere intellectum ad sui cognitionem. Qui vero tenent eam nullo modo esse actu, dicunt eam non cognoscibile, nisi per respectum ad formam. Et quia Thomiste negant omnem actum a materia, ideo negant eam esse cognoscibilem nisi per formam, & pro hac conclusione sic arguitur. Quocumq; conceptu concipiatur materia, non erit proprius materia, nisi concipiatur vt potentia, vbiq; enim philosophus & Comen. dicunt esse potentia. Sed potentia non potest concipi nec apprehendi nisi in ordine ad actum, cum respiciat actum, vt videbitur in lib. 9. Actus autem materię est ipsa forma, ergo est impossibile cognoscere materiam nisi per formam. Quod confirmatur per Comen. in 1. phys. commen. 69. Sic enim inquit. Materia que est subiecta substantię, non potest intelligi per se, cum non sit aliquid in actu habens quidditatem, sed intelligitur secundum comparationem, propter latentiam suam substantię, & ideo cum voluerimus dare substantiam eius, dicimus ipsam esse id, cuius proportio ad substantiam est, sicut proportio cupri ad idolum. Quomodo autem intellectus veniat in cognitionem materię, iam declarauimus in epit. nostro in 8. li. metaph. & Comen. in li. de substantia orbis in ca. 1. idem per trac. & eius sententia stat in hoc. Transmutatio in substantia fecit cognoscere materiam primam, sicut transmutatio secundum locum, fecit scire materiam localem, vnde per abiectionem & receptionem formarum substantialium, deuenimus in noticiam eius, nam cognouimus quod oportet aliquid subici in transmutatione, & permanere, & contrariis subesse successiue, ex predictis igitur patet, quod materia non potest esse, nec cognosci sine forma.

Postremo aduerte aliqua argumenta apparentia quibus arguitur quod possit esse sine forma.

Primo sic, vnumquodque potest separari ab eo quod non est sibi essentialis nec proprium, quoniam ex 1. poster. que sunt primi & secundi modi per se, sunt inseparabilia, sed nulla forma est essentialis nec propria materię, cum ex sui natura sit indifferens ad omnem formam, nec aliquam sibi ex natura determinat, ergo potest separari & per consequens esse actu sine forma.

Ad hoc dicitur quod licet nulla forma signata sit essentialis & propria materię & per consequens possit esse sine hac & illa, & illa &c. non tamen sine omni, & sic arguere, est arguere a

diuisim ad coniunctim, quod non tenet in hoc proposito, vnde dico quod licet non sit essentialis & proprium materię, esse sub aliqua vna forma signata, est tamen proprium materię esse semper sub aliqua, ita quod vt dicit Comen. in lib. de substantia orbis, nunquam denudatur ab omnibus formis simul, sed semper stat sub aliqua.

Secundo, quod accidit materię est separabile ab ea per definitionem accidentis, sed forma accidit materię, cum non sit de essentia materię, ergo &c.

Ad hoc dicitur quod maior est falsa, nam & risibilitas accidit homini, & tamen non potest esse sine ea, potest etiam negari minor, quia licet forma sit extra essentiam materię, tamen quo ad esse pendet a forma.

Tertio, si omnis forma separaretur a materia, aut materia remaneret, aut non, si sic, habetur intentum, quoniam esset sine omni forma, si non, ergo corrüperetur, quod est contra philosophum, qui ponit eam ingenitam & incorruptibilem in 1. phys. text. 82.

Ad hoc dicitur quod si poneretur antecedens, materia non remaneret, aliter sequeretur contradictio, vt dictum est supra, & cum dicitur, quod hoc est contra philosophum ponentem materiam ingenitam & incorruptibilem. Respondetur, quod philosophus intendit materiam ingenitam & incorruptibilem considerata natura sua, cum hoc tamen stat quod posito antecedente impossibile, sequatur consequens impossibile, vt stat sub illo antecedente, sicut licet ponatur cælum incorruptibile, hoc tamen conditionalis est vera, si cælum esset alterabile, esset corruptibile. Sic in proposito. Si materia denudatur omni forma, definit esse, verum quia est impossibile, vt denudetur omni forma, sic est impossibile vt definat esse. Hæc de presenti questione dicta sint.

Questio 2. Si materia prius recipit quantitatem, vel habet eam inseparabiliter, antequam recipiat qualitates vt dispositiones ad formam substantialem.

Circa hanc q. aduerte, quod difficilis est propter solennes defensores Comment. inter quos est Greg. in 1. dist. 11. q. 2. ar. 1. vbi ponit tres conclusiones. Prima, quantitas materię dum rarefit aut condensatur non corrumpitur. Secunda, cum aliqua res corrumpitur, quantitas non corrumpitur. Tertia, quando aliqua res augetur, nulla quantitas noua acquiritur, nec præ-

cedens augeat. Prima conclusio non contrariatur doctrinae b. Tho. ut sustinebimus infra, quando quaeremus, utrum quantitas possit intendi & remitti, aliae duae sunt contra b. Tho. idem omnes rationes Gregorij soluendae sunt quibus conatur defendere viam Comment. Tu igitur ut defendas viam b. Tho. sic procedendum est. Primo declaranda est via Comment. cum fundamentis suis. Secundo ponetur conclusio Thomistica contra Comment. & probabitur rationibus b. Tho. Tertio recitabuntur rationes Gregorij in fauorem Commentatoris, & soluentur.

Quantum ad primū adverte qd vt ponit Greg. in 2. sen. di. 2. q. 2. opinio Comment. fuit & multorum sequentium eum, quod licet nulla forma sit inseparabilis à materia, nec aliqua qualitas, quoniam modo est sub vna forma, modo sub alia, idem dico de qualitate, tamen quantitas materiae sibi coaeque inseparabiliter adheret, ita qd in materia nunquam quantitas quantitati succedit, & hec videtur expressa intentio Comment. in lib. de substantia orbis cap. 1. qui inquit, Materia prima nunquam denudatur à dimensionibus interminatis. Item inquit, Dimensiones simplices, quae appellantur corpus simplex, nō denudantur à primā materia, fundamentum autem Comment. fuit, vt patet in eodem libro, quia credidit quod si in corruptione rei corrumpitur quantitas, quod corpus generandum fieret ex nō corpore, dimensio ex nō dimensione, & materia A, remaneret indiuisa & indistincta quantitatiue à materia B. Item non potest imaginari Comment. à quo possit corrumpi quantitas lapidis dum corrumpitur lapis, quoniam vel corrumpitur à suo contrario, & hoc non, quia quantitati nihil est contrarium, vel concomitanter, puta quia corrumpitur forma lapidis, ex consequenti corrumpatur quantitas, & hoc non est necesse, quia licet non possit introduci alia forma in materia, nisi procedenti remota, tamen quantitas non obest quin alia forma introducatur, immo cōfert, vt recipiatur forma in materia, à distincta à quacunque alia materia, sicut quando generatur ignis ex aere, non est necesse qualitatem simbolicam corrumpi ex 1. de generatione. Hæc est sententia Commenta. & sequentium eum, inter quos præcipuus est Greg. vbi supra, cuius principales rationes adducemus & soluemus infra.

Quantū ad secundū adverte qd mens b. Tho. est in generatione substantiali formam recipi immediate in materia, ita qd nulla quantitas nec qualitas rei generandae præcedit formā sub-

stantialē, quoniam subiectū formae substantialis est ens in pura potentia, quale est materia primis, similiter in corruptione substantiali, ad corruptionē formae corrumpuntur omnia accidentia, inter quae est quantitas, quoniam cuiuscunque accidentis secundum viam participati subiectū est ens actu, remota autē forma substantiali, non remanet ens actu, quoniam sola dat esse actu similiter ipsi materiae, & ideo corrupta siue separata à materia forma substantiali, desinit esse omnia eius accidentia. Ex hac doctrina b. Tho. ponitur conclusio contra Comment. nulla quantitas est coeua & inseparabiliter inherens materiae. Sed cum res generatur, noua quantitas recipitur in materia, & præcedens corrumpitur, & hanc quidem conclusionē conabimur probare ex fundamentis Arist. & primo sic, si quantitas immediate inhereret materiae, ergo accidens ad quod est motus pro subiecto habet ens in potentia & non ens in actu, quod est falsum secundum doctrinam philosophi, consequentia nota, falsitas consequentis declaratur. Nam philosophus in 5. physic. in tex. 8. ponens differentiam inter mutationē substantialem & motum, assignat pro differentia, quoniam illa est ex non subiecto in subiectum, vel e converso, & per non subiectū intendit non ens actu, ens autem in potentia. Motus autē est ex subiecto in subiectū & per subiectum intendit ens actu. Cum igitur motus & terminus motus non distinguatur realiter, necesse est si subiectū motus est ens actu, & subiectum termini motus esse ens actu. Constat autem ad quantitatem esse motum, ergo quantitati repugnat pro subiecto, habere ens in potentia, quale est materia prima, sicut formae substantiali repugnat apud philosophum habere pro subiecto ens actu.

Secundo sic. Cum quantitas sit accidens, & forma substantialis sit substantia, ergo quantitas est ens secundū quid, & forma substantialis est ens simpliciter secundū doctrinā Arist. in 7. metaph. tex. 3. & cum ex accidente & subiecto fiat vnum, & ens per accidens ex 5. lib. metaph. cap. de ente, ergo ex quantitate & materia fit vnum & ens per accidens. Tunc ultra, si quantitas immediate inhereret materiae, ita quod præcedat formam substantialem, sequitur ens secundū quod præcedere ens simpliciter, & ens per accidens esse prius ente per se, quae omnia sunt manifeste falsa, quoniam ens secundū quod non est ens nisi in ordine ad ens simpliciter, & omne per accidens supponit per se.

Tertio sequitur quod potentia materiae intimius & essentia-

OCTAVI METAPHY.

lius respiciat accidens, quàm formã substantiale & maiorem colligatione habeat ad accidens quàm ad substantiã, quæ omnia sunt falsa, consequentia probatur, quoniã secundũ hanc viam, materia respicit quantitã inseparabiliter, formã autem substantiale separabiliter, falsitas autẽ consequentis sic probatur, quoniã materia essentialius & intimius respicit actum sui generis, quã actũ alterius generis, maiore enim affinitate habet eum illo, quàm cum isto. Sed forma substantialis est actus eiusdem generis cum materia, cõueniunt enim in substantia, quantitas autem, cum sit accidens, est actus alterius generis, quia non cõueniunt in generalissimo, vt patet, ergo &c.

Plures rationes ad hanc cõclusionem adducere possem, quas & alij adducere consueuerunt. Sed has puto sufficere.

Quantum ad tertium aduerte, quod licet multæ fiant rationes à Greg. & alijs Cõmentistis in fauore Cõmen. quas recitat & soluit Capreo. in 2. sent. dist. 18. q. 1. contra sextã conclusionẽ, tamẽ rationes super quas expresse fundauit se Cõmen. loquens contra Auc. sunt istæ, quas etiam terigimus in hac q. declarantes mentem Cõment. & eas intendimus soluere.

Prima est, Diuersæ formæ substantiales recipiuntur in diuersis & distinctis partibus materiæ, sed nõ est assignare in materia distinctas partes, nisi per quantitã, ergo necesse est quantitatem præcedere formam substantialem in materia, aliter quælibet forma substantialis totam materiam informaret, ex consequenti in simul essent formæ contrariæ, vel tota materia vnicam formam haberet, ergo &c.

Quoniã hæc ratio videtur totum fundamentũ Cõmen. & pro rei veritate est difficilis ad soluendũ, ideo intendo declarare, quod optime seruatur distinctio in partibus materiæ per quantitã, ita quod non datur instans, in quo materia non sit quanta, dato quod omnis quãtitas, quæ erat in materia cum forma corrupenda, corrumpatur eodem instanti, in quo compositum corrumpitur, & dato quod quãtitas non sit cõeterna materiæ, immo nec præcedat formã substantiale, vt ergo id manifestetur, adduco declarationẽ Heruei in q. de pluralitate formarũ, cuius relatio stat in hoc, suppono quod in permanentibus ex parte corruptionis, quæ est rei definitio, non datur vltimũ sui esse sed primum sui non esse: ex parte vero generationis datur primũ sui esse, sed non datur vltimũ sui nõ esse, & hæc iam cognoscere potuisti in trac. de primo & vltimo instanti, suppono

QVAESTIO II.

183

insuper, quod in eodẽ instanti, in quo definit esse substantiale rei, ex cõsequenti & per naturalẽ sequelam definit omne esse accidentale eius, quoniã esse accidentis supponit esse substantiæ, sicut accidẽs supponit substantiã, similiter in eodem instanti in quo incipit esse rei substantiale, incipit & omne esse eius accidentale, naturaliter sequẽs esse substantiale, sicut risibile rationale sequitur. His suppositis dico, qd cum in aliqua parte materiæ est introducenda forma substantialis, toto tẽpore præcedente instans introductionis, materia est quanta quãtitate quæ est cum forma abiicienda, in vltimo autem instanti illius temporis, quod est instans introductionis, est quanta quãtitate cõcomitate formã generandã. Nam in eodem instanti, forma corrupenda & sua quãtitas habent primũ sui non esse, forma vero generãda & sua quãtitas habent primũ sui esse ex primo supposito. Cum igitur inter tempus & instans non detur tempus nec instans medium, & idem instans sit in quo materia definit esse quanta quãtitate formæ corrupendæ per negationẽ de presenti, & positionem de præterito & in eodem instanti, materia incipit esse quanta quãtitate formæ generandæ per positionem de presenti, & negationẽ de præterito, ex his ergo constat, quod ad seruandam distinctionem quantitatiuam in partibus materiæ, non cogimur ponere quantitã inseparabilem à materia, nec eãdem remanere in genito & corrupto. Ad argumentum ergo cõcessa propositione prima & secunda, nego consequentiam, ad probationẽ nego quod aliquod eorum sequatur, quia non datur instans in quo materia non sit diuisa in partes quantitatiuas modo supra exposito.

Sed hic solet fieri instantia dupliciter, primo, quia cum substantia sit prior natura accidẽte ex 7. metaph. tex. 4. ergo forma substantialis generãda prior est natura in materia, quã quãtitas sua. Quæro ergo in illo priori naturæ, si materia est quanta, vel non, si non, ergo non semper materia remanet diuisa, & sic non recipiet hanc formã in hac parte & illam in illa, si sic, contra, quia non quãtitate formæ corruptæ, quoniam in illo instanti introductionis non est amplius, nec quãtitate sequente formam generandã, quoniam est prior natura sua quãtitate, ergo si non ponis quantitatem inseparabilem à materia, non potes seruare indefectibiliter distinctionem quantitatiuam in partibus materiæ.

Secundo sequitur ex hac positione, quod duæ formæ dispa-

ratæ & specificæ, & duæ quantitates eiusdem speciei, sint simul pro eodem instanti in materia, nam dicitur quod in eodem instanti forma præcedens & quantitas sua corrumpitur. Quod autem corrumpitur est, quia non est corruptio nisi entis existentis, & dicitur quod in eodem instanti forma sequens & quantitas sua generantur, ergo in illo instanti sunt, quoniam secundum te in permanentibus in primo instanti generationis datur primum sui esse. Hæc autem sunt manifeste falsa, ergo &c.

Ad primam dicitur quod in illo priori naturæ, materia est diuisa, non tam est quæta quantitate formæ corruptæ, nec quantitate formæ generandæ, sed est diuisa quantitate extrinseca ab hac materia, quæ scilicet est in alia materia ad hunc sensum. Hæc materia est indiuisa in se, & diuisa ab alia materia, quæ illa habet quantitatē, quam non habet hæc materia, ita quod talis diuisio in illo priori erit per habere & non habere, in instanti autē introductionis erit diuisio per habere, in hoc sensu. Hæc materia in hoc instanti habet hanc quantitatem concomitantem hanc formam substantialem, & alia materia habet aliam, ergo sunt diuisæ abinuicem, & sunt quantæ.

Ad secundam nego consequentiā, ad probationē cum dicitur, quod corrumpitur est, dico quod hæc propositio proprie verificatur, sumēdo corruptionē pro alteratione præuia ad non esse, si autē sumatur pro definitione rei in vltimo instanti terminatē alterationē, sic est falsa, & sua opposita est vera. Sic enim exponitur. Res permanens corrumpitur, ergo desinit esse, ergo quæ non est & ante hoc, nunc fuit, ergo &c. Patet ergo quod non sequitur duas formas disparatas, & duas quantitates esse simul pro eodem instanti in materia, fundatur enim in hoc falso. Rei permanentis corrumpendæ datur vltimum sui esse.

Secunda ratio Cōmen. fuit, quia si quantitas & dimensiones non præcedunt in materia formam substantialem, puta formam ignis, quæ est substantia corporea, fieret corpus ex non corpore, & dimensio ex non dimensione, fieret enim ignis secundum te, ex materia non quantæ, & forma non quantæ, hoc autem est inconueniens, ergo &c.

Ad hoc dicitur dupliciter, primo negatur consequentiā, quoniam vt patet ex dictis, quando generatur ignis, in nullo instanti materia est sine quantitate, secundo dico, quod non est inconueniens corpus fieri ex non corpore in actu, corpore autem in potentia, sicut calidum in actu, sit ex calido non in actu sed in

potentia, in proposito dico, quod non inconuenit corpus, puta lapsi fieri ex materia, quæ non corpus actu, sed corpus in potentia, in quantum est receptiua formæ corporeitatis & quantitatis, eadem enim potentia materiæ est primo ad formam substantialem, secundario est ad formam accidentalem, scilicet ad quantitatem & qualitatem.

Vltra rationes Comment. adhuc sunt duæ rationes tractæ ex doctrina b. Tho. quibus vibetur materiā esse immediatū subiectum quantitatis, & primo sic secundū b. Tho. vbiunque ponit sufficientiā predicatorū vt in 3. physc. & in 5. metaph. in cap. de ente, quantitas consequitur materiā & qualitas formā, si consequitur materiā, ergo non cōcomitur formā in generatione rei, sed præcedit eam in materia. Præterea supposito quod in homine nō sit alia forma distincta ab anima intellectiua, queritur aut quantitas consequitur animam intellectiuam, & hoc non, quia fieret extensa & quanta per accidens, ex consequenti esset corruptibilis, aut consequitur cōpositum & hoc, non quia quod consequitur aliud posterius est eo, quantitas autem non est posterior homine, cum de ratione hominis sit corpoream substantiam, ergo consequitur solam materiā, ex consequenti præcedit formam.

Ad hoc dicitur quod cōsequitur solam materiā, sed negatur illa cōsequentiā, ergo præcedit formam, nam non cōsequitur materiā vt suum subiectū, sed vt rationē receptiuam, vnde aduerte secundū doctrinā Heruei in 2. quoli. q. 10. esse subiectum quantitatis, est habere quantitatem sibi inhærentē qua sit quantum primo & per se, & vt quod, & sic subiectū quantitatis est corpus, quod est substantia corporea, esse rationem susceptiuā quantitatis est esse illud, quo quantum est quantum subiectiue, & hoc est materia, quoniam remota materiā non posset assignari, saltem in substantiis inferioribus principium essentiale quo substantia cōposita sit subiectū quantitatis, & præcipue in homine, aliter, vt argumentū probar. si in eo principium & ratio recipiendi quantitatem esset anima intellectiua, esset quanta per accidens, ex consequenti e ducta de potentia materiæ.

Secundo sic, b. Tho. in 4. lib. contra gentes 81. tenet expresse, quod remanet materia sub eisdem dimensionibus in mortuo & in viuo. Dicit enim sic. nullū principiorū essentialiū hominis per mortē omnino cedit in nihilū, nam anima rationalis mater per post mortē, materia etiā quæ tali formæ fuit subiecta, ma-

net sub eisdē dimensionibus, ex quibus habebat vt esset materia indiuidualis, hęc ille, ex quibus patet, quod cōcedit quantitatem immediate inherere materiæ. Nec potest responderi, vt aliqui Thomistæ respondent, quod licet b. Tho. in primis operibus suis, vt in sententiis si tenuerit, tamen melius cōsiderans in vltimis operibus, vt in prima parte, tenuit oppositum, & standum est vltimæ determinationi suæ. Hoc inquam non valet, quoniam summa contra gentes computatur inter vltima & precipua opera sua, tenetur pro testamento suo.

Alij dicunt, quod in illo loco tenet cum Cōment. non quod sic sentiat, sed quia scribit contra gentes negantes resurrectionem, voluit vt concessis ab eis ad declarandum resurrectionem esse possibilem. Sed nec id videtur valere, quoniam in eodem cap. soluens eandem rationem inductam postquam distinxit de duplici corporeitate, loquens de corporeitate quæ non est aliud quam tres dimensiones, dicit sic. & si hęc corporeitas in nihilum redit corpore humano corrupto, tamen idem homo resurget quia corporeitas primo modo dicta, id est, quæ est forma substantialis & idem est, cum anima intellectiua, manet, hęc ille, & aduerte quod ly, & si, non stat conditionaliter, sed pro quamuis, vt patet, quoniam subinfert, tamen idem homo &c. Quare videtur in eodem contextu sibi contradicere.

Ad hoc igitur dico quod fuit intentio b. Tho. easdem dimensiones non remanere actu, cum hoc tamen stat, quod non omnino reddant in nihilum, quoniam stant in materia vt in radice. Nam ex eo quod remanet forma corporeitatis vnibilis materiæ, stant potentialiter & radicaliter dimensiones in materia, vnde quādo b. Tho. dixit, quod materia etiā quæ tali formæ subiecta fuit, manet sub eisdem dimensionibus, intelligendum est non actu, sed radicaliter, sicut vegetatiuum remanet radicaliter in anima separata. Hęc de præsentī quæstio dicta sint.

Quæstio 3. si aliqua qualitas, quæ sit dispositio ad formam introducendam, præcedit formam ita quod non corrumpatur in aduentu formæ,

Postquam quæsiuimus quomodo materia se habeat ad quantitatem, nunc quæritur quomodo se habeat ad qualitates disponentes materiam ad formam recipiendam, & quæritur an recipiantur immediate in materia, & maneat in aduentu formæ

formæ. Aduerte igitur, quod hęc quæstio trahit difficultatem, ex eo quod necesse est materiā disponi ante aduentum formæ, quoniam actus recipitur in patiente disposito, & si in aduentu formæ dispositiones corrumpuntur, ita quod remaneat materia nuda, videtur esse indisposita sicut ante, ex quo nullæ dispositiones remanent. Hoc est præcipuum fundamentū tenentium oppositum. Sed hoc non te moueat, verum vt verus Thomista sic procedes. Primo pones cōclusionem pro parte negatiua. Secundo declarabis quomodo stat materia disposita, postea quod omnes dispositiones corrumpantur in aduentu formæ. Tertio solues quædam, quæ insurgent contra determinationem sciendam.

Quantū ad primū, ponitur hęc conclusio, nulla qualitas dispositiua præcedit formam in materia, ita quod remaneat in aduentu formæ. Pro notitia huius aduerte, quod cum ex aliquo debet generari aliquid, puta ex ligno ignis, necesse est materiam stantē sub forma ligni, disponi per agens calidū cū introductione caliditatis & siccitatis ad formam ignis, & cum tāta siccitas & caliditas receptæ fuerint in ligno, quod cū eis in quinto gradu, non stat forma ligni, sed sunt pro forma ignis, quod incipit lignum, remouetur forma ligni à materia, & comitanter corrumpuntur caliditas & siccitas introductæ pro expulsione forme ligni, & pro receptione formæ ignis, & eo instanti quo obiicitur forma ligni cū omnibus dispositionibus, introducit forma ignis in materia nuda, quæ est in mera potētia, & accipit esse actu à forma substantiali introducta, & non ab aliquo accidente præuio. Hanc conclusionem sic declaratā probat tali ratione. Suppono primū quod forma substantialis dat esse simpliciter, ita quod quæprimum est recepta in materia, verū est dicere, talis res est absolute & simpliciter, forma autem accidentalis dat esse non simpliciter sed tale, puta calidum, suum &c. Et ratio huius suppositi est quoniam sicut substantia, est ens simpliciter, & accidens est ens secundum quid, ex 7. metaph. sic proportionaliter forma quæ est substantia, dat esse simpliciter & forma quæ est accidens, dat esse secundum quid, suppono 2. quod in accidentalibus propositio de 3. adiacente supponit veritatem propositionis de 2. adiacente. Nam hęc ideo est vera, homo est albus, quia homo est, ita quod esse album supponit esse substantiale hominis. Ex his arguitur sic, si accidentia dispositiua præcedunt formam introducendam in materia, & remanent, dant esse actu ipsi materiæ, omnis enim forma dat esse ei

OCTAVI METAPHY.

In quo recipitur, & tunc quæro, aut dant esse actu materię simpliciter, vel secundum quid, non simpliciter, quoniam ex primo supposito hoc conuenit formę substantiali, cum sit substantia, quę est ens simpliciter, non secundum quid, quoniam ex secundo, supposito esse accidentale, quod est esse secundum quid, supponit esse simpliciter cuius signum est, quod in accidentalibus propositio de 3. adiacente supponit propositionem de secundo, ergo si materia debet esse calida vel sicca &c. necesse est ut prius sit sub forma substantiali, per quam primo trahitur extra potentialitatem, & sit actu simpliciter. Impossibile est ergo in aduentu formę præsupponi aliquas dispositiones, quę non corrumpantur, & hæc est vera via peripatetici. Considera autem quod materia quodam ordine respicit formas, statim apparet rationale, quod suscipiat prius eam, per quam sit actu simpliciter, quam eam, per quam sit actu secundum quid.

Quantum ad secundam aduerte, quod si ille dispositiones non causarentur, quando res corrupenda alteratur, & materia disponitur ad remotionem formę quam habet, & ad receptionem formę quam non habet. Et si consimiles dispositiones non concomitantur formam introducendam, quales fuerunt causate ante instans introductionis formę. Materia utique remaneret indisposita, verum quia materia iam fuit sub precedentibus, & erit sub consimilibus concomitantibus, ex tali ordine ad præcedentes, & ad subsequentes, remanet sufficienter disposita, quoniam est ac si eas haberet, considerato quod de facto haberet, si non desiceret subiectum susceptivum, quod ut dictum est, debet esse ens actu, & quoniam remota forma corrupenda non remanet materia actu sed sit actu per formam generandam, hinc est quod non remanent actu dispositiones præcedentes. Cum hoc tamen stat ut dictum est, quod materia remanet disposita & designata ad talem formam, pro cuius receptione præcesserunt dispositiones. Et si dicas, ergo si corrumpuntur in instanti introductionis, vana fuerunt introductę pro receptione formę generandę, nego consequentiam, quoniam sic requiritur ordo corruptionis & generationis naturalis, & si dicas si materia remanet disposita ex ordine ad dispositiones præcedentes, vane concomitantur consimiles ad formam generandam, nego consequentiam, quoniam consimiles concomitantur non pro introductione, sed pro conseruatione formę in materia.

QVAESTIO III.

186

Quantum ad tertium aduerte quod contra determinationem factam, videtur esse phil. in 2. de generatione in tex. 25. vbi assignas rationem facilioris transmutationis inter elementa symbolica dicit quia facilius est vnum quā multa transmutare, vbi Commen. inquit, ignis sit aer corrupta siccitate tantū, & remanente caliditate, ergo secundū philoso. non corrumpitur omnia accidentia in aduentu formę, sed quedam remanent, quę prius fuerunt in re corrupta, illa scilicet quę faciunt pro forma generanda.

Pro solutione huius dubij aduerte, quod qui sequuntur Commen. ut Marsilius in 2. de generatione. q. 10. & Albertus Saxo. in q. 8. tenent quod qualitas symbolica remanet eadem numero in generato & corrupto, quia extimant non aliter posse saluari faciliorem transitum inter elementa symbolica. Nam si vtraque qualitas corrumpitur, ut in elemento non symbolico, non videtur ratio facilioris transitus, cum tunc corrumpantur in generatione elementi symbolici sicut non symbolici, & præterea. Quo modo saluabitur dictum philosophi dicentis: facilius est vnum quā multa transmutare.

Sed contra hanc viam est b. Tho. & omnes qui tenent determinationem factam. Isti dicunt, quod qualitas symbolica corrumpitur sicut non symbolica, aliter eadē numero migraret de subiecto in subiectum, nā quādo ex igne generatur aer, si caliditas non corrumpitur, sicut prius inerat igni, sic deinde inerat aeri, nec valet dicere (ut Marsilius in 2. de generatione. q. 10.) qui tenet quod qualitas symbolica est tantū in vno subiecto, in materia prima, quę remanet eadem in elemento corrupto & ingenito, duorum autē est tantū denominatiue, sicut enim caliditas aeris denominabat aerem calidum autē quā cōuertetur in ignem, sic eadē numero denominat ignem calidū generatum ex aere. Hęc inquam responsio non euadit argumentum quoniam caliditas sicut dabat formaliter esse calidū aeri, ita si remanet eadem in igne genito ex aere dat digni formaliter esse calidum. Sed non potest dare sibi formaliter esse talis nisi realiter in se illi, ergo non solum denominatiue est duorum sed formaliter & realiter, & sic migrat realiter de subiecto in subiectum, quod apud omnes est impossibile. Hęc est mens b. Tho. in 2. de generatione in expositione tex. 25. contra quā instant dupliciter. Primo quia, ut tactum est, ille corrumpitur sicut in elemento symbolico, nō poterit assignari ratio facilioris transitus. Secundo non poterit saluari dictū philosophi di-

centis, facilius est vnum quam multa transmutare.

Ad primum inuenio duas responsiones rationabiles, vna est Egidij in 2. de generatione in expositione tex. 25. & intendit, quod licet tot corruptantur, quot in non symbolico, tamen est facilius transitus, quia in non symbolico vtraque qualitas corrumpitur per se & a suo contrario, in symbolico aut vna tantum per se & a suo contrario, altera vero tantum per accidens, quia ad corruptionem sui subiecti quod est ipsum compositum ex materia & forma substantiali. Altera responsio est b. Tho. in eodem loco & intendit, quod ideo est facilius transitus, licet vtraque qualitas corrumpatur, quia qualitates non symbolice corrumpuntur cum resistentia, eo quod ut contrarie resistent corrumpentibus suis contrariis, & reagunt quantum possunt, qualitas autem symbolica sine aliqua resistentia & reactione corrumpitur, non enim caliditas aeris corrumpendi resistit aut reagit in caliditate ignis generandi, cum simile non agat in suum simile, nec ei resistit.

Quia igitur in generatione symbolici est resistentia solum per vnam qualitatem, in non symbolico autem per duas, ideo generatio huius facilius est, illius autem difficilius.

Se contra hanc responsionem instantur argumento Martij vbi supra, in non symbolice duo agunt, & duo resistent, in symbolice vnum agit, & vnum resistit, sed talis est proportio vnius ad vnum qualis est duorum ad duo ceteris paribus, ergo æque velox erit transitus inter symbolica, vbi vnum agit & vnum resistit, & inter non symbolica vbi duo agunt & duo resistent.

Ad hoc dicitur, quod cetera non sunt paria, nam in duobus symbolice minus resistit suæ contrarie qualitas non symbolice, quam in non symbolice duæ non symbolice suis contrariis. Puta minus resistit humiditas aeris siccitati ignis, quam humiditas & frigiditas aque siccitati & caliditati ignis, & ratio est hec quod cum caliditas ignis adiuvat siccitatem ad corrupendum humiditatem aeris, sic cum eam adiuctum calido fortius excitar. Quando autem siccitas ignis corrumpit humiditatem aque, non ita equalitatis a caliditate, quoniam frigiditas aque, resistit caliditati ignis, est & alia ratio euidentior, quoniam caliditas aeris coniuncta caliditati ignis adiuvat siccitatem ignis ad corruptionem humiditatem aeris, non quidem per se, quoniam ut sic est naturalis aeris, sed per accidens, id est quia sic innaturalis aeris ex coniunctione ad caliditatem ignis, & tunc facta innaturalis, id est excedens proportionem debi-

tam aeri, destruit humiditatem aeris. Id autem non contingit in non symbolice, non enim frigiditas aque adiuvat calorem ignis ad corrupendum humiditatem aque; nec humiditas aque adiuvat siccitatem ignis ad corrupendum frigiditatem aque, quoniam non symbolice & contraria potius se mutuo corrumpunt, quam adiuent, aut se mutuo conferunt. Patet ergo quod non semel talis proportio vnius ad vnum in corrupendo, qualis est duorum ad duo, ad quod resistentia non est æqualis, ut declarauimus.

Ad secundum autem dicitur, quod dictum philosophi sic habet intelligi, facilius est vnum quam multa transmutare, quoniam licet pro veritate tot corruptantur in generatione symbolica quot in non symbolice, tamen est ac si vnum tantum corrumpatur, quoniam symbolice qualitas sine resistentia corrumpitur, in non symbolice autem multa per se & cum resistentia corrumpuntur, propterea verum est dicere, quod facilius est vnum cum resistentia, quam multa cum resistentia transmutare.

Aduertit quod contra determinationem factam multa formantur & soluntur argumenta, recitata à Capr. in 1. distinct. 15. questio. 1. & ex eis magis apparentia adducit Paul. Sonci. in libr. 8. metaph. questio. 9. Sed in his nolo immorari, quoniam & Capr. & Paul. Sonci. tibi sufficient. Hæc de presenti questione dicta sunt.

Questio 4. si materia potest simul informari pluribus formis substantialibus.

Ad expediendum quomodo materia respicit formas accidentales, nunc autem considerabimus quomodo respicit substantiales, & quoniam supra probauimus, quod materia prima immediate recipit formam substantialem, restat considerandum si potest simul informari pluribus formis. Ex hoc enim manifestum erit, si in eodem composito possunt esse plures formæ vel non, & quoniam hæc questio prolixam discussionem requirit propter multiplices opiniones circa pluralitatem formarum in eodem, ne fiat confusio, cum sit eadem ratio de vno composito, & præcipue de animato, sicut de aliis, assumo illud compositum in quo videtur maior ratio plurificandi formas propter multipliciter suarum operationum, & hic est homo, secundum omnes, si ergo constabit, quod in homine est

OCTAVI METAPHY.

tantum una forma de aliis compositis, non erit dubium. Ponatur igitur hanc divisionem, & de quolibet divisionis membro erit consideratio particularis.

Si in homine sunt plures forme, vel est forma corporeitatis coeterna & inseparabilis à materia secundum Auic. & anima qua homo constituitur in specie, vel est forma corporeitatis, quæ & forma mixti dicitur, separabilis tamen à materia, & anima qua homo constituitur in specie, vel istæ plures forme sunt forme elementorum, vel sunt secundum prædicata quidditatiua, vel secundum numerum operationem vitalium, puta quia differunt vegetare, sentire, intelligere, ita differunt realiter anima vegetatiua, sensitiua, intellectiua, vel secundum numerum & diuersitatem partium, organicatum. Sed nullo istorum modorum plurificantur forme in homine, nec ex consequenti in quocunq; alio composito, vt apparebit infra, ponendo pro singulis membris diuisionis conclusiones negatiuas.

Quantum ad primum membrum diuisionis, aduerte quod Auic. in 1. lib. sufficientiæ in cap. 2. distinguens de corpore, vt est in genere substantiæ, & vt est in genere quantitatis, quod non est aliud quam tria dimensio, extimat quod forma corporeitatis, quæ est substantia, ita inest materiæ, quod non mutatur nec separatur ab illa, dimensiones autem permutantur, ita quod materia existens inseparabiliter sub corporeitate, recipit alias & alias dimensiones secundum quod exigunt forme specificæ, quas materia successiue recipit, & exemplificat de cera dicens. Quia cera aut pars aquæ aliquando habet dimensiones in effectu, scilicet longi, lati, profundi, definitas suis terminis. Sed quando commutatur figura ceræ corrumpuntur vnaquæq; illarum dimensionum assignatarum, & succedunt loco illarum alie dimensiones, & corpus remanet in sua corporeitate, nec permutatum nec corruptum, forma enim quam assignauimus, scilicet quod ipsum est eiusmodi, in quo possibile est intelligi has dimensiones, nec est permutata nec corrupta. Ratio autem quæ mouit Auic. extimatur esse, quia cognouit necesse esse partes materiæ distinguere quantitatiue, vt sit secundum diuersas partes receptiua diuersarum formarum, extimauit autem corporeitatem de genere quantitatis non posse inesse materiæ, nisi prius inest corporeitas de genere substantiæ, eo quod accidens supponit substantiam in actu in quo recipitur, & in hoc differt opinio Auic. de corporeitate ab opinione Comment. de diuisionibus.

QVAESTIO IIII.

188

tionibus. Quia enim extimauit Comment. dimensiones posse inesse materiæ, immediate posuit eas coeternæ & inseparabiles à materia, & negauit corporeitatem positam ab Auic. Sed imaginationem Comment. reprobauius supra, nunc autem reprobauius Auic. sub hac conclusione, corporeitas non est coeterna nec inseparabilis à materia, immo nec secum compatitur aliam formam substantialem in homine, nec in alio composito. Pro prima parte arguitur sic, si corporeitas est coeterna & inseparabilis à materia, quæro, aut illa corporeitas non est coeterna vel singularis, non vniuersalis, quia vniuersalia non dant esse nec habent esse nisi per singularia, aliter coincides cum Plato. & multo minus informant materiæ. Non singularis, aliter sequitur quod idem individuum locatur sub duplici specie in genere substantiæ, nam accepto Socrate verum est dicere quod est in specie hominis propter animam rationalem, & probo quod si corporeitas inest materiæ Socratis in aduentu animæ. Socrates est in alia determinata specie. & arguo sic, Omnis forma substantialis singularis & indiuidua coniuncta materiæ constituit hoc aliquid & compositum determinate speciei. Sed corporeitas existens inseparabilis à materia Soc. est forma &c. ergo &c. Nec valet dicere quod maior non est vera, nisi de forma perfecta, corporeitas autem velut fundamentum superuenientium formarum est imperfecta. Hoc inquam non valet, quoniam licet forma imperfecta non constituat hoc aliquid ita perfectum sicut facit forma perfecta, tamen verum est dicere, quod proportionaliter constituit hoc aliquid ita perfectum in genere suo, sicut forma perfecta in genere suo, sicut forma terræ ita constituit terram perfectam perfectione debita terræ, sicut forma ignis ignem perfectione debita igni. Et aduerte vt exerceas te in sustinendo hoc principium. Quilibet forma substantialis quantumcunque imperfecta, facit hoc aliquid, & constituit in specie determinata, ex hoc enim corruiat tota vis ponentium pluralitatem formarum.

Secundam partem conclusionis sic manifesto, si secum compatitur aliam formam, quæro aut forma superueniens trahit materiam extra potentialitatem, aut non, si non trahit eam, ergo corporeitas non dat materiam esse actu, ex consequenti ita est eas in potentia existens sub corporeitate sicut ante, quod est contra Auic. & præterea, frustra ponetur in materia, si trahit eam, ergo materia iam est actu per corporeitatem, ex consequenti

forma superueniens aduenit enti in actu, ergo secundum illam non est generatio substantialis, quoniam philosophus in 5. phisicorum. 8. ponens differentiam inter motum & mutationem substantialem, assignat pro subiecto motus ens actu, & pro subiecto mutationis substantialis ens in potentia. ponere ergo aliam formam aduenire materiae actu per corporeitatem non est aliud, quam destruere generationem substantialem.

Aduerte quod contra hanc determinationem sunt multa argumenta in fauorem Auic. quae soluimus post resolutionem secundum membri diuisionis, quae utriusque deseruiunt, ut declarabitur.

Quantum ad secundum membrum diuisionis aduerte, quod Scotus ut patet in 4. sen. di. 11. & Ant. And. in lib. 7. metaph. q. 17. licet non concordent cum Auic. quo ad modum ponendi formam corporeitatis distinctam a forma ultimata, & propria, qua constituitur compositum in sua propria specie, concordant tamen in positione, unde aduerte quod in vno conueniunt cum Auic. & in tribus discordant, conueniunt quidem in hoc, quod sicut Auic. ponit distinctionem realem inter formam corporeitatis, & formam specificam in eodem, sic Scot. in aliquibus compositis tenet eandem distinctionem, & maxime in rebus animatis. Discordant autem in duobus, primo quia Auic. in omni composito tam in elemento quam in elementato, tam in animato quam non animato, posuit formam corporeitatis distinctam a forma specifica, & ratio sua fuit, quia cum extimauerit, ut dictum est supra, formam corporeitatis esse inseparabilem a materia, si esset idem cum formis specificis substantiarum inferiorum, non posset reddere rationem, quare tam elementa quam elementata substantialiter corrumpuntur, non enim est corruptio substantialis, nisi quia forma dans esse substantiale remouetur a materia, si ergo formae specificae horum inferiorum non distinguerentur a corporeitate, iuxta positionem Auic. non essent substantiae corruptibiles, Scot. autem in solo viuente ponit formam corporeitatis distinctam realiter a forma specifica quae est anima, & ratio quidem Scoti fuit, quia anima quae videtur esse forma inextensa, non potest causare in viuente ea quae causantur a forma corporeitatis. Haec autem sunt facere rem quantum ad extensam. Non enim videtur possibile quod forma inextensa, qualis est anima, det esse extensum & quantum, & ideo cum videamus viuentia inferiora habere esse extensum, cum sint corporea, credidit Scot. necesse esse ponere in viuente vltra animam

formam corporeitatis, quam appellat formam mixti, eo quod confurgit ex mixtione elementorum, in elementis autem & elementatis inanimatis, ut in lapidibus, non posuit formam mixti distinctam a forma specifica, quoniam cum forma elementati & elementati inanimati, non sit nullo modo immaterialis nec spiritalis, potest dare esse specificum, & esse corporeum quod est esse extensum & quantum, ita quod virtualiter potest quicquid potest forma corporeitatis ex consequenti non est necesse quod distinguatur a corporeitate, unde apud Scotum est hoc ut principium. Cuicumque debentur plura esse si illa possunt causari ab vna forma, non pluri fiunt in eo formae, si autem non possunt causari ab vna, necesse est formas in eo plurificari. Discordat secundo, quia Auic. posuit eam coaeternam & inseparabilem a materia, Scot. autem non, nam secundum ipsum quando generatur Sortes, per additionem agentis naturalis ante formam specificam & ultimatum, introducit in materia forma corporeitatis, qua Sortes habet esse corporeum quae tenet remanere in Sorte mortuo, donec paulatim resoluitur in elementa, tunc enim soluitur forma mixti, & quoniam post separationem animae adhuc secundum Scot. stat forma mixti, ideo secundum ipsum, corpus viuum & corpus mortuum est idem numero corpus. Haec fuit imaginatio Scoti, & rationes ad eam formabimus in vltimo huius partis, & soluimus.

Nunc autem reprobanda est positio sua, quo ad duo, primo. Quantum ad illud quod dicit, formam specificam in viuentibus quae est anima, non posse causare in viuente ea quae causat forma corporeitatis, scilicet esse extensum & quantum, quoniam anima est inextensa. Contra hoc quidem arguitur, quoniam licet, de anima intellectiua verum sit, quod est penitus inextensa, tamen id vniuersaliter sustinere non potest Scot. de anima vegetatiua & sensitiua, nisi anima cuius omnes potentiae sunt organicae, & actus organici, videtur esse extensa & quantum per accidens. Hac enim ratione tenemus animam intellectiuam ut intellectiuam, esse penitus inextensam, quoniam potentiae intellectiuae & actus intelligendi sunt non organici, sed constat quod potentiae & actus animae vegetatiuae & sensitiuae sunt organici, ergo &c.

Præterea, posito quod Scot. posset saluare dictum suum, quo ad animam sensitiuam animalis perfecti, non tamen quo ad vegetatiuam in plantis, nec quo ad sensitiuam in imperfectis, ut

In animali anuloso. & arguo sic. Anima quæ indifferenter animat partem in toto, & separata à toto est extensa per accidens, quia nisi divideretur ad diuisionem partis non animaret partem extra totum. Hæc enim ratione multi tenent sensitiuam animalis perfecti esse inextensam omnino, quia non animat partem extra totum. Sed constat quod vegetatiua in planta, animat partem extra totum, aliter ramus decisus & plantatus non uiuere similibet sentitua in animali anuloso, ut in lacerta animat partem extra totum, ergo &c. & hoc confirmatur per philosophum in 1. de anima text. 19. ubi sic inquit, sicut enim in plantis quædam uidentur diuisa uiuentia & separata ab inuicem, tanquam existente in his anima, actu quidem una in unaquaque planta, potentia autem pluribus sic uidemus, & circa alteras animas differentias accidere ut in enthomis decisis &c. Et quibus constat quod si in planta, & in enthomis, est anima una actu, & plures potentia, quod est quanta per accidens, aliter non diuideretur nec fieret actu plures ad diuisionem partium à toto.

Secundo arguitur contra Sco. quantum ad hoc, quod tenet in homine formam specificam quæ est anima intellectiua & formam corporeitatis distinguit realiter, & formam corporeitatis precedere tempore animam intellectiuam & remanere in aduentu anime, ita quod anima aduenit materie iam existenti, & aduenit composito iam extenso per formam corporeitatis & per trinam dimensionem comutantem formam corporeitatis. Contra hoc igitur sic arguitur. Anima quæ recipitur in subiecto existenti actu, & iam extenso in quantum extenso, de necessitate sit extensa per accidens. Hæc patet, quoniam non alia ratione albedo recepta in subiecto quanto sit extensa per accidens, nisi quia recipitur in extenso per superficiem in quantum extenso. Sed secundum Sco. anima intellectiua distincta realiter à corporeitate, recipitur in subiecto iam existenti actu & extenso, in quantum extenso, quoniam secundum ipsum recipitur in composito ex materia & forma corporeitatis; ergo de necessitate sit extensa per accidens, quod est contra ipsum Sco. & contra ueritatem, quoniam communiter tenetur, formam extensam educi de potentia materie, non ergo tenendum est formam corporeitatis distingui realiter ab anima intellectiua.

Ultimo soluenda sunt rationes principales quæ solent adduci pro opinione Scoti, & sequentium uiam suam.

Prima. Homo uere est corpus, & est predicatio in 1. modo per se, ergo essentialis, ergo per aliquam formam est corpus

& non per animam intellectiuam, ergo per formam corporeitatis distinctam ab anima intellectiua.

Ad hoc potest dupliciter responderi, primo concessio, quod homo uere & essentialiter & in 1. modo per se sit corpus, nego hæc consequentiam, ergo per aliquam formam, nam aliqua predicata essentialiter sumunt à materia, quæ est pars essentialis in substantia composita, sicut ibi homo est corruptibilis, non per formam quæ est anima intellectiua, sed propter materiam subiectam priuationi. Sic in proposito, homo est corpus propter materiam quæ licet non sit subiectum trinam dimensionum, est tamen ratio receptiua earum in homine, & non forma hominis, ut diximus in q. 2. huius octauæ, secundo concessio quod homo sit corpus per aliquam formam, nego quin per animam intellectiuam, nec obstat quia est spiritalis, nam licet in quantum intellectiua sit mere spiritalis, tamen quia secundum substantiam æquipollens formam corporeitatis & vegetatiuæ & sensitiuæ, non inuenitur quod per ipsam homo habeat esse corporeum & sit corpus, nec est necesse ad hoc quod anima det esse corporeum, sit formaliter corporea id est extensa siue quanta per se uel per accidens, sed quod sit pars quanti per se, & quoniam substantia anime intellectiua est pars quanti per se id est hominis qui est quantum per se propter materiam, quam diximus esse rationem recipiendi in homine quantitatem, ideo per ipsam homo est corpus. Quod si anima esset spiritalis ut substantia separata non posset per ipsam homo esse corpus, quia substantia separata non, est apta esse pars essentialis rei quantæ.

Secundo, Homo componitur ex corpore & anima, igitur aut corpus est materia sola & hoc non, quia possemus dicere elementum esse compositum ex corpore & forma sua, quod nullus dicit, aut est materia cum aliquo accidente, puta cum quantitate, & hoc non, quia nullum accidens est de essentia hominis, sed esse corpus est essentialiter homini, aut est materia cum anima intellectiua, & hoc non, quia cum dicitur, est compositus ex corpore & anima intellectiua, ly anima condistinguitur ut pars contra ly corpus, ergo est materia cum forma corporeitatis, quæ est alia forma ab anima intellectiua.

Ad hoc dicitur quod est anima intellectiua cum materia, non pro gradu intellectiua, sed ut dat esse corporeum. Nec est uerum quod anima & corpus sint due partes ita condistinguitur, quod corpus non includat animam, immo dico, quod ly corpus est quoddam totum compositum ex materia & anima intellectiua secundum

substantiā suam, licet non secundū intellectiua, nec concedendum est hominē cōponi ex corpore & anima, vt duabus partibus, quarū vna non includit aliam. licet apud vulgus videatur sic esse, sed potius dicendum est quod corpus est quoddam totum, & animā pars.

Tertio. Quando animal moritur, materia pro nullo insitū est sine formā corporeitatis, quarto ergo, aut est eadē numero quæ fuit in materia, dum animal viueret, aut noua introducta, non noua introducta, quoniā nullus effectus vnus secundū speciem producitur indifferēter à quouis agēte vno, vel pluribus secundū speciem, nec etiam indifferēter secundū quālibet mutationē præuiā, sed à determinato agēte, & per determinatam mutationem præuiā. Sed videmus q̄ si animal moritur gladio vel fuste, vel suffocatur, vel morbo intrinseco, vel quocūque alio modo semper cadauer eius est eiusdem rationis, ergo non tunc de nouo producitur illa forma corporeitatis, sed prærat in viuentē, producta à determinato agēte.

Ad hoc dicitur quod est producta de nouo, ad improbationem nego maiorem, quando effectus est viā ad definitionem rei. Talis enim effectus ordinatur ad formam cadaueris, quæ est forma vilis, & cum sit vilis non inconuenit, quod à diuersis agētibus, & diuersis modis siue mutationibus producat, præcipue quia conueniunt in hoc, quod licet diuersimode agant, tamen semper causant alterationem, qua disponitur materia ad remotionem animæ & receptionem formæ cadaueris, quæ ex vilitate sua de facili producit, & veluti naturali sequela sequitur obiectionem animæ.

Quarto. Mortuo animali, remanent eadem accidentia, vt quantitas, figura, color &c. ergo remanet eadem forma corporeitatis, per quam insunt.

Ad hoc negatur antecedens, licet enim similia introducuntur concomitantia formam cadaueris, non tamen sunt eadem, licet sensus aliter iudicet. Sicut non sunt eadem accidentia præcedentia & concomitantia formam generandam seu similia, vt diximus supra.

Alia argumēta recitat Paulus, Sonci, in 8. metaphi. q. 1. & soluit contra Scotum ac sequentium eum, quæ videbis ad placitum. Mibi sufficit soluisse ea, in quibus principaliter se fundat opinio Scotistarum.

Quantum ad tertium mēbrum diuisionis aduerte, quod &

Auic. & Cōment. ponunt in elemento vltra formā specificam, remanere formas elementorū actu. Sed differēter, quoniam Auic. voluit eas remanere integras. Cogitauit enim quod cum sint substantia, non recipiunt magis & minus, vnde consistunt in indiuisibili, necesse est in mixto dum generatur aut eas corrumpi aut remanere integras. Sed non est dicendū q̄ corrumpantur quoniā hæc esset falsa, elementatū cōponitur ex elemētis, partes enim cōponentes necesse est saluari in cōposito, remanent igitur integre, verū quia aduertit, quod si formæ elementorum remanent integre in mixto, & si qualitates eorum remanent in suis excellentiis intense, non posset fieri in mixto (necesse est enim mixta iuxta naturam suam esse temperata, pro quanto vnum declinat magis ad siccitatē, alterum ad oppositum, vnum ad caliditatē, alterum ad oppositum) ideo voluit Auic. qualitates elementorum corrumpi per alterationem adinuicem, & ex eis constari qualitatem vnā, quam dicebat complexionalem continentem in se virtualiter omnes quatuor qualitates non tamen aequali gradu, sed pro diuersa complexionē, aliquando declinat ad calidum, aliquando ad oppositum. Hæc fuit imaginatio Auic. contra quam arguemus infra, & soluemus rationes suas.

Aueroes autem licet in 1. de generatione commen. vltimo videatur tenere cum Auic. tamen in 3. lib. de celo cōment. 67. penitus recedit à via Auic. Et dicunt commentistæ id non esse mirū, quoniā in iuuetute cōposuit super lib. de generatione, in senectute autē super lib. de celo. Igitur vt sustineret mixtionem non esse corruptionē, posuit elementa & formas eorum saluari actu in mixto. Credidit enim quod si non saluatur actu, mixtum non esset mixtū, quæ enim miscetur non corrumpitur. Nam dicit philof. in 1. de generatione re. 84. Quæ miscetur, neque corrumpitur, neque vniū neque ambo, vt autē sustineret mixtionē non solum secundū sensum se 1. per am mixtionē, in qua secundū doctrinā philof. in 1. de generatione, re. 85. & 86. in qua pars distinguitur seu ab alia, sed sic mixtio secundum totum ita quod miscibilia cōueniunt in vnā formā cōpositi quod sic vnā per se, & aduertēs hoc esse impossibile, si formæ elementorū remanerēt actu integre in mixto, vt magis declarabitur quā id arguemus cōtra Auic. posuit in eas remanere refractas siue remissas. Dicit enim quod suscipiūt magis & minus, & sunt cōterariæ, & sunt mediæ inter formas substantiales

& accidentales propter suam imperfectionem, cum sint propinquissime materię primę, & ideo non est mirum si ve accedunt ad naturam formarum accidentalium possunt intendi & remitti. Hęc sunt imaginatio Comment. contra quem arguimus, & soluemus fundamentum suum.

Contra Auic. arg. 2. rationibus, quas tangit b. Tho. in 1. de generatione in expositione tex. 84. & sustinebo eas.

Prima est si elementa sunt actu in mixto inesse integro vel non saluatur vera mixtio, vel plura corporea sunt in eodē situ, quorū utrūque est falsum & reprobātū ab omnibus, cōsequētia probatur. Quæro de formis elementorum existentium actu in mixto, aut sunt informātes eandē partē materię, aut diuersas, non eadem, quoniā licet apud multos eandem materia possit informari simul pluribus formis, quarum vna est ordinata ad aliam, vt corporeitas ad animam & forma generis ad formam speciei, tamē nullus ponit eā posse informari simul pluribus formis specificis, quarū vna non ordinatur ad aliam, constat autē formas elementorū esse formas specificas, quare &c. Si informant diuersas, ergo cōstituitur distincta corpora, quoniā non diuiditur materia nisi per quantitātē. Sed ex forma substantiali & maneria quāta cōstituitur corpus. Cum igitur sint distinctę materię & distinctę formę erūt distincta corpora. Tunc vltra aut ista distincta sunt in distincto situ, & sic non erit vera mixtio, sed distinctorum iuxta positionem, quam philosoph. in 2. de generatione, dicit esse mixtionem ad sensum, aut sunt in eodē situ, & tunc sequitur multa corpora esse simul, quod apud omnes tenetur impossibile, vt probatur in 4. phisic.

Secunda est, si Auic. debet saluare veram mixtionem, necesse est vt ponat quatuor formas elementorū informare eandem materiā, aliter vt deduximus in prima ratione non esset mixtio secundū totū, sed per iuxta positionē. Sed si informat eandē materiā, cum qualibet forma requirat proprias dispositiones id est, tantū quantitātē & tales qualitates, & in tanto gradu & forme elementorū requirant vnā qualitatem contrariā quarati alterius elementū vel vtraque sequitur, quod in eodē subiecto erunt contraria intensā vt pro forma ignis calidum & sicum, & pro forma aquę humidum & frigidum.

Rationes autem Auic. vt tangit b. Tho. in 1. de generatione super tex. 84. fuerunt duę, quas intendendo simul soluere.

Prima est, si elementa non remanent actu in mixto, ergo cor-

rumpitur, si corrumpuntur, ergo non miscentur, ergo mixtio non erit mixtio, sed corruptio, & hæc ratio videtur fundata in doctrina philosophi in 2. de generatione, in tex. 82. vbi inquit philosoph. Altero autē corrupto nō mixta esse, sed hoc quidem esse, hoc autē non esse, mixtionē autem similitur habentū esse.

Secunda est, si elementa non manēt actu in mixto, amittunt rationem elementū, & falsum erit dicere mixtū compositum esse ex elementis, nam definitio elementū est hæc, elementum est ex quo aliquid primo fit cum inest, & est in diuisibile in diuersas species, vt declaratum est in 5. metaphi.

Ad vtraque simul respondendo, negatur consequentia, stat enim qd actu non remanent, & tamē non simpliciter corrumpuntur, & qd ex eis fiat mixtio, dicit enim philosoph. in 1. de generatione tex. 84. neque manent actu, vt corpus & albi neque corrumpuntur neque alterū neque ambo, saluatur enim virtus eorū, ex quibus habetur qd saluantur virtute in mixto, & propterea non dicitur corrupti, nam illud proprie corrumpitur quod simpliciter desinit esse scilicet actu & virtute. Qualiter autem saluantur virtute, declaro secundū doctrinā nostrā, quam sequitur Greg. in 2. sent. dist. 15. q. 1. & Herueus in questione de pluralitate formarum, & resolutio stat in hoc. Mixtio sumitur tripliciter primo pro cōgregatione elementorū abinuitę, quæ vt sic nec est generatio nec corruptio elementorū, secundo pro elementorū alteratorū vnione, quæ nec sic est corruptio, sed alteratio tantū tertio pro generatione mixti cōsequēte duos modos predictos mixtionis, & in ea necesse est elementa desinere actu & saluari virtute. Quod qualiter fiat, aduerte, qd elementa simul cōgregata, alterāt se inuitę, ita qd corrumpuntur quo ad formas substantiales & qualitates suas. Quibus corruptis resultat virtute alicuius agētis alterius, ab elementis per se intēdentis generationē alicuius mixti, siue illud agēs sit aliqua virtus existēs in continente, vel aliquis calor, vel secundū b. Tho. virtus corporis contentis resultat (inquā) aliquid mixtū & aliqua qualitas media inter extrema differēs ab eis. Quæ quidē secundū Herueū est simplex secundū essentiā suam, cōtinēs in virtute omnes qualitates elementorū, sicut mollicies cōtinet in virtute humiditatis & siccitatem, secundū autem aliquos Thomistas illa qualitas media, est cōposita, ita qd formaliter continet aliquid de caliditate & fri. & siccit. & humi. & ratione huius qualitatis medię dicuntur qualitates elementorū remanere in mixto remisse,

quia continentur formaliter in gradu remisso in illa qualitate media, cuius sunt partes, & quandoque vna pars remittitur & alia intenditur, & secundum hoc, mixtum magis appropinquat huic elemento quam illi, sicut cum calor dominatur propinquat igni, quando frigiditas aquae. Vtrū autem in qualitate media seruetur extrema formaliter, quae sunt contraria, determinabimus in lib. 10. & pro nunc teneo cum Herueo, scilicet quod talis qualitas media non est composita ex pluribus partibus secundum rem, sed tantum virtualiter, quia habet aliquid in quantum conuenit cum vno extremo, & aliquid in quantum conuenit cum alio, & haec media qualitas est dispositio ad formam mixti, & diuersificatur in diuersis mixtis, & in ea seruantur virtualiter qualitates elementares, quae agunt in mixto in virtute formarum substantialium elementorum, ita quod virtualiter sunt elementa, sicut calor naturalis generans carnem est virtualiter anima, & virtus formatiua seminis est virtualiter generans, & ratio huius qualitatis mediae sapientis naturam qualitatum elementarium, quae continet virtutem formatiua substantialium elementorum, dicuntur elementa manere in mixto virtualiter, quia sunt & operantur ac si essent realiter in eo & hac de causa licet in mixtione vera contingat elementorum corruptio, tamen non proprie dicitur corruptio. Quia corruptio, proprie est quando fit transitus ab vno extremo ad aliud totaliter. Hic autem non fit talis transitus, quia generatur medium continet virtute extrema, nec obstat quod dicit philosophus, Mixtio est miscibilium alteratorum vno, intendit enim de mixtione 2. modo & non 3. modo in quo nos nunc loquimur. Patet igitur quod neutra ratio obcludit, & ad hoc quod ratio elementi saluetur in elementato, sufficit ipsum inesse actu vel virtute.

Contra Commenta. arguitur rationibus b. Tho. 1. de generatione in expositione tex. 84. & sunt tres quas intendo defendere contra commentistas.

Prima est, si forma substantialis elementorum est media inter substantiam & accidens, ergo datur medium inter affirmationem & negationem, quod est impossibile, ut probatum est in 4. lib. consequentia probatur, nam omne ens praecipue reale & absolutum est substantia vel accidens, sed accidens est non substantia, & secundum Commenta. forma elementi est media inter substantiam & accidens, ergo est media inter substantiam & non substantiam.

Ad hoc

Ad hoc respondent quidam commentistae, praecipue Aug. Suesla. quod Commenta. intendit medium secundum conditiones, vel secundum assimilationem, sicut simia est media inter brutum & hominem, & non intendit medium per participationem, quasi quod forma elementi parcipet de substantia & de accidente secundum naturam & esse suum.

Sed haec responsio non est ad mentem Commenta. nam si videbis Commenta. in 3. caeli. compen. 67. ibi si igitur aliquis dixerit &c. illic inuenies quod apud Commenta. esse formae elementaris est medium inter formas, scilicet substantiales compositorum & accidentia, Tunc sic, si esse formae elementaris est medium inter substantiam & accidens, etiam natura talis formae erit media, quia natura rei & esse eius sunt eiusdem generis. Intendit ergo Commenta. quod sicut mediae secundum esse, & non tantum per assimilationem.

Secunda est, Medium est inter extrema eiusdem generis, sed substantia & accidens, ut patet, non sunt eiusdem generis, ergo vanum est dicere formam elementi esse mediam, inter substantiam & accidens.

Ad hoc dicit Suesla. quod maior non est vera nisi de medio per participationem & non de medio per assimilationem, & quoniam tenet quod forma elementi est media per assimilationem ideo dicit quod ratio b. Tho. non concludit.

Sed haec responsio peccat ut prima. Dicitur enim ex verbis Commenta. quod arbitratur eam esse mediam secundum participationem & non solum per assimilationem, dicit enim vbi supra quod habent esse medium, & cum sint formae diminue admiscetur adinuicem, & fit ex eis forma compositi sicut est admiscetur albedo & nigredo sunt multi colores, haec Commentator. ex quibus clare constat, quod loquitur de medio per participationem, aliter similitudo de coloribus ei non deserviret.

Tertia est si forma elementi intenditur & remittitur, ergo successiue acquiritur, quia erit partibilis gradualiter, si successiue acquiritur, ergo per motum, ergo generatio & corruptio substantiae erit motus proprie dictus, & sic concedis motum in practicoamento substantiae, contra philosophum in 5. phys.

Ad hanc Suesla. respondens, & nolens concedere generationem esse motum propter dictum, declinauit ad hoc inconueniens, esse motum quod de ratione motus non est ut sit successiuus, quod tamen vide

B

OCTAVI METAPHY.

cur esse contra philosophum & Commen. in 4. phys. in cap. de vacuo. & in lib. 6. probat, quod omne quod mouetur, mouetur in tempore, ergo de ratione motus est successio. Præterea motus sicut & tempus est de genere successiuorum, ergo repugnat motui non esse successiuum, stando ergo in principiis philosophi, non potest suessa. subterfugere quin ponat motum proprie dictum in substantia & sic ratio b. Thom. stat in soluta.

Rationes autem Commen. quæ stant in hoc quod si non remaneret actu, non fieret mixtio sed corruptio, & si remaneret integre, non fieret vera mixtio, ergo remanent refracte, soluantur clare ex solutione data rationibus Auicennæ, vt videre poteris.

Et aduerte quod cum via nostra concordat Scotus in 2. dist. 15. q. 1. & Greg. in 2. dist. 15. q. 1. & Herueus in 2. dist. 15. quæstio. 1. & Capr. in 3. dist. 15. quæst. 1. conclusionem secundam, quos videre poteris.

Quantum ad quartum membrum diuisionis aduerte, quod non inuenio opinionem solennem pro parte affirm. solus Iand. nus apparuit qui in 7. de anima. q. 8. & in 2. metaph. in quæsti. 10. id tenet de mente Commen. cum tamen Commenta. in nullo loco id expresse dicat, suum fundamentum accipit à Commen. in 2. metaph. comen. 17. vbi dicit quod materia primo accipit formas vniuersales, & mediantibus illis formas vsque ad individuales, ergo videtur Commentator distinguendum recipiendi seipsum.

Sed ex hoc dicto Commenta. nihil potest concludere contra pluralitatem formarum simul in materia. nam quocumque modo intelligat Com. illas formas vniuersales, non dicit Com. illas formas esse simul in materia, sed quod vnã recipit mediante alia, quia prius vnã, puta in generatione hominis formam vegetatiuã, deinde aliam, quia facta dispositione pro sensitiua, abicitur vegetatiua, & recipitur sensitiua continens vegetatiuã, & sic procedo vsque ad individualem, scilicet specificam, quã dicit individuale, quia est indivisibilis per gradus formales, aliud fundamentum facit Iand. in 1. de anima. q. 8. & est quod forma generica est vt potentia siue potentialis respectu formæ specificæ, eo quod genus est vt materia potentia autē & actus distinguuntur realiter, sed nec id cogit, quoniam vt alias dicemus, potentialitas illa nõ debet intelligi realiter

QVAESTIO V. 194

sed conceptibiliter, qui tamē conceptus habet correspondentiã ex parte rei. Tu igitur vt te resolvas pone conclusionem negatiuã, quam sufficienter probat Greg. in 2. di. 16. & 17. q. 2. & quoniam Paulus Socinas in lib. 8. metaph. q. 12. quasi ad litteram probat conclusionem, & soluit argumenta in oppositũ, vt Grego. ideo nolo immorari in hoc, vide quæ volueris, quoniam vterque determinat Thomisti, nec aliquid noui dicendum occurrit. Tu tamē aduerte q. in 2. metaph. in q. 7. soluius principalem rationem Iand. conãtis probare huiusmodi pluralitatem formarum secundum predicata quidditatiã.

Quantum ad sextum membrum diuisionis iam resoluius in lib. 7. in q. 19. ideo reuide illic. Hæc de præfenti quæstio dicta sint.

Quæstio 5. si forma est separabilis à materia secundum esse, vel secundum conceptum.

Expeditis quæstionibus quæ motæ fuerunt circa materiam, transendum est ad dubia quæ accidunt circa formam. Diuidentes autem præsentem considerationem in tres partes, primo considerandum esset, quid sit forma, & quæ sit causalitas sua. Sed id iam expediuimus in lib. 5. secundo an sit separabilis à materia secundum esse vel saltem secundum conceptum, tertio an esse intencibilem & remissibilem ita conueniat formæ accidentali quod repugnat formæ substantiali.

Nunc igitur quærentes an sit separabilis à materia secundum esse vel saltem secundum conceptum sic procedemus. Primo ponitur distinctio de formis. Secundo tres conclusiones respondentur. Tertio soluetur dubium.

Quantum ad primum aduerte quod formarum vniuersalium materię, de quibus in hoc octauo proprie intēdimus, vt præferuemus nos à formis abstractis de quibus considerabimus in li. 12. quædam est immaterialis, id est quæ licet sit vniuersalis materię, tamen secundum esse non pendet à materia, nec educitur de potentia materię, & hæc est sola anima intellectiua, de cuius immaterialitate & incorruptibilitate determinauimus in 3. de anima. Quædam est materialis, id est cuius esse pendet à materia & educitur de potentia materię, & istæ sunt omnes formæ substantiarũ inferiorũ, tam viuentium quã non viuẽtiũ excepto homine verũ quia euidentia huius distinctionis pendet ex eo q. sciatur quid sit formã educi de potentia materię,

ideo id declarandum est, antequam ponantur conclusiones responsive.

Tu igitur adverte q̄ hęc propositio, forma educitur de potētia materiae, potest habere triplicē sensum. Primo, quia est in materia secundū esse inchoatū & imperfectū & quasi potentia le, de illo esse educitur per agens naturale ad esse perfectū secundum quod perfecte actuat materiā, & hic sensus est falsus, quoniam in li. 7. reprobauimus formā generandā imperfectā secundum partē vel secundū totū praeexistere in materia. Secundo quia producitur ab aliquo principio actiuo materiali & corporali indito rei materiali, quomodo dicerentur forma graui educi de potentia materiae, quia producitur à virtute actiua quae est in semine, & secundū hunc modū facile esset ostēdere quae formae educuntur de potētia materiae, & quae nō, vt dicantur ille educi quae producuntur ab agente vel à virtute corporali, & ille nō educitur, quae sic nō producuntur. Tertio & proprie educi de potētia materiae est, quia in potentia passiuā materiae est, siue in ipsa materia passiuā est, q̄ talis forma tendat ad esse, & nō aliter, ita q̄, sicut dicimus q̄ in sole est illuminare actiue quia ab eo actiue dependet lumen, sic etiam dicimus q̄ in potētia materiae est forma, quia in potētia passiuā illius est, vt deditur ad esse, siue à potētia passiuā illius dependet q̄ forma perueniat ad esse, & hic est verus modus quē clarius sic manifestare potes vt Greg. in 2. dist. 16. & 17. q. 1. ar. ad sextum educi formā de potentia materiae non est eam recipi actu in materia, quae prius erat receptibilis, sed est per naturales transmutationes materiae, & per agens naturale exire ad actum, & in hoc distinguitur anima intellectiua ab alijs formis, quoniam ille exeunt in actum, id est deducuntur ad esse, & recipiuntur in materia, id est informant materiam per transmutationes naturales & per agens naturale. Anima vero intellectiua non deducitur ad esse nec exire in actum per huiusmodi transmutationes, nec per agens naturale, licet per tales transmutationes & per agens naturale disponens recipiatur in materia & informet eam.

Quantum ad secundum pono tres conclusiones responsivas quaesito. Prima est, Nulla forma naturalis materialis est separabilis à materia secundū esse, probatur, quia inicitur materiae & educitur de potentia materiae 3. modo supra posito, ergo repugnat quod possit esse sine materia.

Præterea esset incorruptibilis & per se existēs, si adhuc pos-

set esse separata à materia. Præterea secundum Comment. in 8. phys. commen. 79. & in lib. de substantia orbis, c. 1. Omnis forma materialis est constituta in esse per materiam, ergo est inseparabilis à materia.

Præterea nullā habet operationē eleuatā omnino super materiam, eū itec id cōpetat animae sensitiuae, in cuius omni sua operatione cōicat corpus, vt declaratū est in lib. de anima, ergo & patet cōsequētia, quia philosopho. in 1. de anima tex. 13. non ex alio venatur separabilitatē animae intellectiuae, nisi ex hoc, q̄ si est anima aliqua operatio propria in qua non cōmunicat corpus, contingit eam separari. Si autē non est aliqua operatio propria, non contingit eam separari. Cū igitur non possit assignari aliqua operatio propria formae naturalis, materialis, nō erit separabilis à materia secundum esse.

Secunda est, forma naturalis immaterialis qualis est anima intellectiua est separabilis à materia secundum esse, probatur quia non educitur de potētia materiae 3. modo supra exposito, & nō constituitur in esse per materiā, & esse incorruptibilis, & habet operationē propriā, quae est intelligere, ergo & c. Sed aduerte q̄ hoc antecedens non potes firmare nisi per resolutionem quam fecimus in 3. de anima in q̄ qua detet mutauimus incorruptibilitatem animae ad mentem philosophi. Constat tantum quod si est incorruptibilis est separabilis à materia secundum esse.

Tertia est, nulla forma naturalis siue immaterialis est separabilis à materia secundum conceptum, probatur, non diffinitur diffinitione physica sine materia, vnde philosopho. in 7. metaph. tex. 34. ponens differentiam inter formas naturales qualis est semitas, & formas mathe. qualis est concavitas siue curvitas, dicit quod naturales concernunt materiam it diffinitio ne sua, ille autem abstrahunt secundū rationē, licet non secundū esse. Et cōfirmatū, quia si aliqua forma naturalis abstrahit à materia secundū rationē, maxime esset anima quae videtur eleuata supra materiam, formae autē corporales totaliter sunt immerse in materia, & tamē philosopho. in 2. de anima tex. 7. formans diffinitionem animae, diffinit eam per esse actum corporis physici. Patet ergo quod nulla forma naturalis nec etiam immaterialis abstrahit, à materia, secundum conceptum. Et si quæras, cum forma sit actus quare non potest capi absque omni quod non est, de essentia eius, Dico id esse,



quoniam licet sit actus, tamen non est ens completum in specie sed solum compositum; & ideo necesse est, ut in conceptu suo, concernat propriam materiam, sicut accidens quod est ens diminutum respectu substantiæ, concernit subiectum.

Quantum ad tertium aduerte, quod contra determinationem factam videtur esse philosophus, qui in hoc 8. in tex. 3. loquens de forma inquit. Aliter vero & forma & ratio, quia aliquid ens ratione separabile est: ergo falsum est formam non esse separabilem à materia secundum rationem.

Ad hoc dico, quod si sumatur materia, pro materia individuali, forma specificè sumpta est separabilis ab ea secundum rationem, quia non diffinitur per illam, similiter si sumatur materia sensibilis etiam communis forma mathem. est separabilis ab ea secundum rationem, & in utroque sensu potest intelligi dictum philosophi. Hic autem determinauimus de forma ut forma, & de materia ut materia, & sic diximus, quod non separatur à materia ut materia secundum rationem, quoniam licet forma specificè naturalis abstrahat à materia sensibili individuali, non tamen à materia communi sensibili. Et licet forma mathematica abstrahat ab omni materia sensibili, non tamen ab intelligibili. Hæc de præsentibus quæstio dicta sunt.

Quæstio 6. Si intentio & remissio ita conuenit formæ accidentali quod repugnat substantiali.

Pro resolutione huius quæstionis agenda sunt. Primo inuestigabitur, unde habet forma quod possit intendi & remitti, & per oppositum quod non possit intendi & remitti. Secundo per quem modum forma intenditur & remittitur. Tertio ponetur conclusio responsiua. Quarto posito quod repugnet formæ substantiali intendi & remitti, inuestigabitur si repugnat duabus formis substantialibus quæ sunt eiusdem speciei, inæqualitas essentialis perfectionis.

Quantum ad primum aduerte quod secundum doctrinam Thomisticam, radix intentionis & remissionis informis est indeterminatio vel indifferentia formæ, pro qua sciendum, quod forma accidentalis potest imaginari sub triplici indeterminatione. Primo, quod sit indeterminata ad extendendum in diuersis substantiis, & hæc non facit eam insensibilem & remitti dat ei quod sit accidens commune, & oppositum dat ei quod sit accidens proprium. Secundo quod sit indeterminata ad esse

& ab esse à subiecto, & hæc non facit eam inten. & remi. sed quod sit accidens separabile & oppositum facit eam esse accidens inseparabile. Tertio quod sit indeterminata, ut participetur à subiecto magis perfecte & minus perfecte & ut acquiribilis per motum in subiecto, & ex hac indeterminatione habet forma originem intentionis & remissionem formam intendi & remitti proprie est esse talis naturæ quod est apta diuersimode siue diuisibiliter per motum recipi in subiecto, ex consequenti actuare ipsum secundum magis & minus & educi actione agentis de imperfecto ad perfectum stante unitate non solum specifica sed numerali ipsius formæ, ut declarabimus infra. Ex opposito autem forma redditur non intentionibilis nec remissionibilis, unde cuiusque formæ repugnat acquiri per motum, & diuersimode participari in subiecto & c. repugnat intendi & remitti, & breuiter quæcunque consistunt in esse indiuisibili, ut numeri & quantitates denominatæ à numero, & quæ largiuntur esse substantiale non possunt intendi nec remitti, quoniam stant sub opposito indeterminationis 3. modo dictæ.

Quantum ad secundum aduerte quod licet omnes conueniant in hoc quod forma ideo intenditur, quia diuersimode actuatur subiectum & magis perfecte participatur à subiecto, non tamen conueniunt in modo, nam aliqui ut recitat Herue in 1. di. 17. q. 4. ar. 2. & Greg. in 1. di. 17. q. 4. ar. 1. dicunt quod intentio fit per additionem gradus ad gradum in esse formæ, pro quo aduerte, quod isti dicunt dum intenditur calor, non additur calor calori, quia in essentia caloris non dantur gradus, sed additur esse perfectius calidum, esse minus perfecte calido, quæ diuersa esse dantur formaliter à calore subiecto receptiuo, secundum quod est magis vel minus dispositum, & per consequens magis vel minus participat ipsum, & hanc suam opinionem constatur sic probare, intentio & remissio aut sit secundum gradus in essentia formæ, aut in esse formæ, quia non est imaginabile quod fiat alio modo, nõ in essentia ut probabitur, ergo in esse. Quod gradus non sint in essentia probatur quadrupliciter, primo si forma intensa est maior & perfectior secundum gradus in essentia quàm qualitas remissa, hoc est quia forma remissa virtute continetur in intensa, sicut sensitiuum in intellectiuo, aut quia gradus præexistenti additur alius gradus, nõ primo modo, quia gradus essentialis quorum vnus continetur in alio, differunt specie, ut patet in exemplo dato de sensitiuo & intelle-

ctio. Sed forma intensa & remissa sunt eiusdem speciei secundum omnes, ergo &c.

Secundo, forma diffinitur quod est simpliciter & inuariabilis essentia consistens, ergo non habet gradus in essentia; repugnat enim quod habeat gradus in essentia, & sit simplex & inuariabilis secundum essentiam.

Tertio, ex 9. metaph. text. x. formae rerum sunt sicut numeri, sed in essentia numeri non dantur gradus, ergo &c.

Quarto res per formam habet certitudinem, & est determinatae naturae; ergo est indivisibilis secundum essentiam, probatur consequentia quoniam secundum philosophum in x. metaph. id a quo res habet certitudinem debet esse minimum & indivisibile, ut patet de mensura certitudine mensuratum.

Sed haec opinio ut sonat videtur irrationabilis, & arguitur sic, subiectum quod sit magis tale per aliquam formam, transmutatur secundum illam, aliter non magis haberet illam quam prius, si transmutatur aut transmutatur ab illa aut ad illam, patet consequentia, quoniam in transmutatione omnis terminus est vel a quo vel ad quem, non ab illa, quia non fieret magis tale per illam sed minus, supponimus autem quod fiat magis tale; ergo ad illam, ergo in termino intentionis habet magis illam. Sed non potest imaginari quomodo subiectum habeat magis illam, vel participet illa, vel illa magis actuet aut inhaereat subiecto, aut magis radicetur in eo, aut quod ipsa det subiecto perfectius esse formaliter, nisi ipsa facta sit perfectior, quoniam nobilitas effectus formalis pendet a nobilitate causae formalis. Si ergo tu concedis gradus inesse, concedes gradus in essentia formae intensibilis.

Præterea, latitudo proprietatis maxime intimae rei consequitur latitudinem quae est in re quam consequitur, videmus enim quod in similitudine non datur latitudo, nisi quia in fundamento, puta in qualitate datur latitudo. Sed esse est proprietas maxime intima formae, quia est immediatus eius effectus formalis, ergo non datur inesse nisi quia datur in forma. Nec valet dicere ut quidam dicunt, quod non est eadem ratio de esse formae accidentalis, & de ipsa forma, quoniam esse respicit subiectum, est enim esse accidentis inesse subiecto, forma autem non respicit subiectum, cum igitur non detur intensio & remissio nisi quia subiectum magis & minus participat esse formae, ideo datur latitudo in esse, & non in forma. Hoc inquam non

valet, quoniam cum esse fiat naturaliter a forma, qualis est forma, tale dabit esse ei cui inest, ergo si forma est indivisibilis nullam habens latitudinem, dabit ei cui inest esse uno modo, ergo non secundum magis & minus.

Respondendo autem rationibus factis pro hac opinione adverte quod omnes solvuntur hac distinctione, forma intensibilis puta albedo dupliciter consideratur, primo ut est forma specifica condistincta contra aliam speciem, & constituta per differentiam suam essentialē, secundo ut est forma individualis, puta hic, albedo apta actuare manum, primo modo est non intensibilis, quoniam ut species stat indivisibilis non eodem modo potest dividi, nisi per gradus formales, qui non stant cum unitate specifica, unde ut species, habet esse indivisibile, & est sicut numerus, ut ponit philosophus 8. metaph. text. x. secundo modo est intensibilis, quoniam ut respicit subiectum perfectibile potest magis & minus perficere illud, secundum quod & ipsa per actionem agentis educitur de potentia ad actum, & quae prius fuit imperfecta, postea fit magis perfecta, & ut sic dat subiecto esse imperfectum, deinde perfectius, ipsa facta magis perfecta non secundum se & specificē considerata, sed ut recipitur diuersimode in subiecto.

Ad primam igitur dico, quod forma ut remissa continetur virtute in seipsa intensa, quia quaecumque perfectionem habet ut remissa, habet ut intensa, & plus non, tamen continetur ut sensitiuum in intellectu, quoniam illa differunt & specie & genere, forma autē remissa est eiusdem speciei cum intensa, negatur autē quod universaliter gradus essentialis quorum unus continetur in alio differat specie, hoc enim non est verum nisi sumantur ex parte formae secundum se, quando autē sumantur ex parte formae ut respicit materiam quam actuatur, non est verum, ut magis declarabitur infra, & quoniam forma non intenditur nisi ut respicit subiectum, ideo magis & minus non differunt specie.

Ad secundam dico, quod illa diffinitio datur de forma secundum se & in suo esse specifico, & non ut diuersimode actuatur subiectum, ideo non concludit.

Ad tertiam dico ut ad secundam.

Ad quartam dico quod assumptum non est verum nisi de forma substantiali, per quam res locatur in specie determinata.

Remota hac opinione, adverte quod alij dicunt intentionem & remissionem per additionem gradus ad gradum, qui sunt in es-

sentia formar, non quidem vt est specifica, sed vt indiuidualis, quoniam secundum rationem specificam est vt numerus ex 8. metaph. tex. x. secundum autem quod est indiuidua ponunt in ea quandam latitudinem graduum, ex hoc quod si nō haberet vt indiuidua latitudinem graduum, non posset esse simul in diuersis subiectis secundū aliam & aliam rationem, videmus autē in niue & in pariete albedinē secundum aliam & aliam rationem, ergo &c. Et hæc est opinio Scoti & Ant. Andr. in 8. metaph. q. 6. Quæ quantū ad hoc q̄ forma vt specifica non habet latitudinē stat cum b. Tho. & q̄ vt indiuidua habet latitudinē, pro quanto actuat hoc vel illud subiectum magis vel minus, stat cū b. Tho. Quod autem hæc intentio fiat per additionem graduum, ita quod isti gradus distinguantur realiter & signate, & quod secundus adueniat primo distincto actu à secundo, & ex illis constituatur forma vna per se, est contra b. Tho. & intendo arguere contra hanc viam, deinde soluam rationes suas.

Argo igitur sic, si intenditur calor in aqua per additionem gradus caloris ad gradum caloris, qui sunt distincti & signabiles, patet quia primus est tantus calor, & secundus est tantus, ergo in aqua erunt duo calores gradualis, de quibus quatuor, aut, differunt specie, aut numero, non primo, quia non fieret intentio, si enim intentio per suum simile, quæ autem differunt specie non sunt similia, taliter quod vnum augeat alterum, vnde sicut per dulcedinem non augetur amaritudo, sic nec ibi si est distinctio specifica, non secundo, quia duo accidentia eiusdem speciei acquilibilia per motum secundum Sco. necessario distinguuntur subiecto. Constat autem quod idem subiectum & eadem pars subiecti potest intendi secundum calorem, ergo impossibile est duos calores distinctos numero inesse eidem. Et aduerte quod Sco. & Ant. Andr. videntur non posse saluare hanc realem distinctionem graduum, quin sibi contradicant. Nam Ant. Andr. in 5. metaph. q. 8. tenet quod est impossibile duo accidentia absoluta educta de potentia materia per motū differentia solo numero esse in eodem subiecto, quia termini motus sunt impossibiles. Constat autem quod si intentio fiat per additionem gradus ad gradum qui sunt realiter distincti, & vnus non corrumpatur adueniente alio, vt tenet Sco. duo accidentia realia absoluta quæ sunt differentia solo numero, & acquilibilia per motum, erunt in eodem subiecto, ergo sibi contradicunt.

Rationes pro hac opinione recitat cap. in 1. di. 17. q. 2. contra septimam cōclusionem & Her. in 1. di. 17. q. 5. & recitantur pro secunda opinione. Paulus autem Sone. in 8. metaph. q. 21. resolute format in principi. quæstionis, & soluit conformiter capit. & Her. & quoniam responiones sunt Thomistice, ideo vide eas in Paulo, ne tempus conteramus, ex quo nihil noui superaddendum occurrit.

Alij vt Burl. dicūt quod intentio fit per successionē graduum, ita tamē quod adueniēte posteriori, prior corrūpitur. Sed cōtra hanc opinionē arguit subtiliter & calculatorij Greg. in 1. di. 17. q. 4. art. 2. per totū, vbi & soluit rationes eius, verū hæc opinio iam perit, ideo nolo immorari contra eam, sed vide tu Greg.

Relictis his opinionibus, inuestigandū est quæ fuerit mens b. Tho. vnde aduerte quod ex tota doctrina sua elicit tria.

Primo forma nō intrēditur per additionē partis formæ vel gradus ad perexistēdū formā, quoniam secundū philof. & Commen. in 4. physic. tex. 8. 4. calidū sit magis calidū absque eo, quod in eo efficiatur aliquid calidū, quod ante non erat calidū vbi & Commen. inquit, materia veniet ex hac caliditate demonstrata ad maiore caliditate, nullis partibus calidis in actu adueniētibz, sed transfertur in maiore caliditate ex intētionē caliditatis, & similiter materia transfertur de minori quantitate ad maiore, nulla quantitate in actu adueniēte. Ex quibus cōstat quod mēs philosophi & Commen. fuit q̄ dum intrēditur forma, nihil noui aduenit subiecto, distinctum realiter à præcedenti forma.

Secundo forma non intenditur præcise ex hoc quod magis radicatur in subiecto, ita quod non augetur essentialiter. Hæc enim duo implicant contradictionē, nulla enim forma potest intelligi magis radicari in subiecto, nisi quia habet maiorem victoriam super subiectum, maior autem victoria indicat maiorem virtutem, maior autem virtus est à perfectiori essentia, quoniam cum distinguatur ab essentia, oportet quod commensuretur essentia, sicut effectus causæ proxime. Cum igitur formam magis radicari subiecto, inferat maiorem perfectionem in essentia formæ, hæc duo cōtradiciunt, forma magis radicatur, & non efficitur perfectior in essentia sua, non ergo tali modo intenditur.

Tertio, forma intenditur ex eo quod educitur de imperfecto ad perfectum, quod intelligas & secundum essentiam & secundum esse quod stat subiecto, pro cuius euidentia aduerte

OCTAVI METAPHY.

secundum doctrinam b. Tho. in 1. senten. dist. 17. q. 2. art. 2. quod qualitates secundae intenduntur secundum intentionem primarum, sicut sapor & odor & aliae intenduntur ad proportionatam intentionem caliditatis & frigiditatis, & humi. Qualitates autem simplices siue primae intenduntur ex causis suis ut ex agente & recipiente. Nam agens intendit reducere patiens de potentia ad actum suae similitudinis quantum potest, unde non contentatur calidum inducere in calefactibili calorem imperfectissimum, quem possumus dicere primum gradum, sed postquam reduxit calidum omnino in potentia ad calorem imperfectissimum, iterum conatur de imperfectissimo ad perfectiorem reducere, non addendo calorem calori, sed magis educendo de potentia ad actum, nam sicut per actionem calidi efficitur de non calido calidum, ita efficitur de calido imperfecto perfectius calidum, & sic ordinate usque ad summum calidum, in quo ordine, calor procedens comparatur ad sequentem, ut potentia ad actum, quodlibet enim imperfectum respectu perfectioris est ut potentia. Calor igitur intenditur ex eo quod actione calidi, educitur calor, qui erat in subiecto ut imperfectus actus ad maiorem perfectionem, & sic calor factus est perfectior, quia magis actus, & facit subiectum perfectius calidum, quod est dare perfectius esse calidum. Ex quibus sequuntur tria, primo quod formam intendi per educationem de potentia ad actum, idem est quod eam magis radicari in subiecto, & eam magis participari a subiecto, & eam educi de imperfecto ad perfectum, & eam magis actuare, siue dare magis esse subiecto, nam haec omnia in doctrina b. Tho. quo ad sensum equipollent, secundo, sequitur quod in via nostra non datur gradus distincti realiter, sed apud nos gradus dicuntur ipsa forma, ut diversimode educitur de minus perfecta ad magis perfectam usque ad summum, non per additionem sed per novos modos habendi ipsam formam, puta quando subiectum educitur de potentia calidum ad actu calidum quantumcumque imperfectum dicitur habere primum gradum caloris, & quando adhuc calefit & recipit perfectiorem calorem habet secundum gradum, ita quod primus calor qui est terminus a quo non distinguitur realiter a secundo qui est terminus ad quem, nisi ex nouo modo & perfectiori, tertio sequitur, quod omnes rationes probantur formam intensam distingui a remissa per additionem partis aut gradus aut nouae realitatis, alioquin per minus intensam nihil acquireretur,

QVAESTIO VI.

199

nec intensam & remissam: possunt esse termini motus &c. soluntur ex hoc quod licet nulla pars nec gradus nec noua realitas acquiratur, acquiratur tamen eadem forma nouis & perfectioribus modis. In his puto consistere modum intensam & remissam secundum doctrinam b. Tho.

Quantum ad tertium aduerte quod alio modo respondendum esset quaesito secundum Commen. & alio modo secundum Scotum & alio modo secundum b. Tho. Nam secundum Commen. ponenda esset conclusio haec, non solum forma accidentalitatis sed & substantialis simplex qualis est forma elementi est intensibilis & remissibilis, verum quia hanc opinionem pertractauimus in q. praecedenti & reprobauimus eam ideo non est immorandum in ea. Scotus autem & Ant. Andr. ut patet in 11. metaphy. q. 1. tenet quod indifferenter omnis forma substantialis, praeter animam intellectiuam intenditur & remittitur, eo quod forma generanda secundum eos successiue introducit & corrumpenda successiue abicitur, & quoniam haec opinio directe est contra viam nostram, ideo immorandum est contra eam, & sic procedemus. Primo ponentur fundamenta sua. Secundo rationes suae. Tertio arguetur contra fundamenta sua. Quarto soluentur rationes suae. Vltimo ponemus conclusionem responsiuam in via b. Tho.

Quantum ad primum aduerte quod suum primum fundamentum est hoc. Tenent quod forma substantialis licet quo ad esse specificum non intendatur nec remittatur, tamen secundum quod est individua intenditur & remittitur. eo quod intrinsece continet plures gradus individuales, quibus diuersimode & successiue potest informare materiam, & dicitur id esse de mente philosophi in 8. metaphysic. text. 10. ubi inquit, & quemadmodum nec numerus habet magis vel minus, nec quae secundum speciem substantia, id est forma substantialis ut specifica. Sed si quidem cum materia, id est in quantum individua, secundum est hoc. Tenet quod generatio est motus, & est successiua ut generatio est, ita quod non distinguitur a motu in 5. physic. ex eo quod generatio sit instantanea, & motus successiuus, sed ex termino & ex subiecto, nam generatio proprie est ad substantiam, motus autem ad accidens, & subiectum generationis est ens in potentia, subiectum autem motus est ens actu. Haec sunt fundamenta eorum.

Quantum ad secundum, aduerte quod Anton. Andr. 11. me-

raphysic. questio 1. ponit hanc conclusionem, forma substantialis habet gradus intrinsecos esenciales secundum quos suscipit magis & minus, & intrinsecam diuisionem. Hanc probat quatuor rationibus.

Prima est, calidum intenditur in igne, ergo & forma ignis. Antecedens patet de igne generato ex quercu, & generato ex palea, siue ex alia materia rara, cōsequētia autem probatur, si effectus naturalis dissimiliter se habet & causa naturalis dissimiliter se habet, quia omnis causa naturalis agit quantum potest. Sed calor ignis qui est effectus naturalis formæ ignis dissimiliter se habet, ut dictum est in antecedente, ergo & forma ignis quæ est causa naturalis dissimiliter, se habet, ex consequenti potest esse minus & magis perfecta.

Secunda est in alteratio precedente corruptionem aquæ in ignem introducit calor, ergo & forma ignis non intensa, ergo remissa. Antecedens patet ad sensum. Prima autem cōsequētia probatur, nullum propriū accidens est sine forma sui proprii, subiecti, quoniam consequitur ipsam, vel est ad ipsam. Sed calor est proprium accidens ignis, ergo &c. secunda autē cōsequētia probatur, quoniam impossibile est formas específicas repugnantes, esse simul in eadem materia secundum esse intentum, sed forma aquæ & forma ignis sunt repugnantes, ut patet ex suis contrariis dispositionibus, ergo cum in alteratione precedente &c. introducat formam ignis & adhuc sit in materia forma aquæ, necesse est, vel vtranque esse remissam, vel saltem formam ignis esse remissam.

Tertia est, omne quod mutatur ex 6. physic. est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, tunc quæro ly partim & partim, aut accipitur pro diuisibilitate formæ secundum quam est motus, aut pro diuisibilitate subiecti, quod mouetur, non secundo, quia ex 8. physic. contingit aliquid eorum simul alterari, ergo primo modo, ergo forma substantialis est diuisibilis, & sic habetur propositum.

Quarta est, omnis perfectio quæ potest numerari in pluribus maiore perfectionem dicit in pluribus, quam in vno, sed forma ignis est numerabilis in pluribus indiuiduis, ut patet. Si igitur duo ignes iungantur & fiat vnus, non est dubiū, quin ille ignis perfectiorem & intensiorem formam habeat, quam duo ex quibus componitur, seorsum sumpti, nam duo perfecta simul iuncta, perfectius aliquid ponunt, quam vnum tantum

ceteris paribus.

Quantum ad tertium sic arguitur, contra primum fundamentum, forma secundum quam aliquid constituitur sub specie, est indiuisibilis, quoniam secundum philosophū in 8. metaphysic. tex. 10. se habeat ut vocat ad numerum, quæ licet sit minima & indiuisibilis addita vel subtracta variat speciem numeri. Sed per formam substantialem indiuidualem, indiuiduū constituitur sub specie, quoniam aut constituitur sub specie per formam specificam, aut per indiuidualem, non per specificam, quoniam specifica constituitur species, non potest autem eodē constitui species & indiuiduum, cum se habeant ut totum & pars subiectiua, si est indiuisibilis, ergo non habet gradus intrinsecos esenciales, nec suscipit magis & minus, quoniam in doctrina Scoti intentio fit per additionem graduū, & dictum philosophi in 8. metaph. tex. 10. vbi inquit. Sed si quidem cum materia &c. non fauet ei, nam sensus philosophi est, quod forma substantialis siue specifica siue indiuidua non habet magis & minus in essentia sua. Sed si quidē cum materia, id est, si consideretur cum dispositionibus quæ tenent rationem & modum materię, quia sunt ratio recipiendi formam, potest dici recipere magis & minus, non quidem secundum se, sed ratione dispositionum, quæ sunt qualitates intensibiles. Sed quia Commenta. in 8. metaph. textum prædictum exponens videtur fauere viæ Scoti. Dicit enim ita, forma substantialis non recipit magis & minus, non enim est homo maioris humanitatis quā alius homo secundum formam. Sed si fuerit, erit secundū quod forma est in eo in materia, ideo declarandum est quod pro veritate non fauet ei. Aduerte igitur quod Commenta. intelligendus est, sicut intendit philo. philo. autem loquitur de formis contra Platonem qui dicebat formas esse numeros & esse separatas, & licet secundū philo. non sint numeri, tamen assimilantur numeris in quatuor proprietatibus, quæ patent in eodē tex. & 4. similitudo est, quod sicut numeri non recipiunt magis & minus, sic nec forma secundum speciem, quoniam ut species non habet principium intrinsecum, nec gradum quo diuersificetur. Sed si habet magis & minus, est cum materia, id est, Quoniam materia est principii diuersificandi formam specificam, ratio maioris apparentiæ suscipiendi magis & minus est ipsa materia, quam sumpta ut species vel ut separatio, sicut accipiebat Plato. Tamen ex hac conditionali non sequitur

quod Philosophus aut Commentator concedat eam suscipere magis aut minus, nec posse suscipere, sed solum sequitur, quod habeat minorem repugnantiam ex materia quæ ex se, si susciperet magis aut minus, non inconuenit autem conditionalem esse veram, cuius antecedens & consequens sunt impossibilia. Constat autem quod philosophus dum dicit. Sed si quidem loquitur conditionaliter, & non vi vnius termini, de Comment. autem constat, quod format conditionalem, vt patet inuenienti dictum suum supra positum, non ergo super dictum philosophi possunt Scotus & Ant. Andr. ponere fundamentum opinionis suæ,

Contra secundum fundamentum arguitur sic, motus vt distinguitur contra mutationem proprie dictam, quæ est generatio & corruptio simpliciter, nullo modo est in substantia, generatio autem & corruptio est in substantia, ergo generatio non potest dici motus proprie dictus. Minor patet, quoniam generatio est via ad substantiam, maior probatur, vbi est motus proprie dictus ibi est contrarietas, ex 5. phisic. tex. 10. sed in substantia non est contrarietas, vt patet in predicamentis & in 5. phisic. tex. 10. ergo &c. forte dices, licet philosophus neget contrarietatem proprie dictam in substantia, non tamen communitur dictam, & hæc sufficit ad motum. Contra, hoc est expresse contra Comen. in 5. phisic. cõmen. 10. qui tenet quod ad motum requiritur contrarietas proprie dicta, & ait, & intendit Arist. hic per contraria &c. vsque ibi, & quomocunque concedatur quod in substantia est contrarietas destruetur signum philosophi &c. Patet ergo quod si in substantia non est motus proprie dictus, quod ibi non est introductio formæ successiua, & per consequens non est ibi intentio nec remissio,

Quantum ad quartum solvenda sunt rationes eorum, quas supra recitauimus. Ad primam negatur consequentia, ad probationem dico ad minorem, quod calor qui est intensior in igne genito ex materia magis solida puta ex quercu. nõ est effectus solidus formæ ignis, sed prouenit ex materia solida in qua magis vigoratur. Vnde dico quod ex parte formæ non est intensior, ex consequenti dissimilitudo caloris in diuersis ignibus generatis ex diuersa materia, non arguit magis & minus intrinsece in forma ignis.

Ad secundam nego primam consequentiã, ad probationem dico ad min. quod calor nõ pro quolibet gradu est proprius accidens ignis

ignis, sed calor pro tanto gradu sub quo nõ potest stare nisi forma ignis, vnde in casu proposito dico quod calor in alteratione productus pro generatione ignis & corruptione aquæ est subiectiue in aqua, mediãte forma aquæ quæ nõ repugnat ipsi calori nisi pro tali gradu, sub quo non posset saluari forma aquæ, & pro tunc non est in materia nisi forma aquæ & nullo modo forma ignis, & ideo de secunda consequentia nõ curamus. Et aduerte quod eos decipit hæc consequentia, forma aquæ repugnat calori pro tanto gradu, ergo pro omni gradu, patet quod non valet.

Ad tertiam dico secundum doctrinã b. Tho. quod dictum philo. non verificatur eodem modo in omni mutatione. Sed primo & proprie verificatur in mutatione locali, & in alteratione quæ est inter contraria mediata, vt quod mutatur de albo in nigru prius peruenit ad fuscum, quod participat de albo & nigro: in illis vero mutationibus, inter quorum terminos nõ est aliquod medium, dictum philo. nõ saluatur respectu principalis termini, sed respectu alioius adiuncti, vt dum mutatur materia de forma aquæ ad formam ignis, est quidem toto tempore alterationis vsque ad vltimum instans exclusiue sub forma aquæ, & nullo modo sub forma ignis secundum ipsam formam, potest tamen dici esse partim sub forma ignis nõ secundum seipsam, sed ratione dispositionum quæ sunt pro forma ignis introducenda & pro forma aquæ remouenda. Ad argu. igitur nego diuisionem quoniam non est partim & partim ratione formæ substantialis, nec ratione subiecti, sed ratione dispositionum in generatione substantiali.

Si dices quod Comen. vult dictum philo. verificari in quatuor generibus mutationum, ergo in mutatione substantiali.

Respondeo si Comen. intendit quod verificatur in mutatione substantiali modo quo dictum est, ratione dispositionum, acceptatur, si autem intendit ratione formæ substantialis, negatur auctoritas sua, quam nec b. Tho. tenet in 6. phisic. exponens tex. 92. & approbat dictum Alexandri, quod omnis mutatio est diuisibilis scilicet vel secundum seipsam, vel secundum motum ei adiunctum.

Ad quartam dico quod non concludit formam substantialem intendi & remitti, sed quod vna est perfectior altera, licet sint vnius speciei, quod & nos concedimus ad sensum quem dicemus infra in hacmet. q. Ratio autem quare non in tenditur ponetur in probatione conclusionis sequentis.

OCTAVI METAPHY.

Quantum ad quintum ponitur hæc conclusio responsiva in via b. Tho. nulla forma substantialis extensibilis intentione proprie dicta, nam in via b. Tho. ad veram intentionem tria requiruntur. Primo quod à tali forma res non sortiatur species.

Secundo quod illa forma numero sit apta diuersimode actuare suum subiectum. s. modo imperfecto, deinde perfectio ri & perfectiori secundum quod ab agente magis & magis educitur de potentia ad actum. Tertio quod sit diuisibiliter acquisibilis per motum, sed ut probauimus contra Scotum & Ant. And. qualibet forma substantialis constituit id cuius est forma in propria specie, nec est apta diuersimode actuare materiam, cum non habeat gradus intrinsecos essentielles, ut probauimus contra Scotum, nec est acquisibilis per motum sed per instantaneam transformationem substantialem, quam probauimus contra Scotum, non esse motum, ergo &c. Dixi autem intentione propria dicta quoniam sumendo intentionem communiter dictam quæ ponitur in duabus formis eiusdem speciei, & in formis distincta substantia non inueniuntur formam substantialem in eadem & remitti prout una est perfectior & alia imperfectior, ut declarabimus in parte sequenti.

Sed contra hanc determinationem videtur esse Arist. qui in 5. phy. tex. 3. antequam diuidat motum communiter dictum in suas species scilicet in mutationem proprie dictam & in motum proprie dictum dicit, quod in omni motu est tempus ergo successione est tempus, ergo successio, ergo forma substantialis est successiue acquisibilis, ergo intensibilis.

Ad hoc respondetur per Comen. in 5. phys. comen. 3. vbi inquit omnem motum esse in tempore, declarabitur etiam perfecte in lib. 6. constat autem quod in lib. 6. dicitur phy. omnem motum esse in tempore tam motum proprie dictum, quam mutationem, in substantia, non quidem ratione instantaneæ introductionis formæ substantialis, sed ratione præuie alterationis, ideo dicitur, omne quod generatur, prius generabat. Quare &c.

Quantum ad quartum principale. s. posito quod repugnet formæ substantiali in eadem specie inæqualitas perfectionis substantialis, aduerte quod inter Thomistas est discrepantia, nam Cap. 1. dist. 32. q. 1. tenet hanc conclusionem in animabus intellectiuis, licet omnes sint eiusdem speciei, sunt diuersi gradus essen-

QVAESTIO VI.

102

tiales. Hanc probat de mente b. Tho. in 1. sen. dist. 8. q. 5. art. 2. & intendit talem rationem formæ naturaliter proportionate suis subiectis secundum inæqualitatem suorum susceptiuorum habet inæqualitatem inter se, sed animæ ununtur corporibus ut formæ proportionate, cum actus recipiatur in materia secundum dispositionem materiae, constat autem quod corpora non sunt æqualiter disposita propter inæqualitatem virtutis generantium & complexionum, ergo ex inæqualitate essentiali corporum, potest concludi inæqualitas essentialis animarum. Tu tamen aduerte quod hæc inæqualitas non competit animæ ex se, quoniam induceret distinctionem specificam. Sed competit huic animæ & illi, prout hæc respicit hoc corpus & illa illud, & ideo licet hæc distinctio possit dici formatum, non tamen formatum, sed potius materialis, non enim conuenit animæ ex se quæ tam est forma sed ratione materiae quæ respicit. Et hæc est mens Capr. vbi supra, quæ sequuntur excellentiores Thomistæ. Sed Pau. Sonc. non placet, ut patet in 8. metaph. q. 26. vbi in fine declarat, quod una animam esse perfectiorem alia, non est secundum essentialia nec secundum esse substantiale, sed secundum nobiliores dispositiones conseruantes eam in materia, sed nos dicimus declarationem suam esse veram, sed non sufficientem. Admittimus, enim perfectionem accidentalem inæqualem inter animas, quæ nullus habet negare, sed ultra illam tenemus inæqualitatem perfectionis essentialis, eo quod vnaqueque anima in suo proprio susceptiuo habet esse determinatum secundum mensuram perfectionalem corporis quod informat, & hæc est expressa scientia b. Tho. in 1. sen. dist. 8. q. 5. art. 2. ad sextum. Constat autem quod corpora humana non habent æqualem nobilitatem, & ideo una anima quæ creatur ut vnibilis huic corpori digniori, sortitur à Deo nobilius esse, & illa opposito modo.

Quoniam igitur tenemus partem affirmatiuam, soluendæ sunt rationes quæ inducuntur à Paulo Soncinate, vbi supra, & sunt tres.

Prima, anima intellectiua prius natura habet esse quæ vnita tur materia, ergo una non dat nobilius esse quæ alia. Antecedens patet, quia anima comunicat suum & proprium esse materiae, prius autem est res habere perfectionem in se, quæ comunicare eam alteri. Consequencia autem sic probatur uti una anima dat nobilius esse quæ alia, ut hoc est, quia entitas vnus animæ est perfectior entitate alterius, & hoc etiam tu negas, aut est propter disposi-



tionem, ut tu dicis, & hoc non, quia sequitur quod anima ex sui unione ad materiam consequeretur imperfectionem in suo esse, quod est falsum, quia forma non unitur materiam, nisi propter bonum formam.

Ad hoc dico quod peccat ex fundamento falso, quoniam imaginatur quod Deus creat animam, & det illi esse, non respiciendo materiam sic vel sic dispositam, quam debet informare. Hoc quidem est falsum, nam Deus dum creat hanc animam, respicit hoc corpus & proportionaliter terminat eam ad tale gradum essendi, & ex hoc patet, quod sua consequentia non valet, & ad probationem dico, quod est propter primum, sed illa perfectior entitas non conuenit animae ut anima, sed ut huic, est autem haec ut respicit hanc materiam, & has dispositiones. Et cum dicit ergo anima ex sui unione ad materiam consequitur imperfectionem, negatur consequentia, quae utique valeret, si anima haberet esse ante unionem & produceretur a Deo, non respiciendo ad hanc materiam, immo dico quod ex unione perficitur, eo quod non haberet aliquid esse nisi veniret, quoniam ratio occasionalis creandi hanc animam, est ut unjatur huic corpori.

Secunda, producat Deus animam unam separatam a materia, deinde uniat eam materiam optime dispositam. Tunc quaero, si esse illius animae est factum perfectius ex unione, vel non: si sic, ergo illud esse est intentum, quia ad intentionem, in via Thomistica sufficit quod actus deducatur de imperfecto ad perfectum, si non ergo illud summam & optimam dispositionem non faciunt quod una anima det perfectius esse quam alia.

Ad hoc dicitur quod peccat eodem fundamento ut praecedens. Dico igitur quod Deus non crearet unam animam ante informationem, nisi respiciendo dispositiones materiae, quae sunt vel futurae sunt in tali materia, & iuxta illas terminat hanc animam ad tale esse sibi inuariabile, siue sit unita materiae, siue non. Et si daretur casus quod Deus crearet unam animam sine habitudine ad materiam determinatam, dico quod illa non esset anima nisi equiuoce. Nam de ratione animae est esse actum corporis, ergo de ratione huius animae est esse actum huius corporis.

Tertia, sequitur quod forma substantialis possit intendi & remitti, quod contra doctrinam Thomistae. Consequentia probatur, sequitur quod forma substantialis possit habere perfectius esse quam haberet, ergo potest intendi & remitti. Consequentia est clara in via b. Tho. ut patet ex praedictis in hac q. Ant-

tecedens probatur, esse forma substantialis, secundum te est tanto perfectius quanto dispones pro forma introducenda, & quae simul introducuntur cum forma, sunt perfectiores, sed istae possunt intendi postquam forma est introducta, & effici perfectiores, ergo forma poterit habere perfectius esse, quam prius, ex consequenti fieri intentior.

Ad hoc dico quod ut recitat Cap. vbi supra, fuit arg. Durandi, & est quintum in ordine & Cap. soluens inquit, negatur consequentia, ad probationem, non oportet quod si secundum diuersitatem dispositionum praecedentium formam in materia, vel simul omni forma incipientium sit inaequalitas formarum substantialium, quod a simili secundum diuersitatem dispositionum sequentium formam, forma ipsa intendatur vel remittatur, posito quod post introductionem formae sicut perfectiores vel imperfectiores, & ratio huius est, quia dispositiones praecedentes, vel simul incipientes cum forma, habent aliquem modum causalitatis respectu formae substantialis, non autem posteriores, ideo ad variationem sequentium non variatur forma nec esse eius, sed bene accedat taliter variat ipsum compositum, modo in melius, modo in peius.

De responsione quam dat Paul. & contra quam arguit, non curamus, quoniam non est ad viam nostram. Diximus enim, quod ad intentionem proprie dictam requiritur, quod forma sit acquisibilis per motum, & per eam non constituatur res in specie, & quod eadem numero sit apta plus & minus actuare subiectum, & non indiuisibiliter, & quod actione agentis magis & magis educatur de imperfecto ad perfectum, quae omnia repugnat formae substantiali, ut patet in supradictis. Tenemus igitur inaequalitatem substantialium duarum formarum substantialium eiusdem speciei, non tamen intentionem & remissionem. Haec de presenti quaestione dicta sunt.

Quaestio 7. Si ex materia & forma sit unum per se,

& propter quid, & an immediate.

Expeditis quaestio. euenientibus circa materiam & formam, resoluenda est nunc quaestio, quae accedit circa naturam compositi, & est haec, utrum ex materia & forma fiat unum per se, & propter quid, & an immediate. Pro resolutione tria agenda sunt. Primo declarandum est, quid sit fieri unum per se. Secundo ponentur duae conclusiones responsivae. Tertio assignabitur ratio, quare ex subiecto & accidente communi non fit unum per se.

Quantum ad primum aduerte, quod aliud est esse unum per se, & fieri unum per se, nam esse unum per se, est esse indiuisibili

OCTAVI METAPHY.

le ex sui natura, & hoc modo res simplex est vna per se, sicut punctus, sicut intelligentia, & in supremo gradu est prima causa, fieri vnum per se est ex pluribus adunatis resultare vnam naturam, quae reponitur in determinato genere & determinata specie, unde aduerte, quod ad fieri vnum per se non sufficit ex pluribus adunatis resultare quid vnum, aliter aceruus lapidum & homo albus possent dici facta vnum per se. Sed requiritur quod ipsum totum constitutum reponatur in genere & specie determinatis, vt numeri, & quantitates continuæ, & si gunt, & substantiæ compositæ &c.

Quantum ad secundum ponuntur duæ conclusiones, prima est, ex materia & forma sic vnum per se, probatur, sicut substantia simplex seipsa est vna per se, quia non habet principia intrinseca ex quibus fiat vna. Sic per oppositum substantia composita sic vna per se, quia habet principia intrinseca, ex quibus fit vna per se. Hæc autem principia non sunt nisi materia & forma, quæ solæ sunt causæ intrinseca, ergo &c.

Secunda conclusio, propter quid ex materia & forma sic vnum per se, nulla est causa intrinseca, nisi quia materia est potentia, & forma est actus. Hæc conclusio non potest demonstrari aliter, nisi quia de natura potentia & actus est, vt ex eis coniunctis cõsurgat vnum per se. Sed materia & forma sunt actus, ergo &c.

Quod si quis negat ex potentia & actu fieri vnum per se, non est disputandum cum eo, sicut nec cum negante principia per se nota; dico autem causa intrinseca, ad differentiam causæ agentis, quæ ideo necessaria est, quia educit materiã de potentia ad actum, & sua actione disponit materiã ad receptionem formæ.

Ex hac autem determinatione eliciuntur duo corollaria, primum est, quod ex subiecto & accidente communi non fit vnum per se. Dico ex accidente communi, quoniam ex subiecto & accidente proprio, siue ex propria passione, licet non fiat vnum per se entitative, vt declarauimus in 4. lib. tamen fit vnum per se prædicatiue, quod non contingit, non in accidente per accidens, siue communi. Ratio autem propter quam non fit vnum per se, secundum Ant. And. non est alia, nisi quia subiectum & accidens commune sunt tales naturæ, quod ex se non constituunt vnum per se, sicut ex opposito materia & forma sunt tales naturæ, quod constituunt vnum per se. Sed hoc nihil est dictum, immo causa est, quia ex actu & pura potentia, aptum est fieri vnum per se, non autem ex duobus, quorum vnum est actus, & alterum

QVAESTIO VII.

204

est actus, siue quia vtrumque est actus. Et hanc causam assignauit philosophus contra Plato. in lib. 7. tex. 49. vbi inquit. Duo namque sic actu, nunquam sunt vnum actu, actus enim separat. Secundum est, quod ex materia & forma sic vnum per se immediate, id est, nullo interposito medio, & ratio quidem huius est quoniam vt inquit philosophus in hoc 8. lib. tex. vlt. postquam tetrahendit antiquos, qui diuersimode assignabant medium, quo ex materia & forma sic vnum per se, nullum est assignandum medium, eo quod forma adueniens materiæ, sicut seipsa dat esse & constituit ens, dummodo agens moueat potentiam ad actum, scilicet disponendo materiã ad actum, sic seipsa adueniens materiæ facit vnum, & constituitur, quoniam cum ens & vnum sint idem, vt determinatum est lib. 4. eodem res sic ens & fit vna, cum igitur forma, seipsa det esse, seipsa faciet vnum, & non per medium.

Sed contra prædicta sunt tria dubia, primo dubitatur quomodo sit possibile, quod ex materia & forma fiat vnum per se, cum maxime distent, quoniam sunt vt potentia & actus, quæ sunt extreme distantia, quæ autem sunt conformia, videntur magis vnibilia, ex consequenti magis facere vnum.

Ad hoc dicitur, quod aliud est aliqua fieri vnum, & aliud est ex aliquibus fieri vnum. Item ex aliquibus fieri vnum, contingit dupliciter. Primo quod illud vnum sit eiusdem rationis, cum his ex quibus fit, sicut est totum omogeneum. Secundo quod illud vnum sit alterius rationis ab his, ex quibus fit, vt est totum, ætherogeneum, stantibus his distinctionibus, dico quod si poneremus actum & potentiam fieri vnum, similiter si ex potentia & actu fieret vnum eiusdem rationis, sicut ex duabus aquis fit vna aqua, argumentum procederet, quoniam quæ minus distant, & sunt magis conformia, sunt magis apta fieri vnum, & ex eis resultat totum, quod est eiusdem naturæ cum his ex quibus resultat, vt patet quando duæ lineæ coniunguntur, duæ aquæ, duo ignes, &c. Sed nos ponimus ex materia & forma fieri vnum quod est alterius rationis, & non illa fieri vnum. Ad hoc autem constituendum dico, quod quæ magis distant, sunt magis apta, dummodo vnum sit vt perfectibile, & alterum vt perfectum, & quoniam forma vt actus, & materia vt potentia sic se habet, ideo non inconuenit ex eis fieri vnum per se.

Secundo dubitatur, si hæc est vniuersaliter vera, quando ex aliquibus fit vnum per se, necesse est vnum esse potentiam &

alterum esse actum nam videtur habere instantiā in toto quātitatiuo, vt in linea bicubitali, quæ constituitur ex cubitali & quæ cū sint eiusdē rōnis, nō vident se sic habere, q̄ vna sit actus, & altera sit potētia, sed vel vtraq; est actus, vel vtraq; est potētia, & tamen constituunt vñū per se, scilicet lineam bicubitalē.

Ad hoc dicitur q̄ illa propositio. Quā ex aliquibus &c. nō est vniuersaliter vera, nisi in cōstitutionē vniū per se, qd est alterius naturæ à suis principiis cōponētibus. Instantia autē procedit de vno per se, qd est eiusdē naturæ cū suis cōponētibus, nā tūc sufficit, q̄ omnia cōponētia sint vt potētia, vnde quā A, & B, componunt C, sicut duæ lineæ tertiā, dico q̄ A, & B, sunt partes potēciales. Quando autē ex elementis componitur elementatiū, dico quod elementa sint vt potētia, & forma mixti est actus. Vt igitur fiat principiū quod teneat in omnibus, formetur sic. Quando ex aliquibus sit vnum per se, necesse est vel illa esse potētia, vel vnum esse potētiā & alterum esse actū.

Tertio dubitā quomodo sit possibile, q̄ ex materia & forma fiat vnum sine medio, cum videamus ea quæ multū distanc non vni sine medio, vnde & duo extrema contraria non vniuntur nisi in medio, vt calidum & frigidum in tepido, constat autem quod materia & forma multum distanc, ergo &c.

Ad hoc dicimus, q̄ si sunt duo multū distantiā, quorū vtrūq; habeat esse separatim, sicut duo corpora, illa non vniuntur sine medio colligante, vt patet in edificatiōe domus: si autem illa duo non habeant esse seorsum, sed vnum actuat alterū, & nullum habet esse, nisi per illud, non est necesse, quod vniatur per medium, & quoniam materia nullum habet esse, scilicet actuale: sed ipsum accipit à forma, nec forma habet aliud esse, nisi illud quod communicat materiae, ideo nō inconuenit, q̄ vniatur sine medio. Argumentum autem procedit, ac si materia & forma haberent distincta esse: sicut duo extrema contraria habent distincta inesse. Hæc de præsentī quæsitō dicta sint.

Quæstio 8. Si nomen speciei in substantiis compositis, significat solam formam, & dato quod non, si prius significat formam, quā compositum.

Oportet autem non ignorare &c. Text. 7.

Iam expediatis quæstionibus, quæ emergebant circa considerationem materiæ & formæ & compositi, nunc superest discutere quæstiones aliquas supra text. philosophi, & 1. supra text. 7. oportet autē non ignorare &c. in quo philosophus intendit

determinare, q̄ in substantiis cōpositis nomen speciei nō significat formā solam, sed formam in materia, cuius rationē principalem assignat in text. 8. vbi inquit, nam quod quiderat esse &c. & intendit ealem rationem, si nomen speciei in substantiis cōpositis significat solam formā, ergo in eis idem erūt res & quod quid est rei, quod est falsum, quoniam vt dicit philosophus in text. 8. anima & esse anima idem, hominis vero esse & homo non idē, nisi & anima homo dicatur. Quaritur igitur, si nomen speciei in substantiis cōpositis significat solam formam, & politico quod nō, vtrum significet prius formam quā compositū.

In hac quæstione procedendum est. Primo probandū est, quod nomen speciei in substantia cōposita vt homo, non significat solā formā sed cōpositum. Secūdo ad declarandū q̄ prius significat cōpositum quā formā, ponentur aliquæ distinctiones. Tertio respondebitur quæsitō, scilicet an prius significet formā quā compositum. Quarto soluetur ratio tenentium oppositum.

Quantū ad primū sic probatur propositum. Quod prædicatur in recto de indiuiduo, significatur nomine, speciei, quoniam species de indiuiduo prædicatur. Sed nō sola forma prædicatur in recto indiuiduo sed in obliquo, cōpositum autē prædicatur in recto de indiuiduo. Hæc enim est vera. Sortes est quid compositū ex corpore & anima, ergo compositū, & non sola forma significatur nomine speciei. Præterea significatū per nomē speciei, & significatum per diffinitionē sunt idē, quoniam species est quæ diffinitur, & ratio quā significat nomē est diffinitio. Sed significatum per diffinitionem, non includit solam formā, inuēto & formā, & materiā, quoniam substantia cōposita naturalis diffinitur per formā & materiā ex 7. huius text. 33. ergo &c.

Quantū ad secundū aduerte q̄ aliqui sic solent distinguere. forma est duplex. scilicet forma totius vt humanitas, quæ includit formā & materiā: & forma partis, vt anima. Itē sic distinguit, nomē potē considerari quantū ad id quod significat, vel quantū ad id quod est ratio significandi, vel breuius, in nomine potē considerari quod, & quo, vt homo potest significare id quod est homo, & id quo homo est homo. Itē alij sic distinguit, nomē potē considerari quantū ad id cui nomē imponit, & quantū ad id à quo nomē imponit.

Quantum ad tertium aduerte, quod sequentes Comment. tenentem solam formam esse totam essentiam substantiæ compositæ, vt visum est in lib. 7. dicunt, quod nomen speciei primo significat formam partis, quæ dicitur esse ratio significandi, &

id à quo nomen imponitur, secundario autem significat compositum, quod est id quod est, & cui nomen imponitur, & inter istos est Ianduni in 8. lib. in q. 3. Et probat intentum suum sic. Quando duo sic se habent quod unus est causa alterius, & aliquod nomen debetur eis, principaliter & dignius debetur cause, quam causato. Sed forma est causa compositi, & nomen speciei debetur utriusque, ergo principaliter & dignius significat formam, quam compositum, materia nota, & minor, quo ad primam partem. Quo ad secundam partem probat per Commenta. qui in hoc 8. lib. in comment. 7. inquit. Hoc nomen animal dicitur principaliter per formam, & dicitur de congregato ex materia & forma secundario, scilicet quia dicitur de forma, nomen enim non significat rem, nisi secundum quod est in actu, & causa actus in composito est forma, & cum duo fuerint, quorum alterum est causa alterius, illud quod est causa dignius habebit nomen. Illud enim nomen est secundi propter primum, verbi gratia. Res calida, quoniam non habent nomen caloris, nisi propter calorem ignis, qui est in fine, & ideo cum fuerint plura, que non habent idem nomen nisi propter aliud, illud aliud est dignius habere illud nomen, & erit causa illorum. hæc Comment. Patet igitur quod fuit intentio philosophi & Comment. nomen speciei prius significare formam quam compositum, nos autem, qui sequimur b. Tho. tenentem, ut declarauimus in lib. 7. materiam & formam esse partes quidditatis in substantia composita, sustinemus nomen speciei prius & dignius significare compositum quam formam, nam nomen impositum ad significandum essentiam, & quidditatem rei, prius & dignius significat totam quidditatem quam partem. Sed nomen speciei impositum est &c. Significat homo id quod est homo, ergo prius & dignius significat totam quidditatem quam partem, tota autem quidditas non est forma (ut probatum est in 7. lib.) Sed quid resultat ex materia & forma, quod signatur per compositum, ergo nomen speciei prius & dignius significat compositum, quo formam, & aduerte quod tota via in hoc est, ut sustineas quod forma non est tota quidditas, & nos conati sumus sustinere in libro septimo, in questione nona.

Quantum ad quartum solueda est ratio Ianduni. Ad quam b. Tho. responderet, quod minor pro secunda parte est falsa, scilicet quod nomen speciei conueniat in recto formæ, & composito, nam hæc est falsa. Anima est homo, nisi anima esset tota

quidditas, quod nos negamus. Ad probationem quæ est sententia Comment. b. Tho. qui in hoc tenet contra Comment. diceret, quod illa propositio, cum duo fuerint quorum unum est causa reliqui &c. non est vera, nisi inter causam effectiuam vniocam & effectum suum, puta quia hoc nomen calidum dicitur de igne & de aqua calefacta principaliter & dignius dicitur de igne, quam de aqua, & non dicitur de aqua nisi propter ignem, non autem verificatur de causa formali non enim sequitur quod si homo est homo propter animam rationalem, quod anima sit principaliter & dignius homo, & si tu adueris, Commenta. non notibear propositionem suam nisi in causa effectiua vnioca. Constat autem quod forma non est causa compositi in genere causæ efficientis, igitur ratio Ianduni nulla est. Hæc de presenti quaesito dicta sint.

Quaestio 9. si numerus habet esse reale extra intellectum, & si est unum per se & entitas distincta à rebus numeratis.

Et quemadmodum nec à numero aliquo addito aut ablato. Tex. 10.

Philosophus in hoc loco comparat quidditates rerum significatas per distinctiones, & præsertim per differentias specificas numeris, secundum quatuor proprietates, quæ patet in expositione b. Tho. & quoniam philosophus in tota sua metaphysica de numero parum tractat, nisi in presenti tex. & in libro 10. ubi agit de uno & suo opposito in vniuersali, ideo expediens est, hic discutere quaestiones, quæ communiter tractantur circa naturam numeri, & primo tractabitur si numerus habet esse reale extra animam, & si est quid unum per se, & si est entitas distincta à rebus numeratis, secundo quaeritur de forma numeri, 3. si numerus de prædicamento quantitatis inuenitur in abstractis.

Quantum ad primum quaesitum, considerabitur quo ad singulas partes & quo ad primam partem scilicet si numerus habet esse reale extra intellectum, sic proceditur. Primo ponitur opinio tenens partem negatiuam. Secundo determinabitur contra eam. Tertio ponentur rationes illius opinionis & soluentur.

Quantum ad primum aduerte, quod ut recitat Greg. in 1. sen. dist. 2. q. 2. in 1. arti. Opinio Petri Aureoli fuit, quod quamuis multæ unitates rerum sint extra animam, quoniam ad sensum

patet esse in rerum natura hunc unum lapidē & illū unum, & illum unum, tamen istæ unitates non sunt, nec faciunt numerum in rerum natura extra animam, quoniam illæ unitates sunt tantum materia numeri, quantitas autē siue summa siue conclusio est forma numeri. Hęc autem summa, siue conclusio, non est nisi ab anima summante & concludente dictam multitudinē unitatum, ita quod secundum prædictam opinionem nullus numerus quo ad formale suum, habet esse extra animā, sed solum quo ad materiam.

Quantum ad secundum, ponitur conclusio opposita, non omnis numerus etiam quo ad suum formale est per solam apprehensionem animæ, probatur, & accipio rationem Gregorij vbi supra, Aliquæ res esto quod non apprehendantur ab anima sunt tot & tot finite, puta 4. vel 6. & sic de alijs, ergo aliquæ res esto quod non apprehendantur ab anima sunt numerus, ex consequenti non omnis numerus habet esse tantum per apprehensionem animæ, vtraque consequentia est nota, & probatur antecedens, non plus dependet ab anima multitudo rerum in esse tot & tot, quam dependeat magnitudo in esse tanta vel tanta, puta cubitalis vel bicubitalis &c. Sed constat quod magnitudo in hoc non dependet ab anima, ergo &c.

Alias rationes adducit Paulus in libro 10. quæstio 8. quas vide ad placitum.

Quantum ad tertium aduerte quod Petrus Aureoli multipliciter conatur probare intentū suum, cuius rationes recitat & soluit Gregor. vbi supra. Sed solutiones suæ vsque ad sextam non sunt Thomisticæ, ideo vide eas in cap. in 1. dist. 14. q. 1. contra primam conclusionē quarto loco, quas & Paulus recitat ac soluit. vt cap. in libro 10. quæstio 8. vide Paulum & sufficit tibi, quoniam non possunt aliter solui, stando in via Thomistica.

Tu tamē aduerte quod Paulus non recitat nec soluit rationem sextam Petri Aureoli, quæ videtur apparens, quia fundatur in dicto philosophi & Commentato. Hanc igitur formabimus & soluemus.

Sic ergo arguit, Dicit philosoph. in 4. physic. text. 131. secundū translationem Cōment. Dicamus verbi gratia, quod cum numerans non fuerit, numerare non erit, ergo manifestum est etiam quod numerus non erit. & cum nihil aliud aptum natū sit numerare quàm anima, & animæ intellectus, impossibile est velle numerus cum anima non fuerit. Hęc verba adeo clare

sunt, inquit Aureolus, vt non indigeant expositione, ergo ponere numerum quo ad suum formale habere esse extra animam, est contra philosophum.

Idem confirmatur per Comment. in eodem libro in cōment. 131. qui ait numerus non est nisi actio numeratōis in numerato, & manifestum est, quod cum numerans non fuerit, actio eius non erit. Impossibile est autem aliquod aliud numerare præter animam & animæ intellectum, ergo manifestum est, quod cum anima non fuerit, non erit numerus (& in fra) esse vero numeri in anima non est esse omnibus modis, quoniam esset fictum, sicut chimera. Sed esse eius extra mentē est in potentia, propter subiectū proprium, esse vero eius in anima est in actu, quando scilicet anima egerit actionē, quæ dicitur numerus in subiecto præparato ad recipiendū illam, ex quibus patet, quod numerus non est actu absque apprehensione animæ.

Pro resolutione huius præmitto duas distinctiones, quarum prima est, numerus est duplex, quidam est multitudo unitatū non continuarum seu discretarū in rerum natura, vt duo homines, duo lapides, de quibus constat, quod adinuicem non cōtinuantur, quidam est multitudo unitatum, quæ in rerum natura sunt continuæ, sed fiunt non continuæ seu discrete, per signationē seu diuisionē animæ, sicut multitudo partium quantitatis continuæ seorsum & diuisim signatarum, per designationem animæ notantis illam & illam partem, sine diuisione actuali & reali abinuicem.

Secunda est numerare quod est actio animæ, dupliciter sumitur, pro vt idem est quod aliquam multitudinem discretā per replicationē unitatis mensurare & eius quantitatem cognoscere, & hoc modo dicitur in 10. metaphys. text. 8. quod numerus mensuretur & numeretur per vnum, secundo vt idem est, quod aliquod vnum diuidere & multiplicare quasi quod idem sit numerare, quod de vno numerum facere, Vnde Comment. in 4. physic. comment. 104. vbi philosophus vulg. quod instans multiplicetur secundum esse, dicit quod numeratio eius scilicet instans est ex hoc quod translaturum numeretur, id est, multiplicatur, ecce quod exponit numerare per multiplicare.

Ex his distinctionibus dico ad argumentū & confirmationem simul quod non est intentio philosophi & Comment. loqui de quolibet numero, nec de numero primo modo sumpto, sed secundo modo sumpto, qualis numerus est tempus, de

OCTAVI METAPHY.

quo concedimus, quod quo ad suum formale pender ab anima id est, quo ad numerare secundo modo sumpto, quia tempus non est nisi prius & posterius motus continui diuisa & numerata seu multiplicata per animam numerantem, unde Commentator in comment. 131. inquit. Tempus nihil aliud est, quam prius & posterius in motu secundo quod sunt numerata & diuisa siue discreta, & ideo indiget in hoc, quod sit actu anima, scilicet secundum quod est prius & posterius numerata. hæc Commentator.

Ex his autem patet, quod non sequitur omnem numerum habere esse per solam apprehensionem animæ, nam numerus primo modo sumptus, qui simpliciter & vere est numerus proprie dictus habet esse perfectum extra animam, eo quod aggregatur ex rebus non continuis, vt duo lapides &c. quorum quilibet est vnus, & simul sumpti remota omni operatione animæ sunt tot & tot, patet igitur quod aliquis numerus habet esse per apprehensionem animæ, vt numerus quo numeramus, de quo inquit Auic. in 3. suæ metaph. cap. 5. verum est, quod numerus expoliatus, id est, non applicatus rebus signatis, non habet esse nisi in anima, & numerus applicatus rei continuæ & maxime rei successiuæ, quale est tempus & numerus instantis, materiale enim solum est in re, formale autem quod est numeratio, est per animam, aliquis autem habet esse extra animam, quo ad materiale & formale, vt numerus rerum permanentium, non continuuarum adinuicem. Hæc de prima parte quæstionis dicta sint.

Quantum ad secundam partem, scilicet si numerus est vnus per se, an tantum per accidens, vt aceruus lapidum, inuenio duas sententias, prima est b. Tho. quam defendit cap. in 1. sent. dif. 24. q. 1. & est conclusio 5. & stat in hoc, quod numerus est vnus simpliciter & non solum secundum quid, & est vnus per se & non solum per accidens, vt aceruus lapidum, & fundamentum suum, vt patet in 3. metaphysic. in expositione text. 8. & stat in hoc, si numerus esset vnus secundum quid & per accidens, non esset genus, nec aliquis numerus esset species entis, quod est falsum, quoniam reponitur per se in predicamento, continetur enim sub quantitate discreta, quicquid autem reponitur per se in predicamento est genus, aut species, aut differentia, cõsequenter probatur, quoniam tam genus quam species dicit certam & determinatam naturam, ergo vnus per se, præterea sicut de ente per

QVAESTIO IX.

208

accidens non potest esse scientia, sic nec de vno per accidens, ergo de numero non esset scientia, nec demonstratio, nec assignabiles proprietates, & sic destrueretur Arithmetica, & aduertere quod licet Commentator teneat numerum sicut & alia composita nõ esset quid resultans ex partibus, sed esset suas partes simul iunctas, tamen non negaret quin sit vnus per se, prout ly per se opponitur per accidens, eo quod componitur ex potentia & actu, siue ex materia & forma. Quomodo autem quilibet numerus componatur ex materia & forma, declarabimus, agentes de forma numeri.

Secunda sententia est Greg. qui in 1. sent. dist. 24. q. 2. art. 2. tenet, quod nullus numerus proprie loquendo, est aliqua entitas per se vna, sed plures, ita quod sicut nulla res per se vna est populus vel exercitus, sic nulla res vna in quantum huiusmodi est numerus, & sententiam suam conatur probare dictis philosoph. & Commentator nam in 10. metaph. in tex. 4. dicit philosophus, quod numerus est pluralitas vnitatum, id est, plures vnitates, vt illa sit constructio intransitiua, & in 3. physic. tex. secundum nouam translationem dicit, quod numerus est plures vnitates, vbi Commentator dicit, quod numerus est coaceruus vnitatum, & in 10. metaphysic. comment. 27. dicit, quod numerus est multitudo composita ex vnitatibus, & in 4. physic. comment. 132. dicit, quod quia vnus est mensura omogenea numero, numerus est plures vnitates, cõstat autem quod plures vnitates, nec coaceruus vnitatum est aliquod vnus per se, ergo nec numerus.

Ab aliquibus autem sic probatur propositum, omnes vnitates componentes numerum realem, id est, applicatum rebus, vt decem canes videntur esse actus, & vnaquæque hoc aliquid, & separatim existens, sed ex 7. metaph. tex. 49. ex entibus huiusmodi in actu non sit vnus per se, ergo numerus re. canum, non est vnus per se.

Pro resolutione istorum præmitto distinctionem, quam tangit b. Tho. in 7. metaphysic. exponens tex. 60. & est talis composita quæ sunt vnus per se, sunt in triplici differentia, quædam sunt quæ fortuantur speciem ab altera parte, qua comparata alteri parti est forma eius, & hoc modo quæcunque componuntur ex materia & forma, & elementa, & elementata, & animata, sunt vnus per se, quædam sunt quæ fortuantur speciem ab ipsa compositione, vt quæ continuantur adinuicem, sicut linea tricubitalis in qua tres cubitales componuntur,

OCTAVI METAPHY.

ita quod continuantur, quædam sunt quæ fortinatur speciem non à continuatione, sed ab ordine partium, & sunt illa quorum partes sunt discontinuæ, sed tamen sunt ordinatæ, ita quod tandiu stat totum, quandiu seruatur ordo inter partes, & hoc modo exercitus, oratio, sillaba, numerus sunt vñ per se, quæcumque autem constituuntur ex multis partibus discontinuis non habentibus ordinem adinuicem, dicuntur vnum secundum quid & per accidens, vt turba inordinata, cumulus lapidum, multitudo arenæ in litore maris.

Ex hac distinctione dico, quod Greg. deceptus fuit ex hoc, quod credidit nullum compositum esse vnum per se, nisi compositum ex forma & materia, quod nos non admittimus, vt patet ex distinct. data ad dictum, ergo ex 10. metaphy. dico, quod sic debet exponi, numerus est pluralitas vnitatum, id est, pluralitas consergens ex ordinatis vnitatibus, & nego q. illa constructio sit intransitiua, ad illud de 3. physic. dico quod sic debet intelligi, numerus est plures vnitates quo ad materiam, sicut domus est multi lapides quo ad materiam, negatur autem hæc consequentia, numerus est plures vnitates materialiter, ergo est plures vnitates formaliter, immo est quid resultans ex pluribus vnitatibus ordinatis, ad dictum Côm. in 3. phy. dico, q. per aceru vnitatum, intendit vnitates ordinatas adunatas, quia vt declarauimus in li. 7. tenet Côm. q. totum nõ est aliud quã partes simul sumptæ, idẽ dico ad dictum eiusdẽ in 4. phy. ex hoc autẽ Greg. tenet Côm. compositum esse partes suas, & numerum esse vnitates, non sequitur, quod negaret numerum esse vnum per se, nam tenet compositum ex materia & forma esse vnum per se, & tamen est partes suæ secundum ipsum.

Ad rationem autem diceret b. Tho. falsum esse vnitates vt componunt numerum applicatum, puta 10. lapidum esse actu & hoc aliquid immo vt sic habent rationem partium, quandiu stant sub tali ordine, & omnes vnitates componentes comparare ad vltimam se habent vt materia ad formam, vt dicemus infra. Et si dicas, quod lapis A. est hoc aliquid, & lapis B. & c. ergo vt componunt numerum sunt hoc aliquid, negatur consequentia, nam licet in se sit hoc aliquid & perfectum in specie, tamẽ vt componit est pars & est quid imperfectum, ex consequenti vt componens nõ est hoc aliquid. Hæc de secunda parte dicta sunt.

Quantum ad tertiam partem, aduerte quod non queritur de numero transcendenti, sed tantum de numero quantitatiuo,

an sit

QVAESTIO IX.

209

an sit entitas realiter distincta à rebus numeratis, in hoc igitur inuenio duas sententias, vna est Greg. in 1. dist. 24. q. 2. arti. 2. qui tenet partẽ negatiuã, altera est b. Tho. quã prosequitur & defendit Cap. in 1. dist. 24. q. 1. in prima cõclusionẽ, & est pro parte affirm. & aduerte, q. vtrũ opinio p̄det ab vna radice, scilicet à natura vnius quod est principium numeri, nõ quia Greg. tenet vnum quod est principium numeri, nihil superaddere rei quæ est vna, nec secundum ipsum est accidens de prædicamento quantitatis, consequenter tenet, quod numerus quantitatiuus qui secundum ipsum non est aliud quã plures vnitates, vt patet supra, nihil addit, nec distinguitur à rebus numeratis, & quia b. Tho. de vno quod est principi. numeri, sentit oppositum, vt declarauimus in 4. lib. cõsequenter tenet oppositum de numero quantitatiuo, ita quod sicut vnitates quantitatiua huius lapidis est accidens, & lapis est substantia, sic binarius quantitatiuus lapidum est accidens, vt pote quantitas discreta, lapides autem sunt substantia, & aduerte quod in via b. Tho. hæc conclusio, numerus quantitatiuus addit aliquid reale super res numeratas, & distinguitur realiter ab eis, non potest alia via efficaciter probari, nisi sustinendo, quod vnum princip. numeri distinguitur realiter ab vno transcendente, & addit aliquid reale supra ens, nam bene sequitur, q. si vnitates quantitatiua quæ est cõponens numerum quantitatum, addit quid reale super substantiã rei, quæ est vna quantitatiue, etiam numerus constans ex huiusmodi vnitatibus, addit quid reale super res numeratas, & distinguitur realiter ab eis. Quod autem vnum princip. numeri distinguatur & c. determinauimus in 4. lib. in q. 7. Nec facies fundamentum in rationibus, quibus conatur Paul. Soncin. in lib. x. quæst. 11. probare dictam conclusionem: quoniam Gregor. vbi supra format eas contra se ad litteram, & soluit ex suis principis, quibus tenet non omnem quantitatem, distingui realiter à substantia.

Relinquitur ergo vt soluamus rationes Greg. quas format vbi supra, & sunt duæ.

Prima est, quæcumque sunt tot & tot, sunt seipsis, & non per aliquam entitatẽ superadditam eis in hæc tenet tot & tot. ergo nullus numerus addit entitatem rebus numeratis, consequentia nota, probatur antecedens, vnum quodque eorum, quæ sunt tot & tot, est vnum seipso, & non per entitatem sibi superadditam, vt probatum est alias, ergo vnum quodque eorum, & quod-

D



OCTAVI METAPHY.

libet aliud, puta A. & B. sunt duo seipsis, & non per entitatem superadditam, idem dico de quolibet alio numero quantitativo, ergo &c.

Confirmatur, quia si aliqua essent tot, puta duo per entitatem superadditam, accipio vnum illorum duorum & ipsam dualitatem, tunc sic illud vnum & dualitas sunt duae entitates, quaero, aut sunt duae seipsis, aut entitate superaddita. si seipsis, ergo eadem ratione prima duo & quaelibet alia duo sunt seipsis duo. si entitate superaddita, ergo similiter illa, & illud primo sumptum sunt duae entitates per aliam entitatem superadditam, & sic in infinitum.

Pro solutione huius aduerte, qd Greg. in hoc decipitur, quod credit, sicut vnum transcendens & numerus transcendens, nihil addunt reale super se vnam & res numeratas, sic nec vnum primum numeri quantitativi, nec ipse numerus, propterea ad arg. nego antecedens, ad probationem nego antecedens, quoniam vnum primum numeri, addit super substantiam rei accidens, quid autem sit illud accidens, determinauimus in 4. lib. in q. 8.

Ad confirmationem dico, quod illud vnum & dualitas sunt duae entitates seipsis, sumendo illud vnum unitate transcendenti, nam in quolibet quanto est unitas transcendens, & unitas quantitativa, & nego illam consequentiam, si seipsis, ergo eadem ratione prima duo, quoniam vnumquodq. primorum duorum est quantum, & vnum quantitativum, dualitas autem non est vna quantitativa, sed transcendenter.

Secunda est, si numerus dicit entitatem distinctam realiter a rebus numeratis, quaero autem est entitas omnino simplex & indiuisibilis, aut est composita & diuisa in partes, non primum, quia numerus non esset quantitas discreta, cum omnis quantitas sit diuisibilis, non secundum, quia vel illae partes sunt adiuticem continuae, & hoc non, quia numerus esset quantitas continua, vel sunt non continuae, & hoc non, quia vel sunt numeri vel unitates non sunt numeri, quia omnis numerus diuideretur in numeros, quod est falsum, vt patet in binario, non sunt unitates, quia de illis quaeretur, aut sunt seipsis numerus, aut per aliquod eis additum, si per additum quaerendum est, verum sit simplex vel compositum, vt prius, si seipsis, illae unitates sunt numeri, cum unitates numerales non sint res superadditae rebus numeratis, sed quaelibet talium rerum sit vna seipsa, sequitur quod numerus non dicat rem superadditam rebus numeratis.

QVAESTIO X.

210

Ad hoc dicitur qd illa entitas superaddita est composita, & diuisibilis in partes, & qd partes non sunt continuae, sed discrete, & qd sunt unitates, quoniam numerus est multitudo aggregata ex unitatibus, & quando arguitur qd vel sunt seipsis numerus, vel per aliquod additum, dico quod non sunt numerus, sed ex eis est numerus, & quod addit entitatem distinctam de genere quantitatis super res numeratas, vt diximus in lib. 4. & falsum est, rem quantam esse vnam unitate quae est in princip. numeri quantitativi per seipsam, hoc enim tantum verum est de re vna unitate transcendenti. Haec de praesenti quaestio dicta sint.

Quaestio 10. Si vltima unitas est forma numeri.

IN principi. huius q. aduerte quod in via nostra praecipui mouentes hanc q. sunt Io. Capr. in 1. dist. 2. q. 1. in 5. conclusionem, & Pau. Socr. in lib. 10. q. 9. fundant autem se super b. Tho. in 8. metaphy. vbi exponens tex. 10. inquit, est enim per se vnum numerus, in quantum vltima unitas dat numero speciem & unitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia & forma, per formam est aliquid vnum, & ab ea unitate & specie sortitur, haec ille.

In hac autem quaestio. sic procedemus. Primo ponetur distinctio de forma. Secundo duae conclusiones responsivae. Tertio soluentur quaedam argumenta, quibus videtur posse probari oppositum.

Quantum ad primum aduerte, vt notat Capr. vbi supra in probatione 5. conclusionis, quod si vt est duplex forma hominis. scilicet forma partis, & haec est anima, quae materia actuat & est forma totius, & haec est humanitas resultat ex anima & ex forma sua, sic in numero apprehendere possumus duplicem formam partis quae vera est pars numeri, & non est totus numerus, sed ab ea numerus sortitur speciem, sicut homo ab anima, & formam totius quae resultat, ex eo quod est forma partis in numero & ex illis unitatibus, ex quibus vt ex materia aggregatur numerus.

Quantum ad secundum ponuntur duae conclusiones, prima vltima unitas, non est in numero forma totius, hanc licet omnes concedant, declaro sic, forma totius in via nostra in quam nunc loquimur est tertia entitas distincta ab omnibus partibus diuisis & simul sumptis, vt diximus in li. 7. Sed vltima unitas non est distincta ab omnibus unitatibus componentibus numerum,

aliter distinguitur à seipsa, quia & ipsa componit.

Secunda conclusio, vltima vnitas est forma partis in numero. Hæc probo esse de mente philoso. & Cōmen. in 8. li. meta. in tex. 10. & arguo sic, numerus sortitur speciem ab vltima vnitate, ergo est forma numeri, nō totius, vt probatū est, ergo vnitas, cōsequētia patet, quoniam vnumquodque sortitur speciem sicut & esse à propria forma. Antecedens autem est de mente philo. & Cōmen. in eodem loco, nā secundum philosoph. per aduentum vltimæ vnitatis constituitur talis species numeri, puta ternarius, & si subtrahitur mutatur species, sicut in rebus per aduentum & subtractionem vltimæ differentię, mutatur species, vnde dicit illic Cōment. & quemadmodū quādo alicui numero additur vnum, aut ab eo diminuitur vnum, trāsfertur ad aliam naturam numeri, similiter diffinitionis compositæ ex 1. genere, & pluribus differentiis, quando ab eis diminuitur aliqua differentia, transfertur diffinitio ad diffinitionem alterius nature, & similiter cum additur eis aliqua differentia, v. g. quoniā cū dixerimus in diffinitione animalis, quod est corpus nutritibile sensibile, si diminuerimus vltimā differentiam, remanebit diffinitio vegetabilium, & si additur alia differentia, puta rationale, fiet diffinitio homine & similiter quatuor cum eis additur vnū, sicut quinq; & cum ab eis dimittitur vnum, sicut tria, hæc Cōmen. ex quibus constat, qd sicut vltima differentia dat speciem rei, & ea mutata, mutatur species, sic vltima vnitas dat speciem numero, & ea subtracta, fit alia species numeri, ex consequenti est forma partis in numero.

Sed hic remanent duo declaranda. Primum est. Si vltima vnitas non est forma totius in numero, videndum est, quæ sit forma totius. Secundū est. Cum vltima vnitas sit pars componēs numerū sicut alia, quare est magis forma numeri, quā alie.

Quantū ad primū aduerto, qd secundū Aui. in 3. lux. meta. c. 5. forma totius in numero, i. quod significatur nomine abstracto illius numeri, puta forma ternarij est ternitas, & quaternarij quaternitas, sicut in naturalibus forma lapidis lapideitas, forma hominis humanitas, & si quæras quid importat ternitas & quaternitas, dico qd non importat solum multitudinem concurrentem ex tribus vnitatibus, nec solum ordinem & differentiationem triū vnitarum. Sed multitudinem triū vnitarum discretarum & ordinararū adinuicem, vel multitudinem trium vnitarum, vt stant sub discretionē & ordine.

Quantū ad secūdū aduerto, qd vltima vnitas nō est forma numeri, vt vnitas, sed vt vlt. i. vt habet ordinē ad p̄cedentes tanquā terminus & conclusio numeri, & vt stat sub tali ordine, & sub ratione & sub ratione termini cōparatur ad alias vnitates, vt formale ad materiale. Quod. n. rē terminat & cōplet est formale in re, & ex hac declaratione videbis quā facile soluentur argumenta Petri Aureoli tenentis oppositum.

Quantum ad tertium principale, aduerte, qd vt recitat Cap. in 1. di. 24. q. 1. cōtra 5. cōclusionē. Pet. Aure. arguit 4. rationibus, qd vltima vnitas nō sit forma numeri, ex quibus Paul. Sonc. accipit ad probationē sui intenti. 4. 5. & 6. rationes quas format in li. x. q. 9. verū quia Cap. soluit eas, & Paul. cōtra solutiones nō instat, ideo sibi nihil proficiunt. Prima ratio, nulla forma entis realis quā tu ponis numerū, est incerta & voluntaria, sed dēterminata ex natura rei. Sed vltima vnitas quā tu ponis esse terminum & cōcludere numerum est incerta & voluntaria, nam quæcumque ponatur vnitas terminans, potest numerans incipere ab ea, & sic quæ erat vltima, fiet prima, ergo &c.

Ad hoc respondetur, & negatur minor, ad probationem dico qd ante opus animæ numeratis in numero applicato est aliqua vnitas vltima secundū relationem & ordinē realem ad alias vnitates, si autem numerans incipiat numerare ab vltima vnitate, non seruato reali ordine, quem habent vnitates inter se, non ideo vltima fiet prima, nec e conuerso, loquendo de numero applicato, de numero autem, quem facit anima, secus est, quia ille non est numerus de genere quantitatis, sed habet esse per apprehensionem animæ, non autem est necesse quod sic sit in re, sicut apprehendimus.

Secunda ratio. Omnis forma alicuius totius est in eo vbi est factum totum, patet enim qd vbi est homo, ibi est anima hominis, sed vltima vnitas nō est in eo, vbi est numerus, est enim numerus in omnibus vnitatibus simul sumptis. Sed vltima vnitas vt patet, non est in omnibus p̄cedētib; vnitatibus, ergo &c.

Respondetur. Maior nō est vera nisi de forma intrinseca naturali, nō autē de forma extrinseca, vnitas autē vltima est forma numeri extrinseca, nō enim est forma quia v̄re actuet p̄cedentes vnitates, sed quia habet rationem termini & conclusionis. Non autem est necesse terminum esse intrinsecum rei quam terminat, vt patet de loco & locato.

Tertia ratio, si vltima vnitas est forma numeri, vel inquan-



tum vnitas, vel ipsa distantia, siue ordo ad præcedentes vnitates fundatus in ipsa vnitate, vel vnitas cum tali distantia, non primum, quia in quantum vnitas est eque materialis, sicut & alie, non secundum, quia distantia siue ordo est relatio, numerus autem est ens absolutum, cum sit de prædicamento absoluto. Relatio autem non potest esse forma absoluti, non tertium, quia tale aggregatum cum sit ens aggregatum ex rebus diuersis prædicamentorum, esset ens per accidens, secundum metaph. quod nõ potest esse forma entis per se, numerus autem est ens per se, cum sit in prædicamento quantitatis, ergo &c.

Responderetur, negatur diuisio, nam datur quartum, scilicet vnitas, vt stat sub tali distantia vel ordine ad præcedentes, & vt sic est forma numeri, vnde si remoueretur talis ordo per aduentum alterius vnitatis, desinit esse forma. Ratio enim quod sit forma, non sumitur ab ipsa vnitate simpliciter, sed vt stat sub tali ordine, & si arguas quod id quod est forma, semper & cuiusque comparata est forma, dico quod hoc non est verum, nisi de forma intrinseca, quales sunt formæ rerum naturalium.

Quarta ratio. Inter vnitates componentes numerum non feruntur aliquis ordo, ergo vltima vnitas non est forma numeri, vt stat sub tali ordine vel distantia, consequentia nota, antecedens probatur, vnus numerus, puta quaternarius, non respicit vnitates in quibus consistit secundum prius & posterius, sed simul & sine ordine, qui enim intelligit trinitatem, non concipit vnã vnitatem præcedere aliam, sed absolute apprehendit vnitatem in tribus, ergo vltima vnitas non est forma numeri quaternarij, cum ibi nõ sit vnitas vltima, nec prima, nec aliquis ordo.

Responderetur, negatur antecedens ad probationem, nego assumptum, ad probationem dico, quod licet apprehendens ternarium, non intelligat ordinem vnitatum, puta primam, secundam, & vltimam, tamen supponit talem ordinem, siue quo non esset ternarius, sicut qui intelligit hominem, non intelligit vnionem anime & corporis, licet supponat illam, quia nisi anima vniretur corpori, non intelligeretur natura hominis. Sic in proposito. Pater igitur quod rationes Petri Aureoli non concludunt contra viam nostram, & scias me in hac determinatione, seruum fuisse doctrinam Capreoli, ne forte credas me determinasse ex propria imaginatione. Hæc de præsentia quæstio dicta sint.

Quæstio II. Si numerus quantitatiuus reperitur solum in rebus corporeis, an etiam in abstractis.

In hac quæstione inuenio duas opiniones. Prima est b. Tho. cuius mens est, quod sicut vnus, quod est principium numeri quantitatiui, non inuenitur, nisi in re quanta, quoniam tale vnus, vt declarauit in trac. de transcendentibus, vel est continuitas rei quantæ, vel est esse quantitatis cõtinuæ, quo res corporea est indiuisa in se, & diuisa ab alio, sic numerus quantitatiuus aggregatus ex vnitatibus numeralibus, non inuenitur, nisi in rebus quantis & corporeis. Et fundamentum b. Tho. est, quia philosophus in 3. phy. docuit quantitatem discretam causari ex diuisione cõtinui, vbi ergo non est ratio causatiua numeri quantitatiui, nõ est talis numerus. Constat autem quod in separatis nõ est continuitas, ergo &c. Et si quæras. Cum de separatis verificentur vnus, & termini numerales vt vna intelligentia, duar, tres, &c. qualis numerus, & quæ vnitas est in illis? Responderet b. Tho. quod est vnus transcendens & multitudo transcendens, & de hoc locuti sumus in lib. 4.

Secunda opinio est Greg. in 1. di. 24. q. 2. ar. 3. qui tenet partem affirm. Pro cuius resolutione tria agenda sunt. Primo declarabitur mens sua. Secundo soluentur rationes sue, pro quanto sunt contra b. Tho. Tertio sustinebimus fundamentum b. Tho. sumptum ex 3. phys. quod Greg. conatur destitueri.

Quantum ad primum aduerte, quod Gregor. tria intendit. Primo intendit quod numerus simpliciter verificatur solus in abstractis. Dicit autem numerum simpliciter esse vnitates simpliciter, vnitas vero simpliciter, secundum ipsum, verificatur solum de re in qua nulla est compositio, quales sunt substantiæ abstractæ secundum philosophos, & propterea negat Gregor. quodcumque totum vel compositum posse dici vnus simpliciter, sed tantum cum aliquo addito, puta quod Sortes est vnus, non absolute, sed vnus homo, & sic patet, secundum principia sua, quod cum numerus sit ipsæ vnitates, talis numerus simpliciter reperitur solum in abstractis. Hoc suum dictum, licet ipsum non concederet b. Tho. quoniam cum compositum sit trinitas entitas, potest dici vnus per se & simpliciter, vt declarauit in 7. lib. q. vlt. tamen ad propositum huius quæstionis nihil refert, secundo intendit, quod numerus secundum quid est tantus



in rebus corporeis, vocat autem numerum secundum quid vnitates secundum quid, quæ sunt vnitates compositorum, & quoniam tenet, quod omne compositum est vnum solum secundum quid, & plura simpliciter, quoniam secundum ipsum est suæ partem, ideo ex consequenti, vbi est compositio, ibi seruat numerus secundum quid. Sed nec id concederet b. Tho. sicut nec prius dictum ex eadem causa, verum pertransio, quoniam ad præsentem questionem nihil refert. Tertio intendit, quod numerus qui est species quantitatis discretæ, inuenitur in abstractis, vnde inquit, vbi supra. Ex his patet quàm irrationabiliter loquuntur, qui dicunt, quod numerus non inuenitur, nisi in rebus materialibus & corporeis, cum multo verius inueniatur in spiritualibus, vt probatū est, nec valet si dicatur, quod numerus rerū spiritualium non est species quantitatis discretæ, sed tantum numerus corporū. Ipsi vero loquuntur de numero, qui est quantitas discretæ, non valet inquit, quoniam illud dictum est tantum ad placitum, & sine ratione, & conatur probare in tantum duplici ratione, quas statim formabimus & soluemus.

Quantum ad secundum aduerte, quod ratio prima Greg. est talis, interrogant de aliqua multitudine abstractorum, quot sunt, ita bene respondetur, quod sunt 3. aut 6. sicut interrogant de lapidibus, respondetur quod sunt 3. vel 6. ergo sicut de lapidibus verificatur numerus, qui est species quantitatis discretæ, sic verificatur de abstractis.

Secunda est, æque bene passio quælibet ternarij vel senarij, aut cuiuslibet alterius numeri verificatur de talibus terminis supponentibus pro substantiis immaterialibus, sicut cum pro corporalibus, ita enim ternarius abstractorum est numerus impar vtriusque primus, & senarius est numerus perfectus, sicut lapidum & lignorum, & vniuersaliter quæcumque per se conueniunt numero, ita verificantur in abstractis, sicut in corporeis, ergo &c.

Ad primam sequendo principia b. Tho. dicitur, quod si quot & tot proprie sumantur, scilicet secundum quod sunt interrogatiua de predicamento quantitatis, negatur antecedens, quoniam talia interrogatiua non excludunt ambitum sui generis scilicet quantitatis non reperibilis in immaterialibus, cum sit dispositio materiæ, si autem sumantur generaliter, prout interrogant de quacumque multitudine, siue illa sit de genere quantitatis, siue non, conceditur antecedens, sed negatur consequentia.

Ad secundam negatur antecedens, quoniam tales passiones prout important realationem fundatam in quantitate, non verificantur de abstractis, vel si verificantur de eis, non conueniunt ternario & senario, vt sunt species numeri quantitatiui, sed vt sunt species multitudinis transcendentis, sicut passiones istæ, imparitas primitas &c. & tunc negatur consequentia.

Quantum ad tertium aduerte, quod Greg. vbi supra conatur destruere fundamentum b. Tho. sumptum ex 3. phy. in text. 68. scilicet quod numerus quantitatiuus causatur ex diuisione continui, ergo reperitur solum in his, in quibus est continuus, hæc autem sunt sola corporea, quare &c. ad hoc dicit Greg. quod non fuit intentio philosophi, dicere omnem numerum quantitatiuum causari ex diuisione continui, sed aliquem. puta, dum diuiditur lignum fit numerus partium ligni, & corroborat, quia certum est corpora celestia esse in aliquo numero quantitatiuo, & tamen non constituitur ex diuisione continui, cum nulla diuisio possit fieri in celo propter incorruptibilitatem suam.

Sed contra Greg. sic arguitur. Cum philosophus in 3. phys. querat de infinito, vt attribuit magnitudini & numero, quod quidem infinitum secundum philosophum in 1. phys. text. 15. clarum est esse proprium quantitatis, ea ratione qua querit de magnitudine quantum ad infinitatem, inuestigat etiam de numero. Constat autem quod ibi disputat de magnitudine absolute & vniuersaliter, quomodo procedit in infinitum secundum diuisionem, & non solum de hac vel illa magnitudine, vnde & ait in text. 69. In magnitudinibus autem contrarium est &c. ergo & de numero absolute considerat, quomodo secundum additionem tendit in infinitum. Additionem autem dicit fieri in numero, ex diuisione continui, vnde & Comment. inquit super eundem text. Dispositio in additione numerorum est, sicut dispositio in diminutione mensuræ, ergo & à diuisione magnitudinis numerus quantitatiuus vniuersaliter causatur, ab eodem enim est esse rei & sua proprietates, si ergo à magnitudine causatur finitas & infinitas in numero quantitatiuo, absolute ab eadem causatur esse eiusdem numeri, falsum est ergo dicere, quod philosophus in 3. phy. non intendit omnem numerum quantitatiuum causari ex diuisione continui.

Quando autem dat instantiam de numero corporum celestium, dico quod & ille numerus causatur ex diuisione conti-

nui, non quidem de nouo facta nec factibili, sed ex diuisione materię, vt stat sub hac quantitate continua, nam quia forma lunę stat sub hac materia quanta, & forma solis sub illa materia quanta, ideo constituitur binarius de genere quantitatũ, decipitur autem Grego. quia credit b. Tho. tenere numerum quantitatum causari solum ex diuisione facta de nouo in aliquo continuo, quasi si non diuidatur actu, & de nouo, quod nõ fiat numerus, id nõ somniatur b. Tho. nec veri Thomistę. Hęc de præfenti quæsto dicta sūt.

De materia cœli.

In naturalibus quidem & sempiternis, alia ratio forsan est quædam non habent materiam, aut non talem &c. text. 12. philosophus hic declarat quomodo materia est in cœlo, & dicit, quod forsan cœlum non habet materiam, vel si habet, non talē qualem habent hęc inferiora, vide tu expositionem Comment. & aduerte quod b. Tho. exponens, videtur in hoc loco concordare cum Comment. vtiur enim termino Comment. scilicet quod materia cœli dignius est nominari subiectum quã materia, & si non sumatur pro subiecto, quod est corpus cœli actu, prout est subiectum motus, non est in cœlo materia.

Circa igitur hunc text. quatuor inuestiganda sunt, primo si materia quę est pars compositi est in cœlo, secundo supposito quod sic, si materia cœli & horum inferiorum sunt eiusdem rationis, tertio si forma cœli vniuerũ materię inferiori, vtrum possimus sustinere ipsum esse incorruptibile, quarto vtrum materia vnius cœli sit eiusdem rationis cum materia alterius cœli.

Quæstio 12. si materia quę est pars compositi est in cœlo.

In hac quæstione inuenio differentiam inter b. Thom. & alios expositores Aristot. nam b. Tho. attribuit Comment. quod negauerit materiam in cœlo, vt est pars compositi, & quod secundum ipsum, materia cœli est corpus cœli actu, vt est subiectum motus, & vt potentia ad diuersa vbi, id autem sibi attribuit in 1. cœli, lectio. 6. & in 8. physic. lect. 2. & in prima parte. quæst. 66. artic. 2. & dato quod b. Thom. id non diceret, pareret hanc fuisse mentem Comment. in 8. lib. metaphysic. in comment. 12. vbi inquit. Materia enim in rei veritate cuius esse est in potentia, nõ inuenitur nisi in substantiis generabilibus

& corruptibilibus, substantiæ vero æternæ quia in eis non est potentia ad corruptionem, non est in eis materia, sed materia eorum est aliquid existens actu, scilicet corpus, ideo dignius habent hoc nomen subiectum, quã hoc nomen materia. Et infra, & cum narrat quod istę substantiæ cœlestes non habent materiam, scilicet quia non sunt compositę ex materia & forma, sed ex corpore & forma animata intelligibili (& infra) & ideo dixit Themistius, quod sol, & luna, & stella aut sunt formę sine materiis, aut habent materias per æquiuocationem, sicut est dispositio in materia intellectus, hęc Comment. licet autem b. Tho. id attribuat Comment. non tamen Aristoteles vnde tenet Comment. in hoc deuiare à via Aristot. & nos idem sustinebimus.

Alij vero expositores credentes mentem Cõment. esse mentem Arist. debent, quod secundũ philosophũ & Cõment. non est materia in cœlo, vt est pars compositi, quoniam credunt hoc esse vt verissimum principium apud Arist. & Cõment. omnis materia quę est pars compositi, est principium corruptionis, in cœlo autem non est corruptio, ergo &c. Inter expositores qui hanc viam sequuntur, inuenio Ant. Aud. in 8. lib. metaph. q. 4. qui id simpliciter attribuit philosopho, cuius rationes soluam infra, inuenio & Iandunum in 8. metaph. q. 7. qui nullam rationem adducit, nisi eam quę cõmuniter solet fieri, scilicet quia cœli esset corruptibile. Sed & hanc soluam infra. Vt igitur resoluatür propositum relinquendo prolixitates, sic procedemus. Primum probatur quod secundum philosophum & veritatem, materia quę est pars compositi est vere in cœlo. Secundo soluentur rationes tenentium oppositum. Tertio declarabuntur quedam dicta philosophi, quę videntur fauere tenentibus oppositum. De Cõment. autẽ vt sis verus Thomista, teneas pro certo, quod negant materiã partem compositi esse in cœlo, & noli imitari in hoc Paulum Sonc. qui in libro 12. q. 7. tenet propter quedam dicta Cõment. cõment. concessisse vere materiam in cœlo, & sic facit b. Tho. ignorasse sensum Cõment. quod Thomista, vt blasphemiam, deuitant, verum tamen infra declarabimus, quem sensum habuerint Comment. in dictis illis.

Quantum ad primum, probo propositum duplici ratione, & primo sic arguo, vt arguit b. Tho. in 8. physic. lect. 21. contra Cõment. Corpus cœleste est aliquid actu, alioquin non moueretur, subiectum enim motus non est ens tantum in potentia.

OCTAVI METAPHY.

vt declaratum est in 5. & 6. libro physic. Sed omne quod est actus vel est forma subsistens vt substantiæ separatae, vel habet formam in alio, quod se habet ad formam sicut materia. & sicut potentia ad actum, non potest dici quod corpus cæli sit forma subsistens, quoniam esset intellectuale, & intellectum in actu, non cadens sub sensu, nec sub quantitate, sicut & substantia separata, ergo est habens formam in materia.

Huic rationi respondet Iandun. in lib. 8. metaph. q. 7. & dicit quod cæli est actus, & tamen non sequitur quod sit intelligens & intellectum actu, & non cadens sub sensu, quia hoc non est verum, nisi de actu separato à magnitudine & incorporeo. Sed cælum est actus corporeus, quia extenditur & sentitur propter accidentia sensibilia, quæ habet, & non est intelligens.

Sed contra, si cælum non esset compositum ex materia & forma, non posset esse extensum nec dimensionatum, quod est falsum, vt patet ad sensum, cõsequencia autẽ probatur, quoniam per Cõment. in 1. cap. de substantia orbis, si forma præcederet dimensionem in materia, tunc non esset extensa omnino, sed indiuisibilis, quia forma non extenditur nisi extensione materiæ, ergo si cælum esset sine omni materia corporali, esset inextensum, nec haberet partem extra partem.

Huic instantiæ respondet Iandunus vbi supra dicit, quod Cõment. in illo loco intendit de forma generabili & materiali, quæ non est nata extendi, nisi per materiam subiectam quantitati. forma autem ingenerabilis quale est ipsum cælum, non est nata extendi per materiam corpoream, sed per quantitatem, quæ inest sibi, vt subiecto simplici.

Sed contra Cõment. in eodem 1. cap. de substantia orbis sic dicit. Inuenit scilicet Aristote. quod substantia omnium accidentium sunt indiuidua substantiæ, quæ sunt actu, de quibus declaratum fuit ab eo esse composita ex formis, & subiecto quod est in potentia, & accipit signum ex hoc, quod hoc subiectum recipit accidentia contingentia, in eo quod non est simplex, quoniam si esset simplex actu, non posset recipere accidentia, pati enim contrarium est actui, hec ille. in his dictis patet, quod loquitur de subiecto accidentium sensibiliu absolure, & nõ solum in natura rerum corruptibilium. Tunc ex vltimis verbis suis sic arguo, nullum simplex quod est actus, recipit accidentia sensibilia, quia recipere est pati, pati autem vt dicit Cõment. est contrarium actui. Cum ergo videamus accidens quod est quan-

QVAESTIO XII.

215

titas recipi in cælo, cælum non est simplex actus, sed compositum ex actu & materia, qua mediante recipit quantitatem, & sic patet, quod ex dictis Cõment. concludimus contra Cõmentar. & commentistas.

Secundo sic arguo. Qualitates sensibiles, vt patet, sunt in cælo, ergo materia quæ est pars compositi, patet consequentia, quia qualitates sensibiles in sua distinctione cõcernunt materiam sensibilem, sicut simitas, & in hoc distinguuntur à quantitativis, ex modo diffiniendi, vt patet in 6. metaphysica, text. secundo.

Sed aduerte, quod Iandunus vbi supra, respondens secundæ rationi Egidij dicit, quod accidentia sensibilia in cælo, vt raritas & densitas, non cõsequuntur materiam, sicut in inferioribus, & dicit quod rarum & densum est quasi æquiuocum in superioribus & inferioribus. Tota ergo vis est, vt sustineas primam rationem, scilicet quod quantitas absolute consequitur materiam, quoniam si id non sustinueris, nihil concludes contra cõmentistas, in defensionibus & rationibus Pauli Soncinatis in lib. 12. q. 7. præcipue in ratione sumpta ex diffinitione rari & densi non confidas. Dicit enim Iandunus vbi supra, quod raritas & densitas licet in inferioribus accipiantur penes plus & minus habere de materia, non tamẽ in superioribus, quoniam illic sumuntur penes terminare & nõ terminare visum, quia illa pars cæli est densa, quæ si interponatur inter visum nostrum & partem superiorem prohibet partem superiorem videri, vt quædo luna interponitur inter visum nostrum & solem, prohibet solem videri. Illa autem est rara, quæ non impedit videri partem superiorem. Vnde raritas secundum ipsum est diaphaneitas, qua potest recipi species in profundo, non impediens videre partem vltiorem. Densitas autem est spissitudo, qua prohibetur species recipi in profundo, & visio partis vltioris. Cum igitur neget diffinitionem rari & densi, datam per plus & minus habere de materia, verificari in superioribus, patet quod eneruat rationem Pauli, quæ etiam fuit Egidij, & miror quod Iandunum non viderit, vt se defenserat.

Quantum ad secundam, aduerte, quod Cap. in 2. di. 12. q. 1. contra primam conclusionem adducit multa argumenta tenentia oppositum, in quibus continetur argumenta Ant. And. & Iand. & quedam fundantur super dicta Cõment. Quedam super dicta philosophi. Quedam inueniuntur propriè imaginari. Quedam fundantur super dicta Cõment. nolo adducere, nec soluere, quo-

OCTAVI METAPHY.

niam secundū mentem b. Tho. quam debemus sustinere, declinat in Comment. in hoc à via Arist. Quæ autē fundantur in dictis philo. apparebunt soluta infra, quando exponam talia dicta. Nunc igitur adducam argumenta, quæ inniuntur proprie imaginationi, & reducuntur ad duo principaliter.

Primo supponitur secundū doctrinā philosophi, quod materia proprie dicta quæ est pars cōpositi, sit ens in pura potentia ad esse simpliciter, nisi ex sui natura actualitatis includens. Tunc arguitur sic, si in cœlo est materia pars cōpositi, ergo cœlum est generabile & corruptibile secundum naturā, quod est falsum, ut conceditur ab omni peripatetico. Consequentia sic deducitur. Quod includit ens in pura potentia ad esse simpliciter, nisi ex sui natura actualitatis includens, est in potentia ad esse, & ad non esse, quoniam illud ens in pura potentia ad esse simpliciter, est indifferens quantum sit ex se, ad esse & ad non esse. Sed secundum te, cœlum includit ens in pura potentia ad esse simpliciter: cum includat materiā partem cōpositi, ergo potest esse & non esse, & sic est generabile & corruptibile.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem, dico ad maiorem, quod ens in pura potentia ad esse simpliciter potest esse se duobus modis. Primo quod sit in potentia, coniuncta tamen formam comparatur ad eam, ut potentia ad actum, quem iam habet, secundo quod sit in potentia ad esse simpliciter, quod est esse substantiale nondum habitum, sicut materia existens sub forma aquæ, est in potentia ad formam ignis, vel ut dicunt aliqui, potentia ad esse est duplex, quedam ad esse cōiunctum, quedam ad esse remotum, ex hac distinctione dico, quod maior non est vera, nisi de ente in potentia secundo modo. Tale autem ens in potentia non ponimus in cœlo, sed ens in potentia primo modo, & ideo non sequitur, quod cœlum possit esse, & non esse substantialiter.

Sed contra, si tua distinctio valet, hoc ideo est, quia materia cœli licet sit ens in pura potentia, tamē determinat sibi talem formam, per quam semper est coniuncta ipsi esse, sed hoc est falsum, quia quod est in pura potentia, impossibile est quod includat habitudinem ad determinatam formam, immo est indifferens ad omnem formā, sed materia cœli si est pars cōpositi, est ens in pura potentia, quia hæc est definitio materiæ

QVAESTIO XII.

Primè vniuersaliter sumptæ, ergo non potest determinare sibi talem formam, &c.

Ad hoc dicitur quod aliud est sumere materiā simpliciter, & aliud materiā cœli, quia si dico materiā simpliciter, id est in generatione, dico potentiā puram absolute, sicut cum dico animal, dico habens animam sensitiuā absolute, si autem dico materiā cœli, dico potentiā puram, non ad omne formam, sed ad formam cœli, sicut cum dico animal, quod est homo, dico habens animam sensitiuā, quæ est etiam rationalis. Tunc dico ad argumentū, quod maior non est vera, nisi de ente quod est pura potentiā absolute, quæ ens est materia prima sumpta simpliciter. Applicando autem ad minorem, nego quod materia cœli sit pura potentia absolute, quoniam est pura potentia ad formam cœli, & non aliter, & ideo potest includere habitudinem ad determinatam formam.

Et si quæras, Quid appropriat materiā hanc huic formæ, ita quod non includit habitudinem ad aliam. Dico quod hoc est exigentia formæ, quæ requirit materiā talis naturæ, eam materia sit propter talem formam.

Secundo si materia proprie dicta est in cœlo, vel est propter corporeitatem cœli, vel propter quantitatem, vel propter qualitates sensibiles, vel quia formas absolutas à materia necesse est esse intellectuales, vel quia cœlum esset nobilior anima, quæ materiæ vnitur, vel propter motum localem, aut propter alterationem, siue varietatem lucis, prout videmus lunam modo lucidam, modo obscuram. Sed nullum horum cogit, ergo vanum est ponere materiā proprie dictam in cœlo.

Primo corporeitas non cogit, quoniam forma dat esse corporeum, & non materia.

Ad hoc dicitur, quod licet materia non det esse corporeum, tamen nulla forma dat esse corporeum, nisi cōpositio, & ratio dandi huiusmodi esse cōpositio est materia, quod ideo vbi non est materia, non seruatur ratio dandi esse corporeum à forma, nisi dicatur quod forma dat sibi ipsi esse corporeum, quod est vanum dicere.

Secundo quantitas non cogit, quoniam licet quantitas interminata insit ratione materiæ, non tamen quantitas terminata, hæc enim inest ratione formæ, in cœlo autem est tantum quantitas terminata.

Ad hoc dicitur, q̄ immo quantitas siue terminata siue inter-

minata necessario requirit materiam, vt patet in 7. metaph. text. 8. vbi & Comment. ipsa veritate coactus, tenet quod materia non auferatur per ablationem trium dimensionum. Sed bene auferuntur illæ per ablationem materiæ, & loquitur de dimensionibus absolute, ergo necessario requirunt materiam vt subiectum, vel vt rationem recipiendi eas.

Tertio, qualitas sensibilis non cogit, quoniam sola qualitas secundum quam immutatur substantia rei, quæ dicitur qualitas alteratiua, vt caliditas, frig. humid. &c. requirit materiam. Talis autem qualitas non est in cælo, cum cælum sit inalterabile, motus autem localis diaphaneitas, raritas, densitas, & lux, non sunt alteratiuæ, ideo possunt esse in cælo ratione formæ, & non ratione materiæ.

Ad hoc dicitur, quod immo qualitas omnis sensibilis, siue alteratiua siue nõ, requirit materiam, quoniam vt dictum est, mens philosophi fuit in 7. metaph. text. 8. & Cõment. illic, quod materia sit subiectum x. prædicamentorum, & quod esse suum est aliud ab esse cuiuslibet istorum, prædicamenta enim accidenti dicuntur de prædicamento substantiæ, & prædicamentum substantiæ dicitur de hoc quod est materia.

Quarto, non cogit formam absolutam à materia esse intellectualem, quia habitus intellectus sunt absoluti à materia, & tamen nõ sunt intellectuales, id est, potentes intelligere. Præterea ad hoc quod forma absolute à materia sit intellectualis, necesse est vt sit remota à quantitate, ex consequenti sit incorporea, operatio enim intellectualis nobilior est actione substantiæ corporeæ, licet autem forma cæli sit absoluta à materia, nõ tamen à quantitate, ideo nõ sequitur cælum esse intellectualem.

Ad hoc dicitur, quod ad hoc quod forma absoluta à materia sit intellectualis vel intellectiua, oportet vt sit substantia, ideo instantia de habitibus intellectus non valet, cum sit qualitates, nec valet secunda instantia de quantitate, quoniam iam dictum est etiam per Commentat. in 7. metaph. com. 8. quod si auferatur materia, auferuntur dimensiones, vnde bene sequitur, quod si forma cæli est absoluta à materia, est absoluta & à quantitate, ex consequenti remanet incorporea & intellectualis.

Quinto, non cogit, quod cælum esset nobilior anima, quia vnitur materiæ: non enim inconuenit, id quod est simpliciter nobilior, altero esse ignobilior, secundum aliquam conditionem

uem. Sic enim cælum est nobilior verme propter sui incorruptibilitatem, & tamen ignobilior eo, prout vermis est animatus, sic cælum est nobilior anima, quia est absolutum à materia, & quia est perfectum in specie. Animæ autem præcipue intellectiua est nobilior cælo, propter operationem intellectualem.

Ad hoc dicitur, quod immo cælum est nobilior simpliciter & secundum omnem conditionem, quàm anima, si cælum est absolutum à materia. Quia si in cælo nõ est materia, non pender à materia ex qua, nec in qua, nec per informationem, & habet operationes penitus abstractas à materia, & non comunicabiles materiæ. Cuius oppositum est anima, quæ nec integram speciem habet, quæ concernit materiam in qua, per informationem, cuius operationes exercentur per organum, præter intelligere, quare &c.

Sexto non cogit motus ad vbi, quia talis motus non inest ratione materiæ absolute, sed ratione corporeitatis. Natura igitur corporea absque hoc quod habeat materiam, potest esse in loco, ergo moueri ad locum, & talis natura, quæ est corporeitas, habebit potentiam ad vbi, sed nullo modo ad formam substantialem.

Ad hoc dicitur, admissio quod talis motus inest ratione corporeitatis, negatur posse dari corporeitatem naturalem, qualis est corporeitas cæli siue materia, quoniam remota materia remouentur tres dimensiones, vt dictum est supra ex 7. metaph. Præterea motus cæli localis est motus naturalis, cuius principium est natura, natura autem ex 2. phys. aut est materia aut forma in materia, ergo cælum vt moueatur naturaliter ad locum requirit materiam.

Septimo nõ cogit variatio secundum illuminositatem, vt videmus in luna. Hæc enim variatio non transmutat intrinsece substantiam lunæ, nec abiicit ab ea aliquid posituum, sed tantum priuationem lucis, ergo nõ est necesse propter huiusmodi variationem, ponere materiam in cælo.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam non solum qualitates secundum quas fit alteratio abiiciens à substantia rei requirunt materiam, sed etiam omnis qualitas sensibilis vt dictum est supra. Patet igitur quod propter omnes causas allegatas in argumento, necesse est ponere materiam proprie dictam in cælo.

Quantum ad dicta philosopho. quibus videtur posse concludi, nõ

OCTAVI METAPHY.

esse materiam proprie dictam in celo. aduerte quod sunt tria primum est in 1. lib. de celo tex. 20. ubi probans celum non esse corruptibile, probat ex hoc qd non habet contrarium. ergo non habet materiam, quonia ex 1. phy. tex. 69. materia est subiectum contrariorum, secundum est in 1. phy. tex. & in 7. metaph. tex. Dico autem materiam per qua res potest esse & non esse. Sed celum cum sit aeternum non potest esse & non esse, ergo &c. Tertium est in 9. meta. text. 17. Omnis potentia passiva est potentia contra adictionis, sed in celo cum sit sempiternum non est potentia passiva, ergo nec materia, quoniam materia dicit potentiam passivam.

Ad primam dico quod licet philo. probet celum non habere contrarium, ex eo qd motus circularis non habet motum contrarium, tamen non negat quin habeat materiam, & cu arguitur, quoniam materia est subiectum contrariorum, dico qd non verificatur substantialiter, nisi de materia inferioru, quae est annexa privationi. Absolute autem sumendo materia, sufficit qd verificetur haec distinctiva. Materia est subiectum contrariorum substantialiter, vel saltem accidentaliter. & secunda pars verificatur de materia caeli, quae est in potentia ad contraria ubi.

Ad secundam dico, qd per materiam res potest esse & non esse simpliciter vel secundum quid, ideo conceditur qd caeli pro quanto habet materiam est in potentia ad aliquod esse accidentale, & ad aliquod non esse accidentale, secundum qd acquiritur ubi, & perdit aliud, non autem oportet omne habere materiam esse in potentia ad non esse simpliciter.

Ad tertium respondebitur in lib. 2. quando quaerimus, si omne habens potentiam passivam est corruptibile. Pater igitur quod nec ratione nec ex dictis philosophorum, debemus negare materiam, quae est pars compositi, esse in celo.

Ultimo aduerte qd quoniam Paul. Sone. adducit in lib. 12. metaph. q. 7. multa dicta Commē. quibus tenet Cōmē. sensibile materiam esse in celo, & in hoc contradicit b. Tho. ideo volo declarare, quem sensum habuerit, quandoq. dicit materia esse in celo, ne videatur b. Tho. falso imputasse Cōmē. qd negaverit materiam proprie dictam esse in celo.

Aduerte igitur qd materia in doctrina Commen. tripliciter solet accipi. primo pro yle, siue pro materia quae est potentia contra lictionis, & quae proprie est subiectum formae substantialis, de qua locutus est philosophus in 1. phy. ponens eam vni

QVAESTIO XIII.

218

ex principiis naturalibus, secundo accipitur pro natura illa, qua aliquid constituitur in esse mobili, & haec est natura corporea, quonia ex 6. phy. omne mobile est corpus, 3. accipitur pro eo qd habet quodammodo proprietatem materiae, quae est esse subiectum receptivum formae. Ex hac distinctione dico, qd nullum dictum Commen. potest intelligi in 1. sensu, quoniam apud ipsum fuit ut princ. materiam in 1. sensu in quocunq. inveniatur esse causam essendi & non essendi substantialiter, unde in 1. caeli cōm. s. dixit, qd si corpus caeleste sit compositum ex materia & forma, contingit ut sit generabile & corruptibile, & dicit infra in eodem cōmē. qd iste locus est fortior omnium locorum facientium errare, qd corpus caeli sit compositum extra materia & forma. In 2. autem sensu & 3. debent intelligi, sicut illud 12. meta. cōmē. 10. omnia quae transmutantur habent materiam, id est sunt naturae corporeae, propter quam sunt in potentia ad oppositos terminos, & illud in 9. metaph. cōmē. 17. celum semper habere potentiam in ubi, non prohibet ut sit materia, sed bene prohibet ipsum esse formam, sic debet intelligi apud Cōmē. quod caeli est materia localis, & subiectum simplex & non est forma generabilis & corruptibilis, est tamen forma inquantum est per se existens &c. Et illud in 1. caeli. cōmē. celum est sensibile, impossibile est autē aliquid esse sensibile per formam, per formam enim aliquid est intelligibile, igitur sensibile per materia. Hoc inquam sic habet intelligi secundum Commen. omne sensibile est sensibile per materiam, accipiendo materiam in 3. sensu, id est naturam subiectam quantitati, & per quantitati, & per quantitatem qualitati sensibili, & quonia forma quae est ipsum celum est subiectum quantitatibus & raritatis, & densitatis, & lucis ideo dicitur sensibile per materiam secundum quod imaginatur Commen. licet imaginatio sua sit falsa (ut diximus supra.) Haec de praesenti quaesito dicta sint.

Quaestio 13. Si materia caeli & horum inferiorum sunt eiusdem rationis.

In hac quaestione stat discordia inter b. Thom. & Egidium quem sequuntur Duran. & Pet. Aure. Nam b. Thomas, ut patet in 1. parte. q. 66. ar. 2. tenet, quod sunt diversarum rationum, Egid. autem, licet concordet cum b. Tho. quod materia proprie dicta, quae est pars compositi sit in celo, tamen tenet quod illa

OCTAVI METAPHY.

& ista sunt eiusdem rationis, & tamen cum hoc tenet cœlum esse incorruptibile. Vt igitur solvamus propositum, sic procedemus. Primo declarabitur quid importat materiam cœli & horum inferiorum esse eiusdem vel diversarum rationum. Secundo ponemus mentem b. Tho. cum fundamentis, suis ubi manifestabimus quomodo istæ materiæ distinguuntur intrinsece & non solum extrinsece, id est per habitudinem ad formas. Tertio ponemus mentem Egidij cum declaratione sua. Quarto ponentur rationes Egidij, & durandi, & Aurpeli, & solgentur.

Quantum ad primum adverte quod materiam cœli & inferiorum esse eiusdem rationis apud metaph. est esse eiusdem speciei, & distingui tantum numero non ex se, sed ex quantitatibus & formis sub quibus sunt prout diversæ formæ diversarum materiæ partes informant, esse diversarum rationum est esse diversarum specierum ab intrinseco, & secundum essentiam, ita quod alia natura formaliter est materia cœli, & alia inferiorum, & cum materia prima absolute sit ens, quod est pura potentia, in genere substantiæ sunt duæ primæ potentiæ distinctæ realiter & formaliter, utrum autem distinguatur seipsis, vel per aliud, dicemus infra. Egid. ut patet infra, tenet quod sunt eiusdem rationis, iuxta declarationem factam, ita quod si abstractus quantitas ac forma cœli à materia cœli erit una materia numero, & penitus indistincta. Sed b. Tho. tenet secundum declarationem factam, quod sunt diversarum rationis, ita quod expoliat per impossibile omni quantitate & propriis formis, adhuc distinguuntur realiter & formaliter, quæ distinctio non esset quantitativa, sed essentialis, ita quod essent plures pluralitate transcendenti.

Quantum ad secundum adverte, quod mens b. Tho. stat in duobus, primo quod cœlum est alia natura à natura 4. elementorum, quod declarat philosophus in 1. cœli ex motu proprio cœli, qui non est naturalis alicui elemento, ex quo sequitur, cœlum esse incorruptibile, ut pote carens contrario, & formam cœli esse alterius naturæ quam forma elementaris, & materiam cœli distingui à materia inferiorum, & quidem quod cœlum sit alia natura ab elementis, & quod sit incorruptibile, & formam cœli non esse de natura formæ elementaris, Egid. & sequentes eum concedunt, negant autem de materia, & ideo in via b. Thomæ sic arguitur, si materia cœli, & materia lapidis sunt

QVAESTIO XIII.

219

eiusdem rationis, & distinctæ solum numero cum materia, ut materia sit ens in pura potentia ad formam, sequitur quod ad quamcunque formam est in potentia materia lapidis, ad eandem sit in potentia materia cœli. Sed materia lapidis est in potentia ad formas inferiores, quas non habet, & ideo est subiecta privationi, & lapis est ex natura sua corruptibilis, ergo materia cœli est in potentia ad formas inferiores quas non habet, & sic est subiecta privationi, & cœlum non est ex natura sua incorruptibile, quod est contra philosophum.

Nec valet si dicatur, quod licet materia cœli secundum se considerata sit in potentia ad formas quas non habet, tamen in quantum est sub forma cœli, tota eius potentia est terminata, ita quod ut sic non remanet in ea potentia ad aliam formam, eo quod forma cœli ex sua perfectione complet totam potentialitatem materiæ.

Hoc inquam non valet, quoniam potentia passiva non terminatur nisi per ademptionem formæ quæ non habet, quantumcunque sit sub forma perfecta, aliter illa potentia ad formam, quam non habet, esset frustra, ergo cum materia cœli sit eiusdem rationis cum materia inferiorum, sit in potentia ad formas inferiores, sequitur quod non terminatur eius potentia, nisi per ademptionem formarum quas non habet, quantumcunque sit sub perfecta forma, quæ est forma cœli.

Præterea tu non potes subterfugere, quin materia lapidis si est eiusdem rationis cum materia cœli, sit in potentia passiva naturali ad formam cœli, & cum omni potentiæ passivæ naturali correspondeat potentia activa naturalis, sequitur quod aliquid agens naturale, posset introducere formam cœli in materia lapidis, & sic cœlum esset generabile, quod reprobatur in 1. cœli. Et propterea tenendum est, quod materia cœli est alterius rationis, & quod non est in potentia, nisi ad formam, quam habet, & dicitur esse in potentia coniuncta actui.

Secundo adverte, quod istæ duæ materiæ apud b. Tho. non distinguuntur præcise per habitudinem ad formam, puta, quia materia cœli perficitur per formam non habentem contrarium, & sine dispositionibus contrariis, materia autem inferiorum opposito modo. Hæc enim fuit oppositio Egidij. Sed distinguuntur essentialiter, & per principium intrinsecum distinctivum, ita quod materia cœli habet propriam differentiam

OCTAVI METAPHY.

intrinsicam essentialem, similiter materia inferiorum, quæ quidem principia intrinseca sumuntur ab extrinseco, eo quod materia ut est potentia, est ens respectivum. Potentia enim ut potentia dicitur ad actum. In hoc autem distinguuntur absolute à respectivis, quoniam in absolutis sumitur distinctio per principium intrinsecum sumptum ab intrinseco, ut homo distinguitur à bruto per rationale, quod sumitur ab anima hominum intrinseca, in respectivis autem sumitur distinctio per principium intrinsecum, id est, per differentiam propriam, quæ tamen sumitur ab extrinseco, ut potentia sensitivæ sumunt differentias essentielles ab objectis. Sic in proposito dico, quod materia cæli & inferiorum distinguuntur essentialiter per differentias sibi intrinsecas, quæ sunt duæ primæ potentie passivæ, nihil ex se actualitatis habentes, quæ tamē sumuntur ab extrinseco, id est, ex habitu ad formas. Et hæc est determinatio b. Tho. in 1. cæli lect. 6. ut videre poteris.

Quantum ad tertium adverte, quod mens Egidij, ut patet in tracta. quem edidit de materia cæli, & in 2. sent. dist. 12. stat in tribus, primo tenet, quod cælum etiã seclusa intelligentia est vere compositum ex materia prima & forma perficiente materiam secundum esse. Quod quidem probat rationibus confirmibus viæ nostræ, quas posuimus in q. præcedenti contra Commen. & sequaces suos, & in hoc concordat cum b. Tho. secundo tenet, quod materia cæli est eiusdem rationis cum materia inferiorum quantum sit ex se & intrinsece, quod conatur probare multipliciter, ut patebit infra. 3. tenet, quod licet materia cæli quantum sit ex se & intrinsece, sit eiusdem rationis & naturæ cum materia inferiorum, tamen differt quo ad formam, siue per principium extrinsecum, quod quidem sic manifestat, forma cæli non habet contrarium, ideo non relinquit in materia potentiam & appetitum ad aliam formam. Materia enim stans sub vna forma, non habet appetitum ad aliam, nisi illa forma habeat contrarium, & alia possit sibi succedere & quidem quod forma cæli non habeat contrarium patet, ex eo quod motus eius circularis non habet contrarium ex 1. cæli, ex quo sequuntur duo corollaria secundum Egid. primo quod cælum est ingenerabile & incorruptibile, quia generatio & corruptio est de contrario in contrarium, sed forma cæli non habet formam contrariam, ergo &c. secundo materia cæli non est sub privatione, quia non est subiecta formæ habenti con-

QVAESTIO XIII.

110

trarium, ergo &c. vnde Egid. in quolib. q. 12. inquit, non est cælum incorruptibile per aliquod principium passivum præservans ipsum à corruptione, sed per remotionem principij corruptivi, ut quia ibi non est privatio respectu formæ, & quia ibi non est contrarietas, quæ est causa corruptionis. Ex quibus omnibus patet, quod Egid. tenet, cælum esse incorruptibile, non ex principio passivo intrinseco, sed defectu agentis contrarij potentis ipsum corrumpere, & adverte quod ad hanc viam videtur declinare Sco. in 2. di. 14. q. 1. ubi inquit, secundum theologos ponetur materia secundum se, & quantum est ex se eiusdem rationis in quocunq; & ita habetur ipsi discordare à philosopho in hac propositione, cælum est necessarium & incorruptibile, in hac propositione, cælum est necessarium & incorruptibile, quantum enim est ex natura sua, esset simpliciter corruptibile, quia sibi esset illa potentia ad contrarium, quia tamen forma cæli non habet contrarium potens vincere istam formam, ideo non potest corrumpi ab agente naturali, hæc ille.

Quantum ad quartum adverte, quod rationes Egidij principales sunt tres, in quibus virtualiter includuntur rationes Duran. & Pet. Aur.

Prima est, in pura potentia nulla potest esse distinctio. Sed materia cæli & materia inferiorum sunt in pura potentia, ergo in eis non potest esse aliqua distinctio, ergo quantum sit ex se, sunt eiusdem rationis. Minor nota est ex definitione materiam primæ. Maior probatur, quoniam 7. meta. actus est qui distinguit, sed pura potentia nullum dicit actum, ergo in pura potentia quantum sit ex se & intrinsece, nulla potest esse distinctio. Si igitur datur aliqua distinctio inter eas, erit per extrinsecum, id est, per formas, prout materia cæli est sub forma non habente contrarium, materia autem inferiorum opposito modo.

Ad hoc dicitur quod maior potest habere duplicem sensum primus est in pura potentia nulla potest esse distinctio, ita quod distinctivum sit intrinsecum, & sumptum ab intrinseco, & sic concedimus eam, nec dicimus oppositum, secundus est in pura potentia, nulla potest esse distinctio, ita quod distinctivum sit intrinsecum, sumptum tamen ab intrinseco, & sic negamus ea, quoniam tenemus, quod licet ista materia nullam dicat actum, tamen quia ordinantur ad diversas formas, quæ non solum sunt diversæ essentialiter, sed diverso modo actuant materiam, puta vna cum privatione, alia sine privatione, ideo intrinsece distinguuntur, ita quod ex ordinatione ad diversas formas su-

OCTAVI METAPHY.

muntur duæ differentiæ, quæ sunt duæ primæ potentie passivæ, quibus intrinsece & essentialiter distinguuntur istæ duæ materie, quæ tamen differentiæ sumuntur ab extrinseco, id est, per comparationem ad formas diversas modo exposito. Cum enim materia sit propter formam secundum exigentiam formarum debent diversificari materie. Ad argumentum igitur nego maiorem in 1. sensu. Ad probationem dico quod concludit in 1. sensu & non in 2. licet enim istæ duæ materie nullum dicant actum intrinsece, ordinantur tamen ad diversos actus à quibus sumitur prin. distinctivum earum, & est eis intrinsecum, & in hoc distinguitur positio nostra, à positione Egidij, vt diximus supra declarantes mentem b. Tho. & mentem Egidij.

Secunda est, si materia cæli & horum inferiorum sunt diversarum rationum, id est, diversarum specierum vel generum, ergo vna magis distat à puro actu quàm alia, sed hoc est falsum, probatur cõsequentiâ, quia cum species & nature sint sicut numeri, ex 8. metaph. sicut impossibile est duas species numerorum æque distare ab vno, sic impossibile est duas materias primas distinctarum rationum æque distare à puro actu, ergo necesse erit vnâ magis distare, quàm alia, falsitas autem consequentis sic probatur, sicut in supremo ente nõ possunt assignari gradus, sic nec in infimo simpliciter, sed materia prima vniuersaliter & in tota sua latitudine accepta est infimum ens, inter hæc enim duo extrema, scilicet inter supremum ens qui est Deus, & materiam primam concluditur tota vniuersitas entium, ergo sicut in Deo non sunt assignabiles gradus nec in materia prima.

Ad hoc negatur falsitas cõsequentiæ, ad probationem negatur similitudo, quoniam supremum ens non ordinatur ad aliud, & ideo nec ab intrinseco, nec per comparationem ad extrinsecum possunt in eo esse gradus. Sed materia prima licet non possit habere gradus per actum, quem dicat intrinsece, cum sit pura potentia, tamen potest habere per comparationem ad extrinsecum, vt scilicet dicatur materia cæli minus distare à primo & puro actu, quia ordinatur ad perfectiorem formam, quæ minus distat à puro actu quàm imperfectior forma, materia autem inferiorum magis distat, non quia dicat minorem actum, sed quia ordinatur ad formam imperfectiorem, quæ magis distat à puro actu, vnde qualis est ordo, vel gradus distantie inter formam cæli & formas horum inferiorum

QVAESTIO XIII.

225

rum à puro actu, talis est inter has materias correspondentes.

Tertia, quæcunque conueniunt in eadem differentia substantiali, sunt eiusdem rationis. Sed materia cæli & inferiorum conueniunt in eadem differentia substantiali, nam sicut differentia substantialis hominis est rationale, sic materie est pura potentia, ergo &c.

Ad hoc dico ad maiorem, si conueniunt in differentia substantiali specifica, concedo eam, sed nego quod pura potentia in qua conueniunt materia cæli & inferiorum, sit specifica, si conueniunt in differentia substantiali generica, nego eam: & quoniam teneo quod potentia pura in qua conueniunt materia cæli & inferiorum, est generica, sub qua accipiuntur duæ differentie speciales, scilicet potetia pura ad formam completam potentialitatem materie, ita quod non relinquatur in ea priuatio, & potentia pura ad formam non complementem &c. ideo distinguuntur essentialiter istæ duæ materie, & sic patet, quod argumentum non concludit. Hæc de presenti quaestio dicta sint.

Quaestio 14. vtrum si forma cæli vniueretur materie horum inferiorum, cælum esset incorruptibile.

In hac quaestione sic procedes. Primo ponas distinctionem de incorruptibili. Secundo duas conclusiones. Tertio solues quoddam argumentum contra primam conclusionem.

Quantum ad primum aduerte, quod aliquid potest esse incorruptibile dupliciter. Primo ex natura sua, vel ex suis principijs intrinsecis, sicut intelligentiæ, quæ sunt actus simplices, & carent omni materia. Secundo per alterum, & hoc dupliciter, primo quia non habet agens contrarium corrumpens, vel si habet, non propinquat sibi, puta si pugillus ignis poneretur super cælum, nam licet ignis in quocunq; situ ponatur, sit ex natura sua corruptibilis ab agente habente qualitates contrarias, vel saltem vnâ ipsius qualitatibus ignis, sicut est aqua vel aer, tamen quia super cælum huiusmodi agentia non dantur, ideo in casu dato, ignis esset incorruptibilis per alterum.

Quantum ad secundum pono duas conclusiones, prima est, si forma cæli vniueretur materie inferiori, cælum non esset incorruptibile ex se, nec ex sui natura, probatur. Quia haberet principium passiuum intrinsecum, quo res potest substantiali-

ver esse & non esse, scilicet materiam inferiorum, ergo &c.
Ad hoc dicit Egidius, quod materia inferiorum non est causa corruptionis, nisi quia remanet unita privationi. Ideo autem remanet sub privatione, quia nulla forma rei inferioris terminat potencialitatem materiae, nec complet capaciatem eius, & ideo quando est sub vna forma est priuata alia, & ut sic in potentia ad aliam, & quia forma caeli terminat potencialitatem ut faciat appetitum materiae suae, ideo licet sit eiusdem rationis cum materia inferiorum, non remanet sub privatione, ex consequenti non est causa corruptionis in caelo.

Sed contra, nulla forma terminat potencialitatem, nec complet appetitum suae materiae respectu alterius formae, nisi quia dat actum oppositum privationi illius formae, puta ignis, aut lapidis. Sed forma caeli non dat actum oppositum privationi formae caeli ignis, aliter haec esset vera, caelum est ignis, ergo &c. Minor patet, maior probatur. Quia si materia caeli est eiusdem rationis cum materia inferiori, puta cum materia ignis, ita est ex se in potentia ad formam ignis, sicut materia ignis, ergo nulla forma complet appetitum suum, nisi det actum oppositum privationi illius formae.

Præterea, nulla forma complet appetitum suae materiae, nisi contineat in se formaliter vel virtualiter omnes formas, ad quas sua materia in se considerata est in potentia. Hec patet de se. Sed forma caeli non continet formaliter nec virtualiter omnes formas inferiores, ad quas materia caeli secundum se considerata, si est eiusdem rationis cum materia inferiorum est in potentia, ergo &c. Minor probatur. Quod non contineat formaliter, patet, aliter caelum esset formaliter ignis, lapis, alius, &c. quod non virtualiter probatur, non continet virtualiter animam intellectivam, quia non est caelum productivum animae intellectivae, cum sit de foris, & præterea anima intellectiva est perfectissima inter formas, cum sit substantiae intellectualis, ergo non continetur à forma caeli, nisi quo ad unionem cum corpore, ratione dispositionum, ergo &c.

Secunda conclusio, si forma caeli uniretur materiae inferiori, esset incorruptibile per alterum, probatur, non haberet contrarium agens, corrumpens, potens vincere formam suam, quoniam & forma caeli quae non est elementaris, non habet formam, cuius signum est motus eius, cui non est motus contrarius, ut probatur in 2. caeli.

Aduerte, quod aliqui assignant aliam rationem, & dicunt quod forma caeli posset uniri materiae inferiori sine qualitatibus contrariis actiuis & passivis, quae sunt causa corruptionis in his inferioribus, quo concesso, forma caeli esset inseparabilis à materia.

Sed philosophus hoc non concederet, nam quia tenet quod Deus agit de necessitate naturae, ut etiam declarabimus in lib. 12. diceret secundum ordinem, qui apparet in rebus naturalibus, quod huiusmodi qualitates contrariae quae sunt principia generationis & corruptionis in inferioribus, naturaliter sequuntur materiam annexam privationi, de qua nunc loquimur.

Propter quod sequitur, secundum philosophum, si Deus produceret caelum compositum ex materia inferiori & forma sua, de necessitate inessent qualitates contrariae, ex his omnibus patet, quod non potest servari naturalis & essentialis incorruptibilitas caeli, nisi ponatur materia, caeli esse alterius rationis à materia inferiorum.

Quantum ad tertium adverte, quod contra primam conclusionem potest sic argui. Dato quod forma caeli uniretur materiae inferiori, non relinqueret privationem in ea, nec potentiam ad aliam formam, ergo caelum esset ex natura sua incorruptibile, consequentia patet, & antecedens probatur. Ratio propter quam privatio remanet in materia est, quia forma actuans materiam habet formam contrariam, quae est apta succedere in materia, sed forma caeli non habet contrarium, ut declaratum est supra, & tenet philosophus in 2. caeli, ergo non relinquit privationem in materia, nec potentiam ad aliam formam.

Ad hoc negatur antecedens, ad probationem dico ad maiorem, quod habere formam contrariam non est totalis ratio, quod privatio remaneat in materia, sed solum partialis. Nam pro totali ratione duo assignanda sunt. Primo quod materia naturaliter conveniat subiacere privationi. Secundo quod forma inherens habeat contrarium. Et per oppositum, ad hoc quod privatio non remaneat in materia, duo requiruntur, primo quod materia naturaliter repugnet subiacere privationi, secundo quod forma inherens non habeat contrarium. Modo dico, quod materia rerum inferiorum naturaliter subiacet privationi, unde dato quod reciperet formam non habentem contrarium, qualis est forma caeli, non potest salvari compositum esse incorruptibile ex natura sua, unde tenendum est, materiam caeli esse

OCTAVI METAPHY.

alterius nature à materia inferiorū, aliter nō saluabitur naturalis incorruptibilitas cœli. Hæc de presenti quaestio dicta sunt.

Quaestio 15. si materia omnium corporum cœlestium est eiusdem rationis, sicut materia omnium inferiorum.

In hac quaeritur quod difficultas stat in hoc, si sunt eiusdem rationis, ergo materia lunæ si est eiusdem rationis cum materia solis, & non habet formam solis, est in potētia ad formam solis, & e conuerso, & sic cœlum lunæ est corruptibile. Materia enim subiecta priuationi est causa priuationis, si sunt diuersarum rationum, ergo tunc erunt materiae primæ in cœlo, quot sunt sphaeræ, & astra, quod non cōceditur, quoniam quæ differunt materia, differunt genere. Sed cœli non differunt genere. Concludit enim philotophus in 2. cœli, text. 59. quod si vna stella est spherica, omnes sunt sphericae, & dicit illic Cōment. quod hæc consequentia fundatur super hoc, quod omnia corpora cœlestia sunt eiusdem speciei. Quod licet sit falsum secundū b. Tho. ut dicemus, tamen hæc consequentia fundatur super eandem naturam genericam, ut tenet illic b. Tho. exponens text. 59. non ergo differunt genere, ex consequenti nec materia.

Pro resolutione huius quaestionis, in qua intendo sequi intentionem Cap. in 2. dist. 12. q. 1. ad primum Durandi contra secundam conclusionem sic procedam, primo videndum est quid diceret Comment. si poneret materiam in cœlo, secundo quid dicendum secundum b. Tho. deinde soluemus argumentū in oppositum cum replica.

Quantum ad primum dico, quod si Comment. teneret materiam esse in cœlo, quæ est pars compositi, diceret materiam omnium corporum cœlestium esse eiusdem rationis, quia secundum ipsum non plus differunt duo cœli & duo astra, quam Sortes & Plato, cum sint eiusdem speciei secundum ipsum in 2. cœli. in comment. 59. sed quæ sunt eiusdem speciei, si habent materiam habent eiusdem rationis, ut ab omnibus conceditur, ergo & cœtera.

Verum quia b. Tho. in 2. cœli. in expositione text. 59. arguit contra Comment. & soluit rationes suas, ostendens esse falsum, omnia corpora cœlestia esse eiusdem speciei, ideo videndum est secundum b. Tho. stante distinctione specifica corporū cœlestium, si materia illa est eiusdem rationis, vel non.

QVAESTIO XV.

213

Quantum igitur ad secundum dico, quod b. Tho. teneret partem affirmati. cuius ratio in doctrina sua stat in hoc. Sicut communis ratio materię ut potentia est, sumitur ex eo quod potest actuari forma, quoniam secundū se nihil actualitatis habet, ita distincta ratio sumitur ex eo, quod diuersimode actuatur à forma, & vna ratio sumitur ex eo, quod vno modo actuatur à forma, sed omnes formæ corporū cœlestiū vno modo actuatur materiā suam scilicet totaliter replendo capacitatem suam, nō relinquendo priuationem in ea, nec potentialitatem ad aliam formam, ergo materia corporum cœlestium, licet actuatur formis distinctis specie, est eiusdem rationis ex eodem modo actuandi. Et quia omnes formæ inferiores quantumcunque diuersæ vno modo actuatur materiam suam scilicet non replendo capacitatem eius, & relinquentes in ea priuationem, ideo materia omnium inferiorū est eiusdem rationis. Quia autē isti duo modi actuandi sunt diuersarum rationum, ideo materia superiorum & inferiorum sunt diuersarū rationū, ita quod nō sumitur diuersitas materię, ex sola diuersitate formarū, aliter materia lapidis & materia asini essent diuersarum rationū, sed ex diuerso modo informandi, ut declaratum est. Stante igitur hac determinatione, dicendum est ad argumentū positum in principio quaestionis, quod sunt eiusdem rationis, & cum arguitur contra, negatur consequentia, quoniam licet materia lunæ sit eiusdem rationis cum materia solis, tamen ex modo actuandi forma lunæ non relinquit in materia sua priuationem, nec potentialitatem ad formam solis, nec ad aliam formam, idem dico de materia solis.

Sed contra, quæ cōueniunt in materia, sunt adinuicem transmutabilia, ex 2. de generatione, ut patet de elementis, ergo si cœli conueniunt in materia, eiusdem rationis sunt adinuicem transmutabilia, & sic erunt corruptibilia.

Respondetur, negatur antecedens, nisi materia sit subiecta priuationi, unde licet elementa cōueniant in materia, nisi eorum materia esset subiecta priuationi, non essent ad inuicem transmutabilia, & quoniam forma cœli ex modo actuandi nō relinquit in materia priuationem, ideo non sequitur, quod possit transmutari adinuicem. Ex quo sequitur, quod Egidius non potest fugere, quin concedat materiam inferiorum, quæ secundum ipsum, est eiusdem rationis cum materia cœli, & est subiecta priuationi, respectu formæ quam non habet, sit in po-

OCTAVI METAPHY.

tertia ad formam cœli, & cum nullum agens naturale possit eam actuare forma cœli, cogitur concedere dari potentiam naturalem passivam, cui non correspondet actiua naturalis. Quod philosophus vt ociosum & vanum negat, vt declarauimus in libro 5. Hæc de præsentî quæstio dicta sint.

Quæstio 16. si accidentia componuntur ex materia & forma.

Nec quæcunque ita natura quidem, non substantia vero non est his materia. Tex. 12.

Philosophus in hoc tex. declarat, quod in accidentibus quæ licet sint naturalia, non tamen sunt substantia, non est querenda materia ex qua fiant, sed eorum materia est subiectum in quo. Queritur ergo, si in accidentibus est compositio formæ & materię intrinsicè & essentialiter.

In hæc q. aduerte, quod eam format Ianduo. in 8. metaphysic. q. 8. Sed determinatio sua pro secunda conclusione, quæ est hæc, accidentia habent aliquid ex quo componuntur sicut ex materiali, quod est simile materię, est contra doctrinã b. Tho. Tenet enim quod in forma inuenta, sunt gradus distincti reales integritates eam, sicut plures partes materiales, & quod genus & differentia dicunt distinctas formas, & quod media qualitas componitur realiter ex extremis, quæ omnia præter ultimū, de quo disputabimus in lib. 10. sunt contra viam nostram, ideo dimittes eum. Vt autem fiat resolutio secundū doctrinã b. Tho. sic procedes. Primo pones distinctionē de cōpositione. Secundo duas conclusiones. Tertio solves duo argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod compositio in accidente potest esse dupliciter. Primo compositio rei & rei, quæ dicitur compositio realis. Secundo compositio secundum diuersas rationes, quibus correspondet natura rei, vt diuersimoda concipitur, & dicitur in viâ nostrâ cōpositio rationis ex parte rei, compositio rei & rei est illa, quæ est ex aliquibus distinctis, remoueo omni opere intellectus, dato quod non essent abinuicem separabilia. Nam forma & materia faciunt compositionē realem, & tamen secundum viam nostram, materia est inseparabilis à forma. Idem dico de subiecto, & proprio accidente. Cōpositio rationis ex parte rei est ex aliquibus, quæ licet sint idē realiter, distinguuntur tamen formaliter, quoniam vnum non

QVAESTIO XVI.

224

includit aliud in primo modo per se, & possunt esse distincta obiecta formalia, & distincta conceptibilia terminaria actum intellectus, & talis compositio est, quæ est ex genere & differentia, quæ licet sint idem realiter, non tamen formaliter, vt declarauimus in libro 3. q. secunda.

Quantum ad secundum pono duas conclusiones. Prima est, accidens est forma simplex simplicitate opposita primæ compositioni, probatur, si accidens cōponeretur cōpositione 1. modo dicta, ergo vna pars esset materia prima, alia esset forma, aliter non esset vnum per se, nisi vna pars esset potentia, & altera actus, vt visum est supra, sed hoc est falsum, primo, quia forma accidentis reciperetur in materia prima, quod est contra Commenta. 1. de anima commen. 4. Differunt enim secundum ipsum, formæ accidentales & substantiales, quia substantiales sunt in ente in potentia, accidentales autē in ente in actu. quia sicut ex aqua fit ignis propter materiam susceptiuam formæ aquæ & formæ ignis, sic ex caliditate naturæ frigiditas, sic caliditas & frigiditas habent materiam ex qua, quod est contra philosophum in 1. physic. Tertio aliquid accidens, puta calor est immediatum principium, quo primo agēs agit, ergo tale accidens est tantum actus. Antecedens patet, vt de calore quo 1. ignis calefacit, consequentia autem probatur, quia non esset quo primo agens agit, sed ageret per eam partem, quæ in calore est actus.

Secunda conclusio, Accidens non est forma simplex simplicitate opposita secundæ cōpositioni, probatur, accidens est verè distinctibile, licet non primo, vt dictū est in lib. 7. ergo componitur ex genere & differentia. Omnis enim distinctio constat ex genere & differentia (vt declaratū est in 7.) Sed genus & differentia, licet non distinguatur realiter, distinguuntur tamen ratione, cum fundamento correspondente ex parte rei (vt dictū est in lib. 3.) ergo antecedens cōponitur cōpositione rationis ex parte rei, ergo non est forma simplex simplicitate &c. Et quoniam genus se habet vt materia, licet nō sit verè materia, quia prædicatur in recto de re, & differentia se habet vt forma, licet nō sit verè forma, quia prædicatur in recto de re, ideo possumus dicere, quod accidens cōponitur non ex materia & forma, sed ex genere & differentia, vt ex forma & materia, vtrum autem accidens componatur ex vero potentiâ & vero actu, determinabimus in lib. 12. super tex. 26. vbi inquit philosoph.

OCTAVI METAPHY.

Principia eadem potentia & actus &c.
 Quantum ad tertium, soluenda sunt duo argumenta, quae videntur facere difficultatem, contra determinationem facti, & primum est. Dicit philosophus in lib. 12. in tex. 21. quod omnium generum sunt eadem principia intrinseca, ut species, priuatio, & materia, ergo sicut sunt principia componentia, materia & forma in genere substantiae, sic sunt in genere accidentium.
 Ad hoc dicitur, quod non est intentio philosophi omnium generum esse eadem principia intrinseca vniuocae, sed per quamdam proportionem & similitudinem, unde exemplificat in genere accidentium, calidum ut formam, frigidum ut priuationem, subiectum ut materiam, constat autem nec calidum esse vere formam, quae est pars compositi, nec subiectum esse materiam ex qua, nec frigidum esse vere priuationem, quare argumentum non concludit.

Secundum est, si accidens non est compositum intrinsece et materia & forma, sed sit forma simplex, ergo est perfectius substantia composita, quod constat esse falsum. Consequentia probatur, quoniam simplicitas est perfectio simpliciter, aliter non esset formaliter in re, quod est perfectissimum, ergo in quocumque inuenitur, reddit ipsam perfectius compositum.

Ad hoc dicitur, quod nec compositio nec simplicitas absolute sumptae sint perfectio simpliciter, aliter forma esset nobilior composito, & elementum elementato. Sed ad hoc quod sit perfectio simpliciter, est necesse, quod sit in re subsistente, & in natura, cuius tota perfectio sit apta stare indiuisa, id est, non resultare ex partibus integralibus, nec essentialibus, propter primam conditionem excluduntur formae materiales, & materiae, & accidentia quae non sunt apta per se existere nec subsistere, propter secundam excluduntur omnes naturae corporeae, à caelo usque ad elementum, ut alias declarauimus. Ad arguendum igitur negatur consequentia. Ad probationem nego, quod simplicitas sit perfectio simpliciter, nisi cum conditionibus praedictis, quarum prima non seruatur in accidente. Haec de praesenti quaesito dicta sint.

Quaestio 17. Si mater concurrat actiue ad generationem.

Ut hominis quae causa ut materia, equidem menstrua, quid autem ut mouens, equidem sperma. Text. 14.

QVAESTIO XVII.

In hac quaestione discordant Scotus & Antonius And. à b. Thom. quoniam Scotus in 3. sen. dist. 4. q. 1. quae imitatur Antonius And. in 8. metaphy. q. 2. sequens viam Galeni tenet partem affirmatiuam. Sed b. Thomas ut patet in 3. parte. q. 3. sequens viam Auic. tenet partem negatiuam, ut igitur defendamus viam quam sequitur b. Thomas sic procedemus. Primo ponetur opinio Arist. Secundo opinio Galeni. Tertio soluentur rationes Galeni & Scoti, quas etiam adducit Antonius And.

Quantum ad primum aduerte, quod Aristoteles in lib. 15. de animalibus quem sequitur Auerroes & Auicenna & Albertus in lib. 15. de animalibus cap. ult. tenet, quod solus pater habet virtutem actiuam & mater tantum passiuè concurrit, eo quod ipsa solam materiam prolis ministrat, & in solo semine patris est vis actiua, unde Aristoteles in lib. 15. de animalibus comparat arti virtutem feminis in patre, & comparat ligno de quo artifex facit statum matris ministratae à matre, & fundamentum quidem eorum est, quod femina non habet sperma, nisi quasi æquiuocè. Unde humiditas illa quam vocant sperma mulieris, non differt à menstruo nisi sicut magis digestum & magis purum à minus digesto & minus puro, & utrumque est materia in formatione prolis, sed sperma mulieris est materia munda, menstruum autem immunda, & licet sperma mulieris non sit necessarium ad generationem, cõfert tamen, quoniam virtus actiua feminis virilis agens in sperma mulieris & in menstruum, format cõceptum pulchriorem & nobiliorem, & quod sperma feminae non sit necessarium, accipit Auicenna signum ex hoc, quod aliqua feminae concipiunt sine delectatione, & quaedam contra voluntatem coeunt, concipiunt, & mulier quaedam concepit in balneo matris, & attrahente sperma spermatatum in aqua, in qua prauis homines balneantes spermatizauerant.

Quantum ad secundum aduerte, quod Hippocrates & Galenus cum Aliabba, qui fuit fidelior imitator Galeni, dicunt, quod femina habet sperma proprium & vniuocum spermati virili remissionis tamen virtutis & vigoris, & dicunt quod ingreditur actiue formationem prolis, causam huius dicunt esse, ut ex utroque semine simul mixto fiat conueniens temperamentum in formando foetu, sperma enim virile est grossum & calidum in muliebri autem est subtile & frigidum, & sic ex utroque constat vna causa totalis conuenienter formatiua prolis. Ad probandum autem, quod femina habeat verum sperma arguunt, quia

femina habet testes ab intrinseco, qui vtiq. essent frustra. Dati sunt enim à natura ad attrahendum sperma, ad vasa semina lia, & dicunt hoc sperma esse necessarium in cōceptu, ita quod sine eo non potest fieri conceptus, & est necesse, vt emittatur, quando emittitur sperma viri, aliter non grauidatur femina, & quod habet virtutem formatiui fetus, remissiores tamen quā sperma virile, eo q̄ femina in virtutibus naturalibus est debilior viro propter quod frigiditate constringente sunt in ea strictiores venæ & caro magis humida, & plerunq. corpora minora quā corpora virorum. Hac de causa contingit in eis superfluitas multa indigesta &c.

Quantum ad tertium aduerte q̄ Auic. euacuat signum sumptum ex testibus intrinsecis in femina, & dicit quod non sunt dati ad attrahendum semen in femina, sed ad causandum desiderium in matrice ad recipiendum semen virile, similiter negat sperma femineum esse necessarium vt contemperet profusionem & caliditatem seminis virilis, quoniam nō est adeo profusum vt indigeat subiliante, nec adeo calidum vt indigeat in frigidante, & sic pater q̄ fundamenta Galeni non valent.

Scot. autem & Ant. And. in fauorem Galeni arguunt tripliciter, primo formam eiusdem speciei consequitur potentia naturalis eiusdem speciei. Sed mas. & femina habent formā eiusdem speciei ex 10. matap. & potentia naturalis vegetatiua consequitur formam maris, ergo & formam femine, ergo femina non tantum concurrit passiuè sed actiue.

Ad hoc dicitur q̄ Scot. supponit falsum, scilicet quod b. Thomeat matrem in omni requisito ad generationem concurrere tantum passiuè hoc non tenet, immo cū in generatione tria requirantur scilicet preparatio materiz, formatio fetus, maturatio fetus respectu primi & tertij potētia vegetatiua femine est actiua, respectu autem secundi est mere passiuua, nec tamen ex hoc sequitur quin habeat potētia vegetatiua eiusdem rationis cum viro licet imperfectiorem, vt pote non potens actiue ad formationem. Hoc enim non conuenit femine cum sic quid imperfectum in specie humana respectu viri. Vnde ad arg. concedo totum, & si inferat, si actiue concurrat, ergo quo ad formationem prolis, nego consequentiam, nam se habet mater in generatione sicut ars deseruiens in ædificatione arti architectonicæ, verum est enim quod deseruiens concurrat actiue in ædificio, quia preparat materiam, non tamen quo ad for-

mationem, quia hoc ad architectonicam spectat, sic est in proposito.

Secundo, pater diligit filium vt opus suum, & mater magis diligit filium quā pater, ex 8. ethi. ergo filius est opus matris ergo concurrit actiue.

Ad hoc dico, quod filius est opus matris actiue, quo ad preparationem materiz, sicut cōdiciū est opus artis deseruiens, nec tamen sequitur, quod sit opus eius quo ad formationē. Nec potest concludi, ex eo quod magis diligit filiū. Illud enim prouenit, quia est magis certa, quod sit filius eius, quā pater, & quia ex nutritione causatur maior & certior amor.

Tertio, filius aliquando magis assimilatur matri quā patri, ergo in matre est aliqua virtus in generatione actiua. Tenet consequentia. Quia agens intendit assimilare sibi effectum.

Ad hoc dicitur, quod causa similitudinis geniti potest esse triplex, prima dicitur esse virtus cœlestis, præcipue secundū signa Zodiaci, vnde secundum Ptholomæum, si nascatur homo in primo puncto Arietis, aliquando habebit caput porci, vel aliud monstrum generabitur, secunda est intensa imaginatio maris, aut femine dum generat, vnde secundum Auic. mulier concipiens imaginans, siue intense intuens figuram æthiopsis, peperit foetū nigrum, tertia est virtus informatiua in semine patris. Quæ si est conuenienter fortis, producit in genito accidentia patris, vnde aliquando caluus caluum, podagrosus podagrosus, stultus stultum generat, si autem debilis est, ibi posunt assignari plures gradus, quia secundum aliqualem debilitatem causantur accidentia matris secundum maiorem accidentia sui, & secundum maiorem accidentia alicuius magis remoti, & aliquando tantum debilitatur, quod non producit nisi monstrum. Ad Arg. ergo, nego consequentiam.

Ad probationem dico quod agens intendens assimilare sibi effectū est virtus informatiua maris, quæ si est fortis assimilatur genitū mari, si debilis assimilatur propinquiori, quæ est mater, vel alteri de cognatione, secundum gradum debilitatis. Hæc de præsentī quæstio dicta sint.

Expliciunt q̄ Franc. chryf. taurilli Canap. ord. præd.
philosophiæ & sacre Theologiæ profes-
soris super 8. libr. metaphys.

NONI METAPHY.

Inciunt quæstiones eiusdem in lib. 9.

Super lib. 9. meta. occurrunt infrascripta dubia discutienda.

- 1 Si diuisio entis per potentiam & actum est realis.
- 2 Si potentia sufficenter diuiditur in actiuam & passiuam.
- 3 Si potentia actiua & passiuam requirunt distincta subiecta.
- 4 Quot sunt potentie rationales & liberae.
- 5 Si potentie rationales possunt in opposita, nõ aut irrationales.
- 6 Si potentie rationales sunt actiue uel mere passiuæ.
- 7 Si potentia rationalis producit actum suum in instanti uel in tempore.
- 8 Si potentia actiua precedit actum suum.
- 9 Si diffinitio possibilis est bene assignata à philo. sumendo possibile ut distinguitur præcise contra impossibile.
- 10 Si aliquod est possibile quod tamẽ nunquã fuit, nec erit.
- 11 Si consequentia possibilium uel impossibilium. Antecedens & consequens debent esse similia.
- 12 Si actus est prior potentia ratione & cognitione.
- 13 Si actus est prior tempore potentia.
- 14 Si in potentijs que acquiruntur exercitio, actus est prior tempore potentia etiam respectu eiusdem potentie secundum numerum.
- 15 Si actio transiens est subiectiue in passo.
- 16 Si actio immanens est subiectiue in agente, & in quibus differt à transeunte.
- 17 Si omne quod habet potentiam passiuã est corruptibile.
- 18 Si materia prima est principalior causa corruptionis.
- 19 Si ad hoc quod de aliquo habeatur scientia, necesse est ut sit actus, uel reducatur de potentia ad actum.
- 20 Si compositioni & diuisioni intellectus correspondet compositio & diuisio realis in re.
- 21 Si cõtingit deceptio circa quodquid est, & circa substantias incompositas siue abstractas.

QVÆSTIO PRIMÀ.

Si diuisio entis in potentiam & actum est realis.

Aliud secundum potentiam & actum & secundum opus. Tex. 1.

Philosophus in hoc 1. text. resumit diuisiones entis, de quibus supra tract. scilicet de diuisione in prædicamenta, & subiungit q; in lib. 9. agendum est de ente ut diuiditur per potentiam & actum metaph. & nõ solum ut applicentur motui physico, nam sic considerare de potentia & actu est officium physici. Queritur ergo si hæc diuisio est in re aliter distincta, ita quod sit impossibile illud idem omnino quod est potentia, sit actus.



IN hac quæstione aduerte, quod ex hoc text. trahitur illa propositio allegata communiter. Actus & potentia diuidunt quodlibet genus entis, & habetur in li. 12. tex. 26. Aduerte iterum quod omnes Commen. & Thomi. sunt concordēs in decisione huius quæstioni, eo quod non acceptant aliam distinctionem entis in potentiam & actum, nisi potentiam actiuam & passiuam, & quoniam constat quod actiuum ut sic, opponitur passiuo, ideo non dubitant, quin hæc sit diuisio realis & distincta realiter. Solus autem Scot. in 2. sen. dist. 8. inuenit potentiam obiectiuam & actum obiectiuum, & dicit quod dictum philosophi, scilicet, ens diuiditur per potentiam & actum, uel potentia & actus sunt in eodem genere, non est intelligendum de potentia actiua & actu suo, nec de potentia passiuã & actu suo, quem recipit, sed de potentia obiectiua & actu obiectiuo, puta quod rosa generãda & rosa genita sunt in eodem genere substantiæ, imo quod sunt idem realiter.

Tu igitur ut resoldas te in uia nostra sic procedes. Primo de clarabis imaginationem Scoti. Secundo potes conclusionem contra Seo. Tertio solues rationes Scotistarum. Quarto declarabis in quo sensu hæc est uera. Actus & potentia sunt in eodem genere, qua declaratione facta, solues omnes instantias Scoti.

NONI METAPHY.

Quantum ad primum aduerte, quod Seco. in subiecto receptiuo formæ, siue sit materia prima respectu formæ substantialis, siue sit subiectum respectu formæ accidentalis, imaginatur duo, primo ipsum subiectum in quantum potest moueri siue transmutari ab agente recipiendam formam, ad quam comparatur vt potentia passiuæ ad actum formalem, & hanc potentiam passiuam dicit esse ipsammet materiam, siue ipsum subiectum, & de hac concedit, quod distinguitur realiter ab actu formali, quoniam nihil actuat nec perficit seipsum nec recipitur in seipso, nec facit compositionem cum seipso. Constat autem q̄ formalis actus siue ipsa forma actuat & perficit materiam, recipitur in ea. & ex forma ac materia fit substantia composita, secundo imaginatur quod in materia siue in subiecto est potentia formæ, pro quanto forma potest esse in materia, & per actionem agentis potest educi de potentia ad actum, & dicit quod hic potentia est ipsamet forma, producenda ab agente, & constat quod non est potentia passiuæ siue receptiuæ formæ, sed obiectiua, quia forma producenda est obiectum, quod potest produci à potentia actiua agentis, & distinguitur à potentia passiuæ in hoc quod potentia passiuæ est subiectum motus, siue transmutationis, obiectiua autem est terminus à quo, nam ex rosa in potetia fit rosa actu, & hæc distinctio est realis, quoniam ex 1. phy. subiectum manet, terminus autem à quo non manet, & dicit q̄ hic potentia obiectiua non distinguitur realiter ab actu sibi correspondente, qui dicitur actus obiectiuus, qui est terminus ad quem, puta rosa antequam producatur est potetia obiectiua, postquam est producta est actus obiectiuus, & quod non distinguatur realiter ab actu obiectiuo probant Scotistæ rationibus quas recitabimus infra, & soluemus.

Quantum ad secundum ponens conclusionem contra Scotum, idem non potest esse potentia & actus, immo diuisio entis in potentiam & actum est diuisio in res distinctas, quocunq; modo sumatur potentia & actus.

Ista conclusio conceditur à Scoto de potetia passiuæ & actu formali, vt patet ex prædictis, negatur autem de potentia obiectiua & actu obiectiuo, contra quem arguitur sic. Termini per se motus & transmutationis non sunt idem realiter cum sint oppositi, ex 1. phy. tex. Sed potentia obiectiua quam imaginatur Scotus, & actus obiectiuus sunt secundum ipsam terminum motus & transmutationis, potentia enim obiecta est ter-

QVAESTIO I.

128

minus à quo, & actus obiectiuus est terminus ad quem, ergo non sunt idem realiter. Præterea non est imaginabile aliqua duo esse idem realiter, & vno transeunte realiter, aliud remanere realiter. Constat autem quod potentia obiectiua quæ est terminus à quo, dum res generata est, trahit, & actus obiectiuus permanet, ergo &c. Præterea, quæcunq; sunt idem realiter quando ponitur vnum, ponitur alterum, quia oppositum huius implicat contradictionem. Constat autem quod quando ponitur potentia obiectiua non ponitur obiectiuus actus, aliter rosa generanda poneretur antequam generaretur. Impossibile est ergo potentiam & actum quocunq; modo sumantur esse idem realiter. Et confirmatur, quia Comment. in 1. de anima comment. 6. dicit, potentia & actus sunt differentie, quæ contingit omnibus prædicamentis, & sunt valde oppositæ: ergo potentia & actus quæ diuidunt omne prædicamentum, non sunt idem numero, sic quod illa potentia quandoque fit actus, cum dicat Cōment. quod sunt differentie valde oppositæ. Et constat quod ad mentem Scoti dictum Comment. est intelligendum de potentia obiectiua, & de actu obiectiuo, quoniam de his solum concedit, quod diuidunt ens, & quod sunt in eodem genere, vtrum autem denur talis potentia obiectiua & actus obiectiuus declarabitur in q. sequenti.

Quantum ad tertium aduerte, quod Scotistæ conantur probare multipliciter, quod potentia obiectiua sit idem cum actu obiectiuo. Sed vt videbis, semper procedunt ex fundamento falso. Credunt enim quod in materia siue in subiecto, sint duæ potentie distinctæ realiter, vna qua est susceptiua formæ, alia quæ est ipsa forma in esse potenciali, quæ per actionem agentis educitur de esse potenciali ad esse actuale, & recipitur in materia. Hoc inquam fundamentum est falsum, quoniam in materia non est nisi potentia passiuæ, & non est aliud formam esse potentia, siue potentialiter in materia, quam posse recipi in materia, sicut non est aliud formam esse in potentia agentis, quam posse produci ab agente.

Primo igitur sic arguunt, in materia siue in subiecto est potentia, qua potest moueri ab agente, vt recipiat formam, & est potentia ad esse formæ, id est, ipsa forma vt habet esse potentiale, quæ distinguuntur realiter. Sed potentia materię qua potest moueri siue transmutari ab agente, est ipsa materia, & potest ad esse formæ est ipsa forma, quæ est actus, ergo potetia



NONI METAPHY.

obiectiua & actus obiectiuus sunt idem. Quod autem ille duæ potentie distinguantur realiter, probatur. Quod potest esse forma deinde est forma, est idem cum forma. Quod autem potest moueri ad formam, non est forma, quia receptiuum non est ipsum receptum, ergo istæ duæ potentie distinguuntur realiter.

Ad hoc nego maiorem, quia in materia non est nisi potentia, qua potest transmutari ab agente, quæ dicitur potentia passiva, & forma non est alio modo in materia, nisi in potentia passiva, vnde nego quod in materia sit potentia, quæ est ipsa forma, quoniam omnis potentia materię est ipsa materię, & sic non concedo duas potentias distinctas realiter in materia. Ad probationem dico, quod procedit ex fundamento falso, scilicet quod in materia sit potentia formæ, quæ postea est forma, quod nego, quia forma non alio modo est potentialiter in materia, quam per potentiam passiuam, quare &c.

Secundo sic, si idem est potentia passiva materię & potentia formę in materia, ergo est idem formam esse receptibilem in materia, & formam educi de potentia materię, sed hoc est falsum, quia anima intellectiua educeretur de potentia materię, cum sit receptibilis in materia, ergo & primum.

Ad hoc nego consequentiã, quia educi de potentia materię non est hoc solum, quod potentia formę sit in materia, nam per potentiam formę in materia non intelligimus aliud quam quod potest forma recipi in materia & actuare eam, sed per educi de potentia materię intelligimus formam per naturales transmutationes materię, & per agens naturale exire in actum, ita quod agens naturale non solum disponit materiã ad receptionem formę, sed etiam attingit ipsam formam productiue, & in hoc distinguitur anima intellectiua ab aliis formis, quoniam illæ educuntur in actum, & recipiuntur in materia per transmutationes naturales & per agens naturale. Anima vero intellectiua non deducitur ad esse per huiusmodi transmutationes nec per agens naturale, sed per agens diuinum, licet per tales transmutationes disponatur materia ad receptionem animæ intellectiue.

Tertio, dicit philosophus in 8. metaphy. text. 15. quod illud quod est in potentia, sit in actu, super quem text. inquit Comment. est igitur hic aliquid vnum, quod primo est in potentia, & post transfertur ad actum, & ne quis credat, quod id quod erat in potentia sit aliud ab eo quod postea sit actu, subiungit Com-

QVAESTIO I.

129

ment. Translatio enim eius non largitur ei multitudinem, sed perfectionem in esse, q. d. Quod erat in potentia & postea fit actus, non sunt duo, sunt vnum, ergo potentia est actus.

Ad hoc philosophus & Comment. intendit in illo tex. reddere causam, quare ex materia & forma fit vnum per se, quod est ipsum compositum, puta ænea sphaera, & reddens causam dicit, quia hoc, id est, materia puta æs est potentia, & hoc, id est, forma puta sphaera est actus, quæ adinuicem coniuncta faciunt vnum per se, quæ est ænea sphaera, quæ quidem non est duo, sed vnum reductum de potentia ad actum, nam ænea sphaera quæ poterat produci ab agente per vnionem æris & sphaeræ, sit actu ænea sphaera per actionem agentis, ex quibus patet, quod textus ille & dictum Comment. extorquetur. Quia non intenditur illic de potentia formę, & de forma actu, sed de composito, quod prius est in potentia agentis potētis vnire formam cum materia, illud idem sit in actu ex vnione formæ cum materia per actionem agentis, non ergo ex prædicto tex. nec ex Comment. potest concludi identitas potentie obiectiue & actus obiectiui.

Quantum ad quartum aduerte, quod cum potentia recipiat actum, ille actus proprie correspondet potentie, quem primo & per se respicit, vnde aduerte, quod sicut potentia potest assignari duplex obiectum, scilicet primum & secundarium, & à primo sumit vnitatem siue distinctionem non à secundo, vt patet de visu, qui accipit speciem & vnitatem à calore vt primo obiecto & non ab albedine vel nigredine. Sic potentia potest assignari duplex actus, scilicet actus quem primo & per se respicit, & actus quem secundo & consecutiue respicit, vt anima, primo, & per se respicit animare, secundo operari operam vitam. Ex his dico quod illa propositio, actus & potentia sunt in eodem genere, vera est de potentia passiva & actu formali, quem primo & per se respicit, non autem quem secundo respicit. Idem dico de potentia operatiua & actu suo. Verbi gratia. Quia materia prima primo respicit formam substantialem, secundo autem formam accidentialem, ideo est in eodem genere cum forma substantiali, quia vtraque est substantia, non autem est in eodem genere cum forma accidentali, & quia visus primo & per se respicit videre, ideo vtrunque est in eodem genere, quia visus & videre sunt in prædicamento qualitatis.

Ex hac declaratione videbis solutas instantias Scoti, quibus intendit probare illam propositionem, actus & potentia sunt in eodem, non posse verificari de potentia passiva, qualis est potentia materiae, & potentia subiecti, sed solum de potentia obiectiva. Arguit igitur sic, substantia est in potentia passiva quantitatis, puta materia, & substantia materialis est in potentia passiva accidentium, & superficies est in potentia passiva coloris, & anima est in potentia passiva suarum potentiarum, & tamen constat, quod materia non est in eodem genere cum quantitate, nec substantia materialis cum suis accidentibus, nec superficies cum colore, nec anima secundum viam Thomisticam cum potentia suis, ergo &c.

Ad haec patet quid dicendum sit ex declaratione facta. Nam in his instantiis non comparatur potentia passiva siue receptiva ad actum, quem primo & per se respicit, sed quem secundario. Nam materia prima primo respicit formam substantialem, & substantia materialis primo respicit esse substantiale, & superficies non primo respicit colorem. Sed diaphanum primo respicit colorem, est enim color actus diaphani, diaphanum autem & calor sunt in predicamento qualitatis, & anima non primo respicit potentias suas, sed esse, comparatur enim essentia animae ad esse, sicut potentia ad actum proprium. Patet ergo, quod per nullam instantiam cogimur concedere illam propositionem. Actus & potentia sunt in eodem genere, debere intelligi de potentia obiectiva & actu obiectivo. Hae de praesenti quaesito dicta sunt.

Quaestio 2. si potentia sufficienter dividitur in actiuam & passiuam.

Quod est principium transmutationis in alio. Tex. 2.

Philosoph. in hoc textu declarat, quomodo dicitur potentia tam proprie quam similitudinariae, & innuit, quod proprie dicitur nisi de activa & passiva, non quidem ex aequo, sed primo de activa, deinde de passiva, quoniam passiva respicit ex sua ratione actiuam, sicut motus includit mouens. Queritur ergo, si haec divisio, quamvis non sit univoca, sed potius analogica, sit sufficiens, ita quod non sit necesse dare tertiam distinctam realiter ab activa & passiva.

In hac quaerente, quod omnes expositores philosophi & commentariae concordant in parte affirm. solus Scotus cui videtur

Henricus favere, imaginatus est potentiam obiectivam distinctam realiter ab activa & passiva, verum quia intentio nostra est in his quaestionibus loqui ad mentem Arist. & determinare ex doctrina Arist. ideo non multum curamus imaginationes aliorum. Ut igitur fiat resolutio ad mentem Arist. sic procedendum est, primo declarandum est quid sit potentia obiectiva ad imaginationem Scoti, & id videbis iam manifestatum a nobis in 2. lib. in q. 1. secundo declarandum est, quod nulla est necessitas ponendi talem potentiam distinctam realiter ab activa & passiva, & id iam manifestavimus in 8. libro in q. 1. ubi declaravimus quod omnes condiciones quas attribuit Scotus potentiae obiectivae, ita verificatur de potentia activa, sicut de obiectiva, unde vanum est multiplicare distinctionem potentiarum sine necessitate. 3. declarandum est, quod Arist. in tota sua doctrina, nullam fecit mentionem de tali potentia. Quod optime declarat Cap. in 1. dist. 3. q. 3. art. 2. respondens primae instantiae Scoti, factae contra primam rationem b. Tho. in probatione primae conclusionis. Cuius intentionem summauit Paulus Sonc. in lib. 9. metaphysic. q. 1. & est 4. & 5. ratio sua, & quoniam nihil intendo addere ad hoc, ideo nolo immorari in recitando. Tu igitur vide quem volueris, siue Cap. siue Paul. Quarto solvenda sunt motiva Scot. quibus videtur posuisse potentiam obiectivam distinctam ab activa & passiva.

Primum fuit hoc, potentia & actus sunt in eodem genere, sed hoc non potest verificari de potentia activa & passiva, aliter anima, quae est principium actuum operationum vitalium, esset in eodem genere cum actibus & operationibus suis, quod est falsum, cum anima sit substantia, & actus sint accidentia, & superficies est in potentia passiva ad colorem, & tamen non est in eodem genere cum colore, ut patet, ergo praeter actiuam & passivam datur tertia, scilicet obiectiva, de qua dicta propositio verificatur.

Hoc iam solutum est in q. praecedenti, nec replicandum est.

Secundum est, sumo nivem generandam in hyeme futura, de qua verum est dicere, antequam producat, est in potentia ad esse aliter non posse produci, quicquid enim producitur exie de potentia ad actum, & postquam est producta est in potentia passiva ad albedinem, licet sit potentia coniuncta actui. Quero igitur, aut est eadem potentia albedinis antequam producat, & postquam producta est, aut alia & alia, non eadem,

aliter esset subiectum albedinis ante sui productionem, sicut post, ergo alia & alia, sed antequam producat, non est in potentia passiva, aliter posset esse subiectum accidentis antequam produceretur, quod est impossibile, quoniam esse subiectum supponit esse, ergo est in potentia obiectiva, ergo prater activam & passivam datur obiectiva.

Ad hoc dicitur, quod est alia & alia, & cum arguitur, quod ante sui productionem non est in potentia passiva vel subiectiva, concedo, & cum inferitur, ergo est in potentia obiectiva, nego consequentiam, & dico quod debet inferri, ergo est in potentia activa agentis, potentis producere nihil, unde non est necesse concedere potentiam aliam ab activa & passiva, potest etiam dici, quod est eadem potentia in genere, ita quod ante productionem est in potentia passiva materiae ex qua generanda est nix, & post productionem est in potentia passiva, quam proprie dicimus receptivam sive subiectivam respectu accidentis, quae tamen reducitur ad passivam.

Tertium est subiectum transmutationis, quod est materia dicit potentiam, & terminus a quo dicit potentiam. Quod enim sic procedit a potentia ad actum, sed potentia materiae quae est potentia passiva, non est potentia termini a quo, quia materia manet, terminus autem a quo non manet, ergo potentia termini a quo non est potentia passiva, nec activa ut patet, ergo obiectiva.

Ad hoc dicitur, ut habemus in 1. phisic. text. 78. quod terminus a quo est duplex, scilicet per se & per accidens, terminus a quo vel ex quo per se, est ipsa materia, quae intrat substantiam rei & permanet in re facta. Terminus a quo vel ex quo per accidens, est ipsa forma procedens quae abiicitur, vel privatio rei generandae adiuncta materiae, ex hoc enim quod materia est sub forma aquae, est privata forma ignis. Tunc ad argumentum concedo quod materia dicit potentiam, & terminus a quo per se dicit potentiam, quae est ipsa materia, & cum probatur quod non, quia materia manet & terminus a quo non manet, concedo de termino a quo per accidens, non autem de termino a quo per se, quoniam ille secundum philosophum est ipsa materia, ex qua per se aliquid fit & permanet in re facta. Sed nego, quod terminus a quo per accidens dicat potentiam, quoniam aut est forma abiicienda aut privatio, quorum neutrum est potentia, cum forma dicat actum & privatio negationem. Et si dicas, Quomodo ergo haec est vera, in generatione substantiae

ali ex ente in potentia fit ens actu. Respondeo, est vera in hoc sensu, ex materia quae est ens in potentia, ut recipit formam per actionem agentis, quae erat in potentia passiva materiae, fit ens actu, quod est ipsum compositum.

Patet igitur quod non cogimur ex doctrina philosophi ponere potentiam obiectivam distinctam realiter ab activa & passiva. Ad quam autem reducatur potentia resistiva, dico quod ad actum, quamvis distinguatur ratione ab activa, nam eadem potentia dicitur activa in quantum consumpit, vel remittit contrarium. Sed dicitur resistiva in quantum retardat actionem agentis contrarii. Haec de praesenti quaesito dicta sunt.

Quaestio 3, si potentia activa & passiva requiruntur distincta subiecta.

Patet igitur, quia est quidem ut una potentia facienda & patiendi, nam possibile est & habere ipsum potentiam patiendi & eo quod aliquid pari potest ab ipso. Text. 2. ubi & Commentator inquit, & intendit, quod non est necesse ut hoc principium sit in subiecto diverso a subiecto in quo est potentia passiva in loco.

In hac q. sic procedes. Primo declarabis quantum distinctio nem requirunt potentia activa & passiva in his, in quibus sunt. Secundo ponas conclusionem responsivam. Tertio solves quaedam argumenta, & declarabis quaedam dicta philosophi. Quantum ad primum advertet, quod non est necesse ea in quibus sunt potentia activa & passiva distingui supposito, potest enim idem suppositum agere in seipso, prout in una eius parte est in potentia activa, & in alia potentia passiva, & hoc modo animatum distinguitur in partem moventem & in partem motam, & manus percussit pectus, & cerebrum infirigidat stomachum, nec est necesse quod sint distinctae partes quae distinguantur sive, sive subiecto, potest enim idem respectu eiusdem partis agere in seipso, ut oculus causat visionem & recipit eam in seipso, & intellectus causat actum intelligendi, & recipit eum in seipso. Sunt enim actiones immanentes, quae sunt substantiae in agente, ut dicemus infra, est autem necesse quod vel sint in agente, ut dicemus infra, est autem necesse quod vel sint in eo distinctis suppositis vel distinctis subiectis, vel si sunt in eodem, necesse est ut est activum distinguatur realiter a seipso, ut est passivum sive receptivum. Nam licet oculus causet & recipiat visionem in seipso, non tamen causat eam, nisi ut actuatus

NONI METAPHY.

specie obiecti visibilis, recipit autem vt oculus est. Sed distinguuntur realiter oculus precise & oculus actiuatus specie, sicut minus & magis includens, sicut Sortes & Sortes albus. Idē dico de intellectu intelligente seipsum, intelligit enim se vt actiuatus, & recipit intellectionem in seipso precise.

Quantum ad secundum pono hanc conclusionem, licet in eodem & respectu eiusdem partis possit esse potentia actiua & passiuā, non tamen eodem modo, nec formaliter, id est, nec secundum eandem rationem. Hęc conclusio quo ad illas partes in eodem & respectu eiusdem, declarata est & concessa ab omnibus. Quo ad partes sequentes scilicet non eodem modo nec formaliter, concessa est etiam cōmuniter. Nam licet Ant. Andr. in lib. 9. q. 1. chimerizet, quod in eodem potest esse potentia actiua virtualis & potentia passiuā formalis, vt quādo forma ignis producit in igne genito leuitatem secundū ipsum, & quando aqua calefacta infrigidat seipsam, tamen non cōcedit posse esse in eodem respectu eiusdem potentiam actiuam formaliter, & potentiam passiuam formaliter, quoniam vt probabitur, sequeretur contradictio.

Hanc igitur conclusionem sic probo, sicut se habet agens ad patiens sic potentia actiua ad passiuam, est enim agens, quia ei in est potentia actiua, & est patiens, quia ei in est potentia passiuā, sed idem secundum idem & eodem modo, & formaliter esse agens & patiens est contradictio, ex diffinitione contradictionis, sequitur enim quod idem &c. sit agens & non agens, patiens & non patiens, ergo in eodem &c. esse potentiam actiuam & passiuam est contradictio.

Præterea si in eodem &c. ergo idem secundum idem & eodem modo & formaliter est similiter in potentia & in actu, quod est impossibile, cum potentia & actus sint opposita, quæ non se compatiuntur vniformiter in eodem propter sequelam contradictionis, cōtra patet, quoniam secundum quod aliquid habet potentiam passiuam est in potentia, & secundum quod habet actiuam est in actu, vnde vnumquodque agit in quantum est actu, & patitur in quantum est in potentia.

Præterea si &c. sequitur, quod in eodem se compatiuntur actu duo accidentia absolute distincta solo numero, acquiribilia per alterationem, quod est impossibile, vt probauimus in libro 5. in q. 18. consequentia sic probabitur, sit A. infrigidabile quod secundum se infrigidat seipsum, necesse est vt infrigidet

QVAESTIO III.

232

se in quantum habet potentiam actiuam infrigidandi, quæ formaliter non est nisi frigiditas, & infrigidetur à seipso in quantum à seipso recipit frigiditatem, & sic in eodem erit principium & terminus infrigidationis peracta infrigidatione. Tūc quarto, frigiditas quæ est principium infrigidandi, & frigiditas quæ est terminus infrigidationis, aut sunt eadem, aut distinctæ, non primum, quia nihil seipsum causat, ergo secundū, & sunt eiusdem speciei, vt patet, quoniam semper intelligo de frigiditate formali, ergo in A, erunt similiter duo accidentia absoluta eiusdem speciei &c. Huic cōclusioni non inuenio Cōment. nec sequaces eius contradicere. Nam licet Commentat. teneat in tertio cœli, comment. 28. & in 4. cœli, comment. 22. quod graue mouet seipsum, non tamen eodem modo sumptū, tenet enim quod forma grauis est mouens, & vt sic non est mota, vt autem est forma existens in materia est mota.

Quantum ad tertium aduerte, quod fortiora argumenta quæ sunt contra hanc determinationem, sunt ea, quæ format Antonius Andreas in libro 9. q. 1. ex quibus conatur probare, quod ea in quibus est potentia actiua & passiuā, non est necesse distingui realiter, sed sufficit distinctio formalis, verum quia huiusmodi argumenta recitat Paulus Sonc. & soluit Thomistica, declarans quomodo in omni exemplo & omni casu adducto ab Ant. Andr. seruetur distinctio realis inter agens & patiens, ideo nolo hic immorari, vide in Paulum. Tantum aduerte quædam dicta philosophi, quæ videntur repugnare determinationi factæ.

Primum est in libro 9. metaphysic. text. 2. vbi inquit. Quapropter in quantum simul natum est, nihil patitur ipsum à seipso, & in 1. de generatione. text. 48. facit hanc consequentiam, si simile à simili pari possibile est, & ipsum à seipso, patet autē quod reputant cōsequens impossibile, aliter ratio sua nihil valeret. & in 5. metaph. diffiniens potentiam actiuam & passiuam dicit, potestas dicitur alia quidē principium motus aut mutationis in diuerso in quantum diuersum, vt edificatiua potestas, quæ nō existit in edificato. Alia, scilicet passiuā à diuerso, in quantum diuersum, ex quibus patet, quod repugnat doctrine Arist. idem esse actiuum & passiuum, ex consequenti necesse est illud in quo est potentia actiua distingui & esse aliud ab eo in quo est potentia passiuā.

Ad hęc dico, quod philosophus in 9. metaph. & in 1. de gene-

NONI METAPHY.

ratione intendit, quod ipsum in quantum ipsum, id est, nullo modo diuersificatur, sed penitus eodem modo se habens non paritur à seipso. Quod nos concedimus, ut patet in probatione conclusionis responsivæ.

In diffinitione autem potentiæ actiue & passiue, non sumit diuersum, siue aliud pro distincto essentialiter, sed pro distincto realiter.

Quæ distinctio realis potest esse inter duo supposita, inter partem & totum, inter magis includens & minus includens, & dummodo seruetur aliquis horum modorum inter agens & patiens verificatur distinctio potentiæ actiue & passiue, quia ly diuersum siue aliud, stat pro distincto realiter aliquo modo distinctionis realis. Hæc de præsentis quæstio dicta sint.

Quæstio 4. Quot sunt potentiæ rationales ac liberæ,

Palàm quia & potentiarum aliarum erunt irracionales, aliarum cum ratione, Tex. 3.

Philosophus hic distinguit potentiâ actiua in rationalem, quæ & libera dicitur, & in irracionales, quæ & naturalis dicitur, & quantum in 3. de anima & in metaph. de potentiis rationibus perfunctarie tractat, ideo ut plenior habeatur de eis intelligentia, pertractabimus quæstia, ut infra, & primo querendum est de numero potentiarum rationalium,

In hac quæstione quæ de numero harum potentiarum parum habemus determinatum à philosopho, nam in 3. de anima, & in 9. metaphys. videtur indistincte loqui de potentiis liberis, parum distinguens inter voluntatem & intellectum practicum, sed quali in genere loquitur, quod potentia rationalis est oppositorum, licet autem à philosopho non habeamus expressum numerum potentiarum rationalium, tamen omnes expolitorum eliciunt ex doctrina philosophi, quæ sunt dux scilicet intellectus & voluntas. Ratio, enim libertatis est immaterialitas, & cum veraque potentia sit immaterialis, quia non organica, ergo veraque est rationalis & libera. Præterea, intellectus est ex se indeterminatus ad intelligendum A. & B. ut declarabitur infra, ergo est liber, cum possit in vtrunque, licet autem cõcordent in hoc quod tam intellectus quam voluntas sunt potentiæ rationales & liberæ, tamen discordant in modo libertatis, nam aliqui tenent, quod intellectus est liber solû radicaliter & originarie,

volunt

QVAESTIO IIIII

233

voluntas autem formaliter, aliqui tenent æqualitatem libertatis tam in intellectu quam in voluntate, aliqui tenent, intellectum esse magis liberum quam voluntas.

Ut ergo resoluamus præsentis quæstionem secundum viam Thomæ sic procedemus. Primo declarabimus, quod libertas radicaliter & originarie est in intellectu. Secundo, quod formaliter & complete non est in intellectu, sed in voluntate. Tertio, quod licet tam intellectus quam voluntas sint potentiæ rationales & liberæ, tamen voluntas est liberior intellectu. Quarto soluemus rationes eorum, qui tenent contra determinationem nostram.

Quantum ad primum aduerte, quod mens b. Tho. est ut patet in 1. par. q. 83. artic. 1. quod radix libertatis in homine: quæ potest in opposita, proueniat ex ratione, id est ex intellectu rationante, in quantum est indeterminatus & indifferens ad posse concludere de aliquo agibili, si debet fieri vel non, si hoc vel illo modo, si hac vel illa causa, si in hoc vel illo tempore, possunt enim intellectui presentari diuersa, & secundum vnum iudicabit sciendum, secundum aliud non, ut patet in his de quibus quarimus consilium, & quoniam actus voluntatis subsequitur iudicium & determinationem factam ab intellectu, ideo ab intellectu, ut à prima radice prouenit tam necessitas quam libertas in voluntate, nam si intellectus cõcludit hoc simpliciter & absolute sciendum, puta quod Sortes cadens in manu volentis ipsum occidere, debet conari ad occisionem illius ut seipsum liberet, voluntas determinatur & specificatur ad illud, si autem diuersa iudicia facit propter diuersas circumstantias, voluntas libere tendit in hoc vel illud vel in suum oppositum, & propter hoc rationabiliter ponimus radicem libertatis esse ex indifferencia vel diuersitate iudicii, quam facit intellectus de agendis contingentibus, & hoc insinuat b. Thomas in 1. parte. q. 83. ar. 1. vbi inquit, quia ratio circa contingencia habet viam ad opposita, ut patet in dialecticis syllogismis, & rhetoricis persuasionibus, particularia autem operabilia sunt quedam contingencia, ideo circa ea iudicium rationis ad diuersa se habet & non est determinatum ad vnum, & pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod est rationalis, id est discursus in agendis.

Quantum ad secundum aduerte, quod completa potentia rationalis & libera libertate contradictionis, de qua hic pro-

G

NONI METAPHY.

prie intendimus, prout scilicet potest in opposita contraria vel contradictorie, quatuor conditiones requirit. Primo quod non possit cogi, liberum enim posse cogi, est liberum non esse liberum.

Secundo, quod non necessitetur absoluta necessitate, vnde voluntas respectu summi boni non est potentia libera libertate in opposita, intellectus respectu primorum principiorum. Tertio quod non habeat causam mouentem intrinsecam in genere cause efficientis necessitatem ipsam ad agendam. Quarto quod sit motiua omnium aliorum potentiarum & sui ipsius ad agendum.

Ex his 4. conditionibus, prima & secunda conueniunt intellectui, quo ad considerationem, circa agibilia contingentia, quæ non habent necessariam connexionem ad finem consequendum. tertia autem & quarta, non conueniunt intellectui, sed voluntati. Nam licet intellectus sit motiua voluntatis in genere cause finalis prout præsens obiectum sic vel sic volubile, puta contingenter vel necessario, tamen voluntas est motiua effectiue intellectus, & aliarum, potentiarum, & sui ipsius, ad agendum.

Ex quibus habetur quod licet intellectus per primam & secundam conditionem sit prius liber voluntate, quia per notitiam intellectus regulatur voluntas, tamè complete & formaliter voluntas sola est libera, quoniam ratio libertatis non completur, nisi per esse motiuum effectiuum sui & aliarum potentiarum, quod conuenit soli voluntati, licet igitur radicaliter & originatiue intellectus sit liber, non tamen complete & formaliter, sed id conuenit soli voluntati.

Quantum ad tertium aduerte, quod patet ex 2. nam cum ex 4. conditionibus prædictis integretur completa & formalis libertas agendi in opposita, & omnes conueniant voluntati, & tantum duæ primæ intellectui, constat quod licet radicaliter intellectus sit prius liber, nõ tamen magis, vnde si quaratur, quæ potentia sit absolute libera & formaliter, respondeatur, quod est sola voluntas, quæ se habet vt regina in toto regno animæ.

Quantum ad quartum aduerte, quod tria determinauimus primo quod intellectus radicaliter est liber etiã præcise sumptus, & non solum vt connexus voluntati, secundo quod intellectus licet sit prius radicaliter liber, non tamen prius forma-

QVAESTIO IIII.

234

liter, sed id conuenit soli voluntati, tertio quod voluntas est inferior intellectu.

Contra primum videtur esse Ant. And. in 9. meta. q. 2. qui de mente Scoti tenet, quod intellectus in se consideratus & respectu proprii actus, qui est intelligere, est potentia irrationalis, id est naturalis, eo quod est de se determinatus ad intelligendum, & non habet in potentiate sua intelligere & non intelligere, assentire & non assentire proposito obiecto, & sic in doctrina Scoti intellectus in se consideratus nõ est potentia rationalis nec libera radicaliter ne formaliter & ratio huius secundum Sco. est hæc. Quicquid intellectus intelligit ante actum volutatis, id est ante electionem naturaliter intelligit, ergo ante actum voluntatis nulla est libertas in intellectu.

Respondetur in actu intelligendi qui est circa agibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad finem vniuersalem, quod est est summum bonum, & respectu quorum ponimus libertatem radicalè, in intellectu tria possunt considerari. Primo obiectum præsens motiuum intellectus, & hoc est naturale, quia est motiuum naturaliter ipsius intellectus ad intellectionem, sicut obiectum visibile præsens visui, mouet naturaliter visum ad videndum. Secundo productio ipsius actus intelligendi, & hæc etiam est naturalis. Tertio iudicium ipsius intellectus super tale obiectum agibile de fiendo, vel non de sic fiendo, vel non de fiendo in tali tempore, vel non, & sic de aliis circumstantiis, & hoc non est naturale, id est determinatum, quoniam intellectus circa huiusmodi, agibilia potest diuersimode concludere affirmatiue & negatiue.

Nam de medecina tali sumenda ab infirmo secundum vnã circumstantiam concludet affirmatiue, secundum aliam negatiue. Ex his patet, quod ratio Scoti non concludit, quoniam concessio quod quo ad primum & secundum, actus intelligendi sit naturalis, & respectu primi ac secundi nulla sit libertas in intellectu, tamen negatur antecedens, quo ad tertium, respectu cuius ponitur libertas radicaliter in intellectu ante actum voluntatis. Contra secundum arguunt quidam conatè, ostendentes, quod aliquis actus intellectus est prius & principaliter liber, quàm aliquis actus voluntatis, ex consequenti intendunt inferre, quod intellectus est formaliter liber, & prius quàm voluntas. Sic igitur arguunt. Per duos actus sumus domini aliorum actuum in nobis. Primus est cognitio intellectus de non neces-

NONI METAPHY.

faria connexione aliquorum in particulari volubilitate in ordine ad finem. Secundus est actus voluntatis, quæ non necessario vult hoc aut illud cognitum ab intellectu non habere necessariam connexionem ad finem.

Sed per primum regulatur voluntas & non e converso, quoniam si intellectus concludit, quod hoc puta medicina reubarbari est necessaria ad consequendum sanitatem, & concludat iudicio completo & ultimato, voluntas necessario tendit in illud. Si autem concludit quod non est necessaria voluntas, libere tendit in illud: ergo primus actus formaliter liber, est actus intellectus, qui dicitur indicium de agibili, vel conclusio consilii.

Respondeo & dico, quod arg. non concludit intellectus esse prius formaliter liberum, sed prius radicaliter, nam ut diximus supra, non stat libertas formaliter in aliqua potentia, ex eo quod regular & dirigit voluntatem, sed ex eo quod est motiva effectiue aliarum potentiarum, & quia id conuenit soli voluntati, ideo sola est formaliter libera. Ad arg. igitur, si intendit concludere prioritatem libertatis radicalis in intellectu, conceditur totum, quia non idem tenemus, si autem intendit de prioritate libertatis formalis, negatur consequentia.

Contra tertium quidam conantur probare, voluntatem non esse magis liberam intellectu, & arguunt sic, conditiones sufficientes ad hoc quod potentia sit perfecte libera, sunt tres. primo, quod sit potentia immaterialis & hæc conceditur ab omnibus, secundo quod habeat obiectum vniuersale, & hæc similiter conceditur, tertio quod indifferenter se habeat ad contenta particularia sub illo obiecto vniuersali, & hæc similiter conceditur.

Sed istæ conditiones ita & æque perfecte conueniunt intellectui, sicut voluntati, nam vtraque est potentia immaterialis non alligata organo, & vtriusque obiectum est vniuersale, obiectum enim intellectus est ens siue verum, voluntatis autem est bonum, & sicut intellectus licet necessario tēdat in verum, tamen non necessario assentit huic conclusioni vel illi, nisi deducatur euidenter ex primis veris, sic licet voluntas necessario tēdat in bonum, quia quicquid vult, vult sub ratione boni, tamen non necessario adheret huic vel illi bono, nisi constet quod habet necessariam connexionem ad vltimum finem. Cum igitur istæ conditiones æque perfecte conueniant intellectui & voluntati, erunt potentia æque libera.

QVAESTIO IIII.

235

Respondetur, isti decipiuntur in sufficientia conditionum potentia perfecte libera, nam vltra tres assignatas, duæ alie requiruntur, primo quod talis potentia non possit necessitari, ut exeat in actum, secundo quod sit motiva effectiue aliarum potentiarum, & has duas habet voluntas supra intellectum, & non e converso, nec valet dicere, quod sicut voluntas mouet intellectum, sic & e converso, quoniam non sunt motiones eiusdem rationis, nam intellectus mouet voluntatem in genere causæ finalis, proponendo obiectum, voluntas autem mouet intellectum in genere causæ efficientis imperando, ut intelligat, & in hac motione effectiua perficitur libertas. Præterea, intellectus quo ad agibilia non habentia necessariam connexionem ad finem concludendum est indeterminatus ex parte obiecti, quia potest concludere hoc vel illud sciendum, vel non, voluntas autem circa huiusmodi est indeterminata ex parte obiecti & subiecti, obiecti quidem, quia potest velle hoc & velle illud, & non hoc, subiecti vero, quia non potest necessitari ab intellectu, ut exeat in actum, ipsa autem potest necessitare intellectum ad considerandum, unde patet, quod est magis libera, & si dicas, concludat intellectus quod nunc est amandum A, & quod necesse est ipsum nunc amare, & hoc sit completum & ultimatum iudicium intellectus, ergo voluntas necessitabitur ab intellectu, ut exeat in actum amandi ipsum A.

Respondeo & dico, quod casus non conceditur nisi intellectus ostēdat voluntati ipsum A, ut summum bonum euidentia clarissima, quod non potest fieri in hac vita.

Et si dicas, pono quod intellectus faciat iudicium falsum, tamen apparet sibi verum, scilicet quod in A, puta in tyrannide est summa felicitas ergo voluntas necessitabitur ad actum volendi & desiderandi tyrannidem.

Respondeo & dico, quod posito illo casu, non necessitatur ab intellectu, sed à seipsa interpretatiue, quoniam non representat intellectum, ne tale iudicium faceret, nunc autem loquimur de motione intellectus præcise, quam potest habere pro hac vita supra voluntatem. Nam potest voluntas moueri multipliciter, aliquando enim ab appetitu inferiori, aliquando à seipsa præstante occasionem intellectui vel potentia extrinsecæ, quod sic vel sic proponant obiectum ad quorum propositionem seipsam indirecte necessitat ad actum. Hæc de præcise quæstio dicta sunt.

NONI METAPHY.

Quæstio 5. si potentia rationales possunt in opposita, irrationales vero non.

In hac questione aduerte, quod difficultas non stat in probando, quod potentia rationales possunt in opposita, hoc enim euidentis est, & concessum ab omnibus, vt pote clarum in textu tertio, huius libro vbi inquit philosophus, & quæ quidem cum ratione omnes contrariorum sunt eadem, & quæ irrationabiles vna vnius, vt calidum calefaciendi solum, medicatiua autem sanitaris & infirmitatis. Sed difficultas stat in assignando modum proprium agendi opposita, quo distinguitur potentia rationales actiua à potentiis irrationabilibus, id est, naturalibus actiuis, nam posse in opposita, videtur etiam competere potentia naturali, videmus enim solem indurare lutum & mollificare ceram, & scammoneam calefacere & corpus infrigidare, nec valet si dicatur, quod potentia rationalis potest in opposita per se, naturalis autem in vnum per se, & in suum oppositum per accidens. Hoc inquam non videtur valere, quia philosophus in text. 3. declarans modum, quo potentia rationalis est contrariorum, inquit. Quare necesse & tales scientias esse quidem contrariorum, scilicet factiua, esse vero huius quidem secundum se, illius vero non secundum se, & enim ratio huius quidem secundum se, illius vero quodam modo & secundum accidens, hæc philosophus, ergo potentia rationales non distinguuntur à naturalibus, ex hoc quod possunt in opposita per se. Vt igitur inueniamus veram differentiam inter eas, sic procedes. Primo declarandum est vnde sumitur vera differentia inter potentialem rationalem & irrationalem. Secundo declarandum est, vnde habent potentia rationales, quod possunt in opposita modis quibus dicemus, naturales autem non, sed sunt determinatæ ad vnum. Tertio si possunt in opposita pro eodem instanti. Quarto à quo determinatur potentia rationalis ad alterum oppositorum. Quinto soluetur dubium.

Quantum ad primum aduerte, quod sufficiens differentia inter has potentias notificatur ex quatuor. Primo potentia rationalis potest in opposita contrariæ vel contradictoriæ, respectu eiusdem subiecti, nam medicus arte medicina potest sanare Sortem, & facere ipsum ægrotare, & in potes amare & non amare Platonem, potentia autem naturalis non potest in opposita, nisi respectu diuersorum, nam sol non potest indurare & mollificare lutum, nec potest sui præsentia illuminare &

QVAESTIO V.

236

non illuminare aerem. Secundo potentia rationalis pro eodem instanti licet diuisim, vt dicemus infra, potest in opposita. Hoc autem nõ potest potentia irrationalis, quia principium actionis suæ est qualitas naturalis, quæ sicut quædam natura est determinata ad vnum. Principium autem actionis in potentia rationali est scientia siue cognitio, quæ sicut cognoscuntur opposita, sic possunt agi. Tertio potentia rationalis præsentato & proximito suo obiecto & remoto omni impedimento, potest agere & non agere in ipsum, vt Sortes præsentato cibo & non impeditus, & famelicus potest velle comedere & nolle, & non velle, potentia autem irrationalis præsentato obiecto & debite approximato, non potest non agere in ipsum deducto omni impedimento. Quarto, potentia rationalis potest in opposita per se, licet non æque primo. Sed in vno prius & in alio posterius, vt medicus arte medicina potest prima intentione sanare Sortem, & secundaria facere ipsum ægrotare. Nam sicut ars medicina est per prius cognoscitiua sanitaris, quæ se habet vt habitus, per posterius autem infirmitatis, quæ se habet vt priuatio, sic per prius est factiua sanitaris, & per posterius oppositi, potentia autem irrationalis nec prius nec posterius potest per se in opposita, sed si potest, potest in vnum per se, in alterum per accidens, vt ignis tantum per se calefacit, per accidens autem ex operatione pororum fragescit, nec obstat quod dicit philosophus in text. 3. tales quidem scientias esse contrariorum, esse vero huius secundum se, illius vero nõ secundum se, per ly secundum se intendit per prius siue de prima intentione, & per ly non secundum se intendit per posterius, siue de secunda intentione, & quod sit hæc mens sua parer, ex eo quod subiungit, & enim ratio huius quidem secundum se, illius vero quodam modo & secundum accidens, vnde aduerte, quod per accidens dupliciter sumitur, primo vt idem est quod non secundum primam intentionem, & sic verificatur in potentia rationali, quod potest in alterum oppositum, quod habet rationem priuationis, & rationem huius iam diximus esse, quia sicut diffinitio sanitaris primo facit cognoscere sanitatem, secundo ægritudinem, sic ars medicina primo est factiua sanitaris, secundo ægritudinis, & ly secundario explicat philosophus, per non secundum se, & per ly per accidens, & b. Tho. loco ly non secundum se, exponit per posterius, secundo sumitur ly per accidens, id est, præter naturam rei, sed aliquo alio facto sequi

NONI METAPHY.

tur talis effectus, & sic verificatur de potentia irrationali, nam ignis vt calidus, neque prima neque secunda intentione potest frigidificare, & tamen aliquo alio facto per se ab igne, puta facta calefactione & apertione pororum sequitur frigidificatio, quæ est effectus pure per accidens, respectu ignis calidi. Patet igitur ex his vera differentia inter potentias rationales & irracionales.

Quantum ad secundum dico, quod non aliunde habent nisi ex natura sua, & non est querenda alia causa intrinseca, vnde sicut ista est per se in secundo vel quarto modo, calidum calefacit, sic hæc est per se potentia rationalis potest in opposita: potentia irrationalis est tantum ad vnum oppositorum. Sic enim exigir natura earum. Tu tamen aduerte, quod si queratur particulariter de potentia perfecte libera, quam diximus esse voluntarem in via b. Tho. respondere possumus, ideo esse liberam quia sequitur cognitionem intellectus, qui non determinatur nec arctatur ad vnũ genus intelligibilem, sicut arctatur sensus ad vnum genus sensibilem, sed indifferenter se habet ad diuersa genera intelligibilia, ita quod potest intelligere hoc & illud, ideo in q. precedenti posuimus radicem libertatis ex parte intellectus. Si autem queras quo formaliter voluntas est libera, dico quod se ipsa, id est, secundum essentiam suam, ita quod libertas sua nõ dicit aliquid additum voluntati, nec actũ nec habitum nec proprium accidens, sed sunt idem realiter, ita quod eadem potentia quæ vt vult finem dicitur voluntas, vt vult mediã ad finem, quæ potest diuersimode velle, dicitur potentia libera, nam respectu mediõrum potest velle hoc & velle illud, & non velle, stante volitione finis. Sicut infirmus potest velle hanc medicinam & non velle, vel velle oppositam, stante volitione sanitatis. Et quidem quod voluntas seipsa sic libera manifestat b. Tho. in prima parte, quæst. 83. artic. 4. nam sicut in parte animæ cognoscitiuæ se habet intellectus ad esse ratiocinatum, sic in parte appetitiuæ se habet voluntas ad esse liberum. Constat autem quod intellectus noster ex sui natura est ratiocinarius & non ex aliquo superaddito, & sic voluntas ex sui natura est libera & sicut inter intellectum & rationem non est distinctio nisi rationis, pro quanto dicitur intellectus, vt simpliciter fertur in obiectũ & dicitur ratio vt discutit tendit in obiectum, sic nec inter voluntatem & liberum arbitrium est distinctio, nisi rationis. Dicitur enim voluntas vt

QVAESTIO V.

237

vult finem. Dicitur liberum arbitrium vt est electiua mediõrum ad finem. Patet igitur quod potentia rationalis non aliunde habet, nisi ex natura sua, quod potest in opposita. Similiter quod potentia irrationalis sit determinata ad vnum, nõ habet ex aliquo sibi superaddito, sed ex natura sua.

Quantum ad tertium aduerte, quod licet omnes concedant præcipue Ant. And. in lib. 9. q. 2. & Herueus in 2. quoli. q. 1. quod potentia rationalis potest in opposita pro eodem instanti, cuius ratio est, quia ex natura sui est indeterminata, pro quocũq; instanti, & antequam determinetur ita potest in hoc oppositum sicut in illud, & postquam est determinata & agit alterum oppositorum, licet non possit simul determinari & agere alterũ oppositum, tamen semper dicitur posse in opposita pro eodem instanti, quia est talis nature, quod pro eo instanti pro quo fuit determinata ad A. potuit determinari ad B, quod non datur in potentia irrationali, nam ignis ita est determinatus ad calefaciendum, quod non potest determinari ad oppositum, tamen difficile est salutare hanc conclusionem, nam si pro eodem instanti potest in opposita, cum in eodem instanti nõ derur prius & posterius, sed simultas, videtur necessario sequi, quod possit simul in opposita, quod est falsum, vt patet, aliter contradictoria possent esse vera, puta quod Sortes sederet & non sederet, vel contraria possent esse simul in eodem, puta quod Sortes amat & odit Platonem, ergo & antecedens est falsum. Consequencia probatur, quia habens potentiam, potest in illud cuius est illa potentia, ergo habens pro hoc instanti potentiam ad opposita, potest pro hoc instanti in opposita, sed in hoc instanti non datur prius & posterius, ergo potest simul in opposita.

Sed aduerte, quod Arist. in libr. 9. in text. 10. responderet huic difficultati & dicit, non enim ita simul habent ipsõrum, scilicet contrariorum potentiam, nec est simul faciendi potentia, quasi dicat potentia rationalis non est oppositorum simul agendorum, sed est quia potest determinari, tam ad hoc, quàm ad illud, & in hoc distinguitur à potentia irrationali, quæ quando exit in actum, exit determinate in hoc, ita quod non potest determinari in oppositum.

Sed adhuc instatur, sumo potentiam rationalem determinatam in hoc instanti ad A. & quero, si pro hoc instanti potest in B. aut non, si sic, ergo potest simul in A. & in B, si non, ergo non pro quolibet instanti potest in opposita.



NONI METAPHY.

Respondetur & dico, quod potest in b. & ad consequentiam dico, quod ly simul potest dupliciter accipi. Primo vt determinat actum & sic nego consequentiam, impossibile est enim contrarios actus esse simul in eodem. Secundo vt determinat potentiam, & sic concedo consequentiam, sensus enim est quod eadem potentia simul, id est, pro eodem instanti potest in opposita, non in sensu composito, sed diuiso. Quod est dictum, licet potentia rationalis vt est sub A, non possit esse sub B, quod est oppositum ipsi A, quia res dum est, necesse est esse, tamen potentia considerata in natura sua potest in A, & in B, quoniam cum ex natura sua semper sit libera, non repugnat sibi posse in opposita. Et aduerte quod distinctionem quam fecimus de simul, inquit Comment. in 1. c. 2. 1. comment. 119. vbi inquit. Duplex est similitudo, scilicet similitudo potentiarum, quae est vera, quam & philosophus concedit in 9. lib. metaph. text. 19. Dicit enim, posse quidem contraria simul existi & potentia simultatis, & haec est impossibilis, quoniam respicit actus incompensabiles contrarios, & hanc etiam negat philosophus in 9. metaph. eodem text. vbi loquit. Contraria vero impossibile simul existere. Pater igitur quomodo potentia rationalis potest in opposita pro eodem instanti, & quomodo non.

Quantum ad quartam aduerte, quod potentia rationali loqui possumus, vel de intellectu, quem diximus supra, esse potentiam liberam radicaliter. Vel de voluntate, quae est complete & formaliter libera, si loquimur de intellectu, est sententia philosophi, quod determinatur à voluntate, seu ab electione, quae est actus voluntatis. Vnde inquit in text. 10. necesse, ergo alterum aliquid esse quod proprium est. Dico autem hoc appetitum aut probare sim. Vbi Comment. sic exponit. Ergo necesse est, vt in istis sit principium, prius potentiam mouentibus, quae sit causa in hoc, quod agunt, alterum contrariorum quandoque, & alterum quandoque, & vniuersaliter necesse est, vt aliquid sit, quod faciat magis agere alterum contrarium, quam alterum, & hoc est verum principium, & hoc est appetitus & voluntas, quae est ab intellectu, id est, electio, appetitus enim cum fuerit alterius contrariorum, tunc actio agentis pendet ex illo contrario, & similiter à voluntate. Ista enim potentia non agunt de contrariis, nisi illud quod magis appetunt, aut appetitu intellectus, aut appetitu imaginationis, haec Commentator, & confirmatur propositum ratione. A causa indeter-

QVAESTIO V.

238

minata non procedit determinatus effectus, nisi ab aliquo determinetur. haec patet ex se, vnde videmus, quod causa vniuersalis & indeterminata non producit determinatum effectum, nisi per causam proximam & determinatam determinetur, puta Sol qui est causa vniuersalis horum inferiorum, non producit effectum talis vel talis speciei, nisi determinetur per generatiam particulariam, vt Sol & homo generant hominem. Sed intellectus qui est potentia rationalis, est causa indeterminata ad intelligendum hoc vel illud, ergo necesse est vt determinetur ab aliquo, vt determinate intelligat hoc vel illud, vel magis hoc quam illud. Hoc autem determinans non est nisi voluntas & electio, quoniam vt diximus supra, voluntas est motiua intellectus & aliarum potentiarum ad actum suum in genere cause efficiētis. Si motiua ad actum, ergo determinatiua, quare &c. Si loquimur de voluntate, aduerte, quod in hoc est discrepantia inter viam Scoti & viam b. Tho. Nam Ant. Andr. de mente Scoti vt patet in libro 9. metaph. q. 2. tenet, nullum extrinsecum determinare voluntatem, sed ipsa seipsam determinat, quod declarat assignans duplicem indeterminationem, vna quidem est ex insufficientia, quae est ex potentialitate & defectu actualitatis. Sicut materia non habens formam est indeterminata ad actum formae. Alia est ex superabundantia sufficientia, quae est ex illimitatione actualitatis, vel simpliciter vel quoddammodo, primo modo indeterminatum non reducitur ad actum, nisi prius determinetur per formam ab alio, secundo modo indeterminatum potest seipsam determinare, alioquin Deus qui est summe indeterminatus ad quamcunque actionem, indeterminatione illimitationis non posset aliquid agere, quod est falsum. Indeterminatio autem quae ponitur in voluntate, nec est materialis, nec imperfectionis, in quantum ipsa est actus, sed est excellentis perfectionis & potentiae aequaliter illimitatae non alligatae ad determinatum actum, & ideo potest seipsam determinare. Haec est opinio in via Scoti, cui contradicit via nostra, quam intendo declarare & probare, deinde soluere fundamenta Ant. And. quibus motus est ad ponendum voluntatem determinare seipsam ad alterum oppositum.

Tu igitur aduerte secundum doctrinam b. Tho. in 1. parte q. 82. art. 4. quod voluntas respectu mediorum, quae non habent necessariam connexionem ad finem volitum, determinatur ab intellectu ratiocinante & concludente hoc esse agendum & non

NONI METAPHY.

faum oppositū, vel magis hoc quā illud, cuius ratio est, quia cum voluntas sit potentia appetitiua, & nullo modo cognoscitiua, indiget dirigi & regulari in hoc vel illo obiecto appetendo, ab intellectu apprehendente obiectum sub ratione boni vel mali, vel sub ratione maioris aut minoris boni, aliter ita appeteret minus bonum, sicut maius, necesse est ergo, vt determinetur ab intellectu iudicante & proponente voluntati, quid eligendum sit vel non. Aduerte tamen quod hanc determinationem intellectus supra voluntatem ponimus quo ad specificationem actus, & non quo ad exercitium. Quod sic intelligas, intellectus non determinat voluntatem ita quod moueat eam effectiue ad eliciendum actum affirmatiuum, qui est velle, vel actum negatiuum, qui est nolle, circa tale obiectum presentatum sibi ab intellectu. Ipsa enim respectu sui actus semper est libera, & potest illum suspendere, vt alias dicemus. Sed determinat quo ad specificationem actus, id est, si voluntas vult elicere actum circa obiectū presentatū, vel erit velle respectu boni vel erit nolle respectu mali, ita quod non potest respectu boni habere nolle per se, nisi respectu alicuius adiuncti per accidens, puta propter difficultatem, aut propter maius inconueniens vitium, nec respectu mali potest habere velle, nisi presentetur vt apparens bonum.

Verum quia inconueniens videtur, quod si duæ potentie sint ex se indeterminatæ, se mutuo determinent, ideo aduerte, quod licet hoc sit inconueniens in eodem genere causæ, non tamen in diuerso genere. Sic contingit in proposito. Quoniam intellectus determinat & mouet voluntatem in genere causæ finalis, proponit enim voluntati obiectum cognitum sub ratione boni, ad quod inclinatur voluntas. Sed aduerte quod respectu eorum quæ sunt ad finem, necesse est vt proponat sub ratione maioris & minoris boni, nam si proponeret duo penitus æqualia in omni circumstantia vt æque bona, remaneret voluntas indeterminata, & ad neutrum se inclinaret. voluntas autem determinat intellectum in genere causæ efficientis, puta imperando, vt hoc intelligat nunc & non illud, vel hoc intensius quā illud. Hinc patet quod fundamenta Ant. Andr. nihil sunt. Dicit enim quod indeterminatio voluntatis non est ex defectu actualitatis, qualis est indeterminatio materiæ primæ, sed est ex superabundanti sufficientia &c. Hoc inquam non valet, quoniam voluntas præcise sumpta non est sufficiens principium agendi

QVAESTIO V.

239

nec eliciendi actum suum, nisi actuetur bono cognito apprehenso per intellectum, ergo hæc indeterminatio non arguit superabundantem sufficientiam voluntatis quocunque alio remoto. Et quando probat intentum suum ex illa consequentia. Alioquin Deus &c. negatur consequentia, quoniam non est eadem comparatio voluntatis diuinæ ad actum & obiectū suum, & voluntatis creatæ ad actum & obiectū suum, nam in Deo voluntas & actus eius idem sunt, ideo non est necesse eam ab alio determinari, nec voluntas Dei perficitur aliquo volito extra Deum, & ideo illa indeterminatio in Deo arguit omnimodā sufficientiam. vtraque autē conditio, vt patet deficit in voluntate creatæ, & ideo merito negatur consequentia.

Quantum ad quintū aduerte, quod ex determinatis, videtur sequi processum in infinitū in intelligere & velle, ita quod non erit status in aliquo primo intelligere, nec primo velle, nam ex determinatis quocunque velle præcedit aliquod intelligere, quia voluntas non fertur incognitum, ergo primum velle præcedit aliquod intelligere. & quocunque intelligere præcedit aliquod velle, quia intellectus non exit in actū, nisi moueatur effectiue à voluntate, voluntas autem mouet per velle, ergo primum intelligere præcedit aliquod velle, ergo ante primum velle datur prius velle. Et non datur hoc prius velle nisi per aliquod intelligere, ergo ante primum intelligere datur prius intelligere. Et sic patet quod si voluntas determinat & mouet intellectum, & intellectus determinat ac mouet voluntatem, erit processum in infinitum in volitionibus & intellectionibus, quod est impossibile.

Pro solutione huius dubij aduerte, quod in doctrina b. Tho. vt vitemus processum in infinitum, necesse est vt reducamus primam apprehensionē intellectus practici, quæ est de vltimo fine non in voluntatē sed in primū mouēse exteriori, qui est Deus, & id manifeste dicit in 1. parte q. 82. art. 4. ad tertium, similiter primam volitionem quæ est de vltimo fine reducimur, non in intellectum simpliciter, sed in Deum, sicut & primam apprehensionem, & id clare dicit in prima secundæ q. 9. art. 4. Vt igitur pateat talis reductio. Primo declarabimus de prima apprehensione. Secundo de prima volitione.

Quantum ad primam apprehensionem dico cum Arist. in lib. de bona fortuna, ibi. Aut est aliquod principium, cuius non est aliud extra ipsum &c. quod causa huius reductionis est ordo

NONI METAPHY.

inter mouentia & mota, siue inter ipsos motus, videmus enim omnes motus corporeos reduci ad primū, & omnia mota corporea ad primum mouens, ergo proportionaliter omnes motus intellectuales ad primum, qui est diuina intellectio, & omnia intellectum secundū, ad intellectum primum, & propterea Arist. illic reducit intelligere & consiliari in Deum, vt in primū, quod & probat triplici ratione. Primo, quia Deus semper actu intelligit, ergo potest mouere intellectum nostrum, vt nunc intelligat, & intelligat hoc, & deinde illud, & incipiat ab hoc, puta ab vniuersali bono, & potest facere impetum in anima nostra, vt sic consiliemur, & sic eligamus. Secundo, quia sicut Deus est motor vniuersalis in mundo, quo ad motus corporeos, sic cōuenit vt sit motor vniuersalis in animis & in mūdo intellectuāli, qui est creatura intellectuālis, vnde inquit. Mouet enim aliquo modo omnia. Tertio quia principiu rationis non est ratio, nec scientia scientia, nec consilij consilium, nam esset processus in infinitum, ergo aliquid melius ratione, hoc autem Deus, inquit Arist. vnde concludit illic, quod intellectus se habet ad Deum, sicut organum ad primum agens, ergo sicut omnis virtus & actio organi pendet à principali agente, sic omnis virtus & actio intellectus pendet à Deo. Conneccio igitur & ordo seruandus inter motus duxit Aristotel. ad positionem huius reductionis quam b. Tho. acceptat in 1. parte vbi intellectioibus nostris, sed est deuenire ad primū, cuius causa motiua intellectus non est voluntas, sed Deus, vt primus intellectus.

Quantum ad primam volitionem que est volitio vltimi finis, dico ex doctrina b. Tho. in prima secundæ q. 9. art. 4. quod eadem ratione qua prima apprehensio reducit in Deum secundum Aristot. in libro de bona fortuna, reducat & prima volitio, quia scilicet omne agens aliquādo in potētia aliquādo in actu, indiget moueri ab agente primo, quod semper est actu. Sed intellectus & voluntas, nostra aliquādo sunt in potētia, aliquādo in actu, ergo &c. Reductio autem primæ volitionis in Deum, potest imaginari fieri duobus modis. Primo quod reducat mediāte prima apprehensione, ita quod Deus moueat quo ad exercitium ipsum intellectum ad apprehensionē summi boni, & intellectus apprehendens summum bonum & primum appetibile offerat illud voluntati, & voluntas

QVAESTIO V.

240

inclinat se ad illud per actum suum, qui est volitio, & hoc modo tam prima apprehensio quam prima volitio reducantur in Deum. Sed prima apprehensio immediate, prima autem volitio mediāte prima apprehensione. Aliæ vero apprehensiones & volitiones non reducantur in Deum, nisi vt in causam agētem vniuersalem coagentem cuiuslibet causa secundū modum naturæ suæ, nam in aliis apprehensionibus mouetur intellectus per imperium voluntatis, iam actaate prima volitione qua vult vltimum finem, & voluntas in aliis volitionibus mouetur ab intellectu offerente sibi hoc vel illud medium quod est bonum ad finem, quod intellectus apprehendit imperante sibi voluntate.

Secundo potest imaginari fieri hæc reductio in Deum immediate, sed alia & alia ratione, nam in prima apprehensione mouet Deus intellectū in genere causæ efficiētis, quia impellit & excitat ipsum ad primū actum intelligendi practicum, puta ad considerandū summum bonū, & sic prima apprehensio est illicitiue ab intellectu, & impulsiuæ siue excitatiue à Deo. In prima autem volitione Deus mouet voluntatē in genere causæ finalis, id est, eo modo quo intellectus scilicet proponendo sibi bonum summum & in tali motione ac propositione, Deus supplet vicem intellectus & talis propositio obiecti, constituit voluntatē in actu primo, & sic constituta producit in se volitionem primā, ex his duobus modis reputo primum esse magis consonū doctrinæ b. Tho. nam per primū modū saluatur subordinatio voluntatis ad intellectū, vt suum ordinariū motiuum in genere causæ finalis, & sic saluatur, quod omnis volitio etiā prima reducit ad apprehensionē præcedentē sed non econuerso, quia prima apprehensio non reducit ad velle præcedēs, sed ad Deū vt diximus, & hæc est doctrina b. Tho. in 1. parte q. 28. art. 4. ad tertium, vbi inquit, non oportet procedere in infinitum, sed statim in intellectu, vt in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio. Sed nõ omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis. Sed principium consiliandi & intelligendi est aliquod intellectiuum principium alcius intellectum nostrum, quod est Deus, vt etiam dicit Arist. in libro de bona fortuna.

Ex his responderetur ad argumentū, & negatur cōsequētia, ad propositionem cōcedo, quod omne velle præceditur ab aliquo intelligere, & etiam primū velle, quia repugnat volūtatē ferri

NONI METAPHY.

in penitus incognitum. Sed nego quod omne intelligere præcedatur ab aliquo velle, quod sit voluntatis nostræ, quonia primū intelligere nostrum reducitur in Deum, vt in primū intellectum, & cū arguitur, quia ex determinatis intellectus non exit in actum, nisi moueatur effectiue à voluntate, voluntas autē non mouet, nisi per velle, ergo omne intelligere præceditur ab aliquo velle. Responderetur, quod antecedens non verificatur nisi in intellectibus secundis, & quando nō determinauimus, voluntatem determinare ac mouere intellectum, intelligimus quo ad apprehensiones sequentes apprehensionē primā, quæ sunt circa media consideranda, quibus consequamur summum bonum apprehensum primā apprehensione, & volitum primā volitione. Patet igitur quod nō est necesse procedere in infinitum in apprehensionibus & volitionibus. Hæc de præsentī quæsitō dicta sint.

Quæstio 6. Si potentia rationales sunt actiua, vel mere passiua.

In hac q. aduerte, quod ex varietate opinionum difficilis est ad resoluendum, ne autem ex multiplicitate opinionum cōfundaris, sic procedes, sequendo viam, in qua cōcordant b. Tho. & Scot. & reputatur esse ad mentem philosophi & Comment. pones primo duas cōclusiones, secundo postquam probaueris, quod licet voluntas sit actiua volitionis, non tamen ipsa sola sufficit, sed requiritur notitia obiecti, declarabis propter quid huiusmodi notitia requiritur, tertio solues quoddam dubium. Quantum ad primum sit hæc prima conclusio. Potentia rationalis respectu actus sui non est mere passiua, sed etiā actiua probatur, si est mere passiua, ergo actus eius est effectiue à solo obiecto, quod est falsum, cōsequencia patet, falsitas cōsequentis probatur, nullum agens, per se elicit actionem, quæ transcendit speciem suam, quia effectus non transcendit causam suam. Sed intellectio & volitio sunt operationes vitales, transcendentes operationem cuiuslibet agentis non viui. Constat autem quod obiectū intelligibile & volibile abstrahit à viuo & non viuo, ergo impossibile est huiusmodi obiectum esse causam actiua actus potentia rationalis.

Præterea, actus immanens vt dicitur infra, secundum philosophum est subiectiue in suo agente. Sed non est subiectiue in suo subiecto, sed circa obiectum, ergo est subiectiue in potentia

QVAESTIO VI.

tentia rationali, ex consequenti est effectiue & actiue ab ea. Præterea si solum obiectum esset causa productiua actus potentia rationalis, sequitur, quod nō potest generari aliquis habitus voluntarius, quoniam si solum obiectum sit agēs, mouebit modo naturæ, si mouet modo naturæ, agit actum mere naturalem, sed ex actibus naturalibus non potest generari, nisi habitus naturalis, & tunc destruetur maior pars scientiæ moralis. Tenendum est ergo, quod licet potentia rationalis sit passiva, id est receptiua sui actus, est etiam actiua eiusdem, & hoc est quod dicunt aliqui, potestiam rationalem esse essentialiter actiuam, concomitantem passiuam.

Secunda conclusio. Potentia rationalis ex seipsa sola non est sufficiens principij productiui actus sui. Hanc concedunt omnes, tenentes potentiam rationalem esse actiuam, & non mere passiuam, vt sunt b. Tho. Scot. Her. Capræo & ratio præcipua eorum est hæc, si potentia rationalis sola est sufficiens principij productiuum actus sui sequitur quod animal vel semper intelligat, vel intelligat quoties, & quandoque voluerit, quod est falsum, vt experimur, consequentia probatur. Cum non sint nisi 4. genera causarum, oportet quod in quocunque priori ponitur causa naturalis effectiua, & materialis disposita & approximata sequatur actio, vel saltem possit sequi, si est causa voluntaria, quia cum causa formalis & finalis inquantum huiusmodi sequantur productionem, ipsæ necessario præsupponunt actum.

Cum igitur per te intellectus solus sit actiuus & sufficiens principium productiuum actus intelligēdi, & ipse intellectus secundum se semper sit vltimate subiectū receptiuū actus sui dispositum & approximatum sibi ipsi, sequitur, quod semper intelligat vel saltem quoties, & quandoque homo voluerit. Quod cum sit falsum, vt experimus, necesse est vt concurrat obiectum per speciem intelligibilem, actuātem intellectum, & representantem obiectum intelligibile, quod concurrat notitia obiecti cum voluntate ad productionem volitionis.

Quantum ad secundum aduerte, quod licet Scot. & omnes Thomistæ teneant, quod ad volitionē necessaria est notitia obiecti: quia sicut appetitus sensitiuus sequitur notitiam sensitiuam de obiecto suo, sic appetitus intellectiuus sequitur notitiam intellectiuam de obiecto suo, discordat tamen in modo positio- nis. Nā Cap. in 2. di. 24. in responsione ad argumēta cōtra 5. con-

NONI METAPHY.

elusionē tenet, quod notitia obiecti non concurrat cū voluntate
 vt causa partialis productiua volitionis, sed locū vt ratio agen-
 di, id est non qua formaliter voluntas agit, sicut ignis formaliter
 agit calore, sed quia voluntas specificatur, vel actus voluntas
 recipit specificationē, vt dictū est in q. precedenti, vbi declarauimus
 intellectum determinare voluntatem, quo ad specificationem, & non quo ad exercitiū. Her. quoq; in 2. dist. 24. q. 1. via
 desur declinare ad hanc viam. Pau. aut Soncin. in 9. lib. q. 13. licet
 q. concurrat vt causa partialis effectiua, minus tamen partialiter
 quā voluntas, ita q. ex voluntate & notitia obiecti constituitur
 vna sufficiens causa volitionis, & intentionē suam manifestat
 dicto b. Tho. & pluribus dictis. Cōmen. verū quia dicta illa
 possunt interpretari, tam de causa, partiali effectiua, quā de ra-
 tione agēdi, ideo tenere potes, quā partem volueris, si sustinere
 volueris, quod notitia obiecti non est causa partialis, sed ratio
 agēdi, dices quod sicut se habet species intelligibilis ad intel-
 lectionem, sic notitia obiecti ad volitionem. Sed species nō con-
 operatur ad substantiā intellectiōis, sed ad determinationem
 vt tenet Cap. in 1. di. 35. q. 1. ad argumenta in 2. loco cōtra 1. con-
 elusionem, vbi inquit, species nō est princ. elicitiuum actus, sed
 determinatiuū, nā cum obiectum intellectus sit intelligibile
 vniuersale, nōn magis hoc quam illud intelligere, nisi determi-
 naretur à specie, sic representante hoc, q. non illud. A simili-
 tudine substantiā volitionis est à voluntate, determinatio autē à no-
 titia obiecti, nā cum obiectū voluntatis sit bonū vniuersale, nō
 magis hoc quā illud velle, nisi determinata esset ab obiecto
 cognito sub ratione boni pro tali vel tali gradu, & si dicas, q.
 omnis forma intensionalis ideo ponitur, vt sit principium ali-
 cuius actionis, nō est alia ratione ponitur species sensibilis, nisi
 si vt sit principium sentiēdi, nec alia ratione species sensarē re-
 feruntur in phantasia, nisi vt sint principia phantasiā di & memo-
 randi, vt declaratū est in libris de anima. Respondeo & dico, q.
 forma intensionalis est propter operationē, quæ elicitor à solo
 subiecto, in quo recipitur talis forma, vt species visibilis reci-
 pitur in oculo, non vt ipsa partialiter, nec secundum totum eli-
 ciet visionē, sed vt oculus videat. Qui tamē cū respiciat calorem
 in cōtūni pro obiecto, non exiret in actū, nisi determinaretur
 huius specie representatiua tantū huius coloris, & illa illius. Idē
 intelligi de specie intelligibili respectu intellectus, & de no-
 titia obiecti respectu voluntatis. Concedo igitur omnem for-

QVAESTIO VI.

242

nam intentionalem esse principium actionis, non tamen elici-
 tiuum, sed sufficit esse determinatiuum.

Quantum ad tertium aduerte, q. cōtra 1. cōclusionē, sunt multa
 argumenta ab his, qui teneant potentia ratiōale esse mere
 passiuā, quæ formantur & soluantur à Cap. in 2. dist. 24. q. 1. con-
 tra 1. cōclusionem, ea in parte format Paulus Son. in lib. 9. q.
 1. & soluit, vbi loquitur quem volueris. Contra secundā cōclusionē so-
 let fieri arg. apparet, quo probatur ad actum voluntatis, non
 semper requiri noticiā obiecti, & arguitur sic, volitio aliquan-
 do precedit noticiā, vt patet, quando volumus addiscere in-
 teogita, sicut artem, quā penitus ignoramus, ergo volitio pos-
 tet esse sine noticiā obiecti. Sed forte dices, q. licet volitio pos-
 sit precedere noticiā distinctā & perfectā obiecti, non tamē
 confusā, quia oportet habere aliqualem, licet enim nesciam
 philosophiā & medicinā, quas volo addiscere, scio tamen saltem
 quid nominis, quo cognito desidero addiscere, & tunc voluntas
 imperat intellectui vt incumbat & addiscas, contra, sumo pri-
 mam volitionē, & quæro, aut causatur ab obiecto cognito sal-
 tem confuse, aut non, si non habetur intentum, si sic, ergo ante
 primam volitionem datur volitio, quod implicat, consequen-
 tia probatur, quia intellectus nihil intelligit nisi moueatur
 effectiue à voluntate, vt visum est supra, ergo si prima volitio
 causatur à noticiā obiecti saltem confuse, necesse est ante pri-
 mam volitionem dari priorem, eam, scilicet qua voluntas im-
 perat intellectui, vt distinctius, cognoscat obiectum cog-
 nitum, solum in confuso.

Ad hoc arg. licet iam responsam fuerit in q. precedenti, ite-
 rum volo respondere, non recedendo à responsione data, sed
 addēdo, Aduerte igitur, quod si tenueris primam volitionem
 causari à Deo modo quo in q. precedenti declarauimus vide-
 bis, quod prima volitio reducitur immediate in primam ap-
 prehensionem, & prima apprehensio non reducitur in priore
 volitionem, sed in Deum, & illic est status. Si autem tenueris
 primam volitionem causari ab intrinseco, id est ab aliqua po-
 tentia animæ cognoscitiua, dices quod causatur à noticiā obiecti,
 Et si hanc noticiā non est imperata à voluntate, quoniam licet
 ordinariū mouens effectiue intellectum sit ipsa voluntas, ta-
 men aliquando excitatur ad intelligendum à sensu interiori,
 puta cogitatiua, nam cum habeat maximam propinquitatem
 ad intellectum, ita quod dicitur ratio particularis apprehēdit



NONI METAPHY.

rationem boni particularis, & bonum particulare cognitum offert appetitui sensitiuo, & appetitus sensitiuus inclinatur voluntatem, ut illud accipiat & quærat.

Tunc voluntas imperat intellectui, ut circa illud consideret quo diligentius & vniuersaliter considerato ab intellectu, intellectus efficacius mouet voluntatem, ostendens ei bonum sub perfectiori cognitione quam fuerit ostensum à cogitativa; & in tali ordine, patet quod prima noticia objecti intellectiua causatur à prima volitione, & prima volitio non à priori noticia intellectiua, sed à sensitiua, quæ est à cogitativa; & illic est status; manifestum est ergo, quod in omni volitione necessaria est præcedens, saltem aliqualis noticia objecti, quæ sit noticia habita per intellectum, vel saltem per sensum interiorum mouerem appetitum sensitiuum, & ille moueat voluntatem &c. Hæc de præfenti quæsto dicta sint.

Quæstio 7. si potentia rationalis producat actum suum in instanti vel in tempore.

In hac quæstione, aduerte, antequam deueniamus ad decisionem, quod sua difficultas pendet ex natura actionis immanentis. Nam qui tenent actionem immanentem esse in prædicamento actionis dicunt eam esse vere motum, ex consequenti successiuam, & sic de necessitate fieri in tempore.

Qui vero tenent eam esse in prædicamento qualitatis, negant quod sit vere motus, nisi sumendo motum metaph. scilicet pro qualibet actione perfecta, vel quæ dicitur actus perfectus, cuius naturam manifestabimus in parte vltima huius quæstionis. & isti tenent, quod sit in instanti, & non in tempore, & quoniam b. Tho. tenet eam esse in prædicamento qualitatis, tenet ex consequenti, quod sit in instanti. Tu igitur vt defendas viam Thomisticam, sic procede, primo ponitur conclusio, quod actio potentie rationalis est in prædicamento qualitatis, secundo ponitur conclusio, quod sit in instanti, tertio declarandum est, quare tantum laboramus & multum temporis expendimus in speculatione, si sit in instanti, quarto soluemus argumenta eorum, qui tenent, quod non ponitur in prædicamento qualitatis, sed in prædicamento actionis.

Quantum ad primum ponitur hæc conclusio. Actus potentie rationalis est in prædicamento qualitatis, probatur. Huiusmodi actus est actio immanens, vt patet infra in text. 16. Sed

QUAESTIO VII.

143

actio immanens est in prædicamento qualitatis, ergo &c. probatur minor, & quoniam eadem ratio est de vna sicut de omnibus, sumo delectationem de qua pertrahat philosophus in 10. ethic. & arguo sic, vel delectatio est in prædicamento actionis vel qualitatis, quoniam constat, quod non est substantia, nec quantitas, nec relatio, nec res de quatuor vltimis prædicamentis, sed non est in prædicamento actionis, quod sic probatur, actio prædicamentalis est motus phy. secundum philosophum in 1. phy. text. sed delectatio non est motus physicus, vt tenet expresse philosophus in 10. ethic. in cap. 4. vbi inquit, propter quod neque motus est, scilicet delectatio.

Quod etiam sic probatur. Motus est de genere imperfectorum, cum sit actus imperfecti, id est existens in potentia, & est via ad perfectionem, & non est motus perfectus in omni parte temporis mensurantis motum, sed in vltimo. Sed delectatio est de genere perfectorum, quoniam in omni parte temporis in quo est, habet complementum suæ speciei, ergo delectatio non est motus physicus, ex consequenti, non est actio physica. Vnde philosophus illic concludens contra tenentes delectationem esse motum, dicit, ex his autem manifestum, quoniam non bene dicunt delectationem esse motum vel generationem, quoniam ratio motus & generationis non potest cuiuslibet attribui, sed solum diuisibilibus, quæ non sunt tota, id est, quæ non statim habent suum complementum. Non enim potest dici, quod generatio attribuitur vitioni, ita, scilicet quod successiue compleatur, sicut etiam non potest attribui puncto, nec vnitati. Hæc enim non generantur, sed consequenter quorundam generationem, vnde cum delectatio sit quoddam totum, id est, in diuisibili habens perfectionem suam non potest dici, quod sit motus nec generatio. Cum igitur delectatio secundum philosophum non sit motus physicus, & actio prædicamentalis sit motus, patet quod non est in prædicamento actionis, ergo à sufficienti diuisione, est in prædicamento qualitatis.

Quantum ad secundam ponitur hæc conclusio. Actus potentie rationalis sit in instanti. Hæc conclusio est de mente philosophi in 10. ethic. vbi agens de delectatione, sic arguit, visio sit in instanti, ergo & delectatio, consequentia est manifesta, quoniam sicut visio est actio immanens, sic delectatio. Antecedentem sic manifestat. Quæcumque sunt in tempore, ideo sunt, quia non statim habent perfectionem suam, sed acquirunt eam terminato tempore, mensurante eorum productionem.

H iij

NONI METAPH.

sed visio secundum quodcumque tempus perfecta est, non enim indiget aliquo posterius adueniente, quod perficiat eam, sed in instanti completur eius productio, ergo non fit in tempore, sed in instanti, & quod probatur de visione applicans ad delectationem, inquit. Tale autem videtur & delectatio, totum enim quoddam est, id est, est quid completum & perfectum in primo instanti, in quo incipit esse.

Præterea philosophus illic probans delectationem non esse motum, assumit hanc propositionem. Omnis motus est in tempore sub qua necesse est hanc subsistere. Delectatio non fit in tempore, & concludere, ergo non est motus.

Præterea parum infra sic inquit. Non contingit moveri in non tempore. Delectari autem contingit in non tempore, quoniam & in ipso nunc est quoddam totum, id est, in instanti habet complementum suum. Manifestum est igitur, quod mens philosophi fuit, actionem immanentem fieri in instanti, cum igitur actus potentie rationalis sit actio immanens, sequitur quod fiat in instanti, & si quæras, licet possit fieri in instanti, nunquam est apta fieri etiam in tempore. Respondeo quod non & ratio huius est. Actio immanens est actus perfecti, id est, actus actus, sicut visio est actus oculi actuati specie visibili, & intellectio est actus intellectus actuati specie intelligibili, ergo non est apta fieri in tempore. Antecedens patet, quoniam actio immanens est motus metaph. qui est actus perfecti, ut de clarabitur infra, consequentia autem probatur, omnis actus qui fit in tempore est actus imperfecti, id est, existenti in potentia, ut actus fictus in tempore successitue perficitur, & successitue perficitur suam receptivum, ut patet in calefactione & sanatione, sed actio immanens non est actus imperfecti, aliter esset motus physicus, cuius oppositum probatum est de mente philosophi, ergo non fit, nec apta est fieri in tempore.

Et si quæras, dato quod fiat in instanti & non fit apta fieri in tempore, utrum possit conservari in tempore. Respondeo quod sic, quoniam sicut illuminatio fit in instanti, & tamen conservatur in toto tempore, in quo stat presentia luminosi super illuminabile, remoto impedimento, sic visio qua video sortem, licet fiat in instanti, potest tamen conservari quoad stat species visibilis in oculo, à stante obiecto ad extra debite proximitate, remoto omni impedimento. Idem dico de intellectu & de

QVAESTIO VII. 244

delectatione, & tristitia. Temporis autem longitudo, & breuitas in conservacione huiusmodi pender quidem, per se ex imperio voluntatis, per accidens autem à multis causis, puta à potione vel remotione impedimenti extrinseci vel intrinseci, à bona vel mala dispositione corporalis videntis vel speculantis, vel delectantis &c.

Quantum ad tertium adverte, quod si nostrum intelligere esset sine phantasia administrante phantasmata, & non essemus perturbati, nec distracti à speculatione propter passionem appetitus sensitivi trahens nos ad sensibilia & delectabilia secundum sensum, nullus inesset nobis labor in speculando, ita quod in instanti & sine difficultate prævia eliceremus actum intelligendi, & possemus in eo perseverare ad libitum nostrum, ita quod intelligere nostrum esset sicut intelligere substantiam separata. Cum igitur intelligamus cum phantasmate & necesse est ordinare phantasmata, ut deseruiant intellectui, sitque phantasia potentia organica, similiter appetitus sensitivus necesse est ut laboremus in phantasiando, & in sedando passionem, & hic multum expendamus temporis, in phantasiando quidem, ut præparemus ordinata phantasmata, deseruiant intellectui, in sedando vero passionem, ut removeamus impedimenta, unde adverte, quod intellectio in nobis se habet ut illuminatio, que licet fiat in instanti, tamen necesse est præcedere motum localem solis, donec contingat punctum orizontis nostri, qui motus fit in tempore ut patet, & postquam attingit orizontem nostrum, necesse est removere impedimenta, si qua sunt, puta caligo, sive nubes, aliter radius solis non apparebit, & hæc remotio necesse est ut fiat in tempore, puta per ventum spirantem, aut per consumptionem vaporum sole calefaciente, sicut igitur aer pro quolibet instanti est aptus illuminati peracta appropinquatione solis ad punctum nostri orizontis, & remotio impedimento caliginis, aut nubis, sic intellectus noster est aptus pro quolibet instanti recipere speciem intelligibilem, licet in intellectu facta ordinata preparatione phantasmatum quietate perturbatione passionum patet igitur quia de causantur tantum laboramus & tantum temporis expendimus in speculatione, cum tamen actus intelligendi essentialiter fiat in instanti, & non sit aptus fieri nisi in instanti.

Quantum ad quartum adverte, quod qui tenet actus potentie rationis esse in predicamento actionis, faciunt conatum in argumetum

NONI METAPHY.

Primo, si non est in predicamento actionis, hoc ideo est, quia de ratione actionis predicamentalis videtur esse, quod per ipsam aliquid fiat, sicut patet de edificatione, calefactione, sanatione &c. Sed hæc conditio non est necessaria, quonia licet philosophus in lib. 9. metaph. tex. 16. videatur distinguere actionem transeuntem ab immanente, ex eo quod immanens est finis. Transiens autem non, sed aliquid operatum per eam, tamen philosophus in 1. ethic. distinguit actiones transeuntes, a signis, quomodo in aliquibus ipsa operatio est finis, in aliquibus autem finis est aliquid operatum, exemplum primi, ut cycharizare, & cantare, exemplum secundi, ut edificare.

Ad hoc dicitur, quod illa non est ratio, sed est illa, quam assignauimus in probatione primæ conclusionis, quia scilicet est motus physicus, ut declarauimus de mente philosophi, in quibus autem & in quot differant actio transiens & actio immanens, manifestabimus infra, quando quaeremus si actio immanens est subiectiue in agente.

Secundo, si non est in predicamento actionis, hoc ideo est, quia actio potentie rationalis, quæ est actio immanens, est motus, qui est actus perfecti, actio autem predicamentalis est motus, qui est actus imperfecti, ex 3. physic. Sed falsum est, actionem immanentem esse actum perfecti, immo est actus imperfecti. Nam est perfectio agentis, ut declarabimus infra, ergo agens comparatur ad ipsam, ut perfectibile ad suum perfectum, non ergo ut perfectum, sed ut imperfectum, omne enim perfectibile ut sic imperfectum est.

Ad hoc conceditur, quod illa est ratio, & negatur quin actio immanens sit actus perfecti. Ad improbationem dico, quod non sit perfectum, immo, ut dicitur in argumento, perficitur talis actio, sed dicitur actus perfecti, quia talis actio est perfecta, & est complementum & perfectio, ut diximus de mente philosophi de visione & delectatione, quæ in vno instanti in quo produciuntur, habent omnem perfectionem suæ speciei, & in hoc distinguitur ab actione transeunte, quæ dicitur actus imperfecti, quia non est perfectio, sed via ad perfectionem per corruptionem contrarii, sicut calefactio est via ad calorem per corruptionem frigoris. Et hæc actio est motus physicus, quem dixit philosophus in 3. physic. quod est actus existentis in potentia ad vteriore perfectionem, & quoniam omne existens in

QVAESTIO VIII.

potentia ut sic, est imperfectum, ideo dicitur actus imperfecti. Tertio, non est in predicamento qualitatis, ergo est in predicamento actionis, patet consequentia, quoniam non apparet ratio, quare debeat esse in aliquo alio predicamento, antecedit autem est philosophi in 10. eth. ca. 3. ubi inquit, neque enim virtutis operationes qualitates sunt, neque felicitas, constat autem quod operationes virtutis & felicitas apud philosophum sunt actiones potentie rationalis, aut essentialiter, aut participatiue, si non sunt qualitates, non sunt in predicamento qualitatis.

Ad hoc dicitur, quod illam propositionem adduxit philosophus, non determinatiue, sed potius afferendo instantiam apparentem contra eos, qui argumentari fuerant, delectationem non esse bonum, quia non est qualitas, quasi quod bonum non inueniatur nisi in qualitate. Cui argumento respondens philosophus inquit, non tamen si delectatio non est qualitas, propter hoc non sequitur, quod non sit bonum, quod dicitur quod non sit qualitas, & tamen sit bonum, & dat instantiam, quia operationes virtutis & felicitas non videntur esse qualitates, & tamen sunt bonum, & quod non sic loquutus determinatiue, patet quia infra in cap. 4. probat, operationem immanentem, ut visus & delectatio, non esse motum physicum, quia ille sit in tempore &c. & si non est motus, non est actio, ut declarauimus in prima conclusione, ergo non est de mente philosophi in predicamento actionis, ergo est in predicamento qualitatis, quia constat quod non est substantia nec quantitas, nec potest esse relatio, aliter non esset perfectio. De aliis quatuor vltimis constat, quoniam in eis non continentur nisi corporalia. Dico ergo, quod secundum doctrinam philosophi, quantum ad rem significatam, quod sunt qualitas, licet quantum ad modum significandi habeat modum actionis.

Quarto, si sunt in predicamento qualitatis, non possunt esse nisi in prima specie, quæ dicitur habitus & dispositio, quod est falsum, consequentia patet, quia non sunt in secunda huiusmodi enim non sunt naturalis potentia nec in potentia, nec in 3. quia non sunt passio vel passibilis qualitas, huiusmodi enim qualitates sunt secundum quas fit alteratio sensibilis, constat autem quod secundum actus potentie rationalis non fit alteratio sensibilis, multo minus sunt in quarta specie, ut de se patet, ergo si sunt, sunt in prima vel in nulla, falsitas autem consequentis probatur, intelligere, & omnis actio immanens fun-

actus secundi, quia quo scimus ve actu primo est scientia, actus autem secundo est scire siue considerare, sed que sunt in prima specie qualitatatis, sunt actus primi & non secundi, ergo intelligere nec alia actio immanens sunt in prima specie qualitatatis. Minor probatur, nam si ea que sunt in prima specie qualitatatis essent actus secundi, superflue philosophus in 7. phys. text. 17. probasset speciali processu, quod ad ea que sunt in prima specie qualitatatis non est motus, cum speciali processu iam probasset in 5. phys. text. 10. quod ad actum secundum, scilicet ad actionem non est motus, sed vna esset probatio vtriusque.

Ad hoc conceditur consequentia, & negatur falacia consequentis, ad probationem nego minorem, quoniam sunt in ea actus primi, qui sunt habitus, & actus secundi, qui sunt dispositiones ad habitum, & qui etiam possunt esse ex habitu. Ad probationem minoris, nego consequentiam, quoniam alia via processit in 7. phys. & alia in 5. nam in 5. ut patet a text. 12. vsque ad 17. probat de predicamento actionis & passionis, quod in eis non est motus, quoniam cum actio & passio sint motus, esset motus in motu, & mutatio in mutatione in infinitum. In 7. autem aduertens, quod probatio facta in 5. non concludebat de his que sunt in prima specie qualitatatis, quoniam actus siue primi siue secundi illic repositi non sunt actio vel passio physica, ex consequenti non sunt motus, processit alia via puta vel quia sunt ad aliquid vel quia consequuntur alterationem, vt virtutes & actus morales, vel quia acquiritur quiete & residentia passionum, vt habitus intellectuales, & eorum actus. Hec de presenti questio dicta sint.

Questio 8. si potentia actiua precedit actum suum.

Sunt autem quidam qui dicunt vt megarici, quando operatur solum posse. Text. 5.

Philosophus hic improbat opinionem dicentium, nullum agens habere potentiam actiua, nec posse agere, nisi dum actu agit. Determinat autem philosophus, quod nihil prohibet potentiam actiua precedere actum suum. Circa quod queritur, an & quomodo sit verum.

In hac quoniam non inuenio diuersitatem opinionum in via peripateticorum, nec euidens & magna difficultatem. Tu igitur sic te resolue. Primo pones vnam distinctionem de precedentia. Secundo conclusionem respectum cum probatione sua. Tertio solves duo argumenta, que videntur habere aliqualem apparentiam.

Quantum ad primum aduerte, quod hac propositio philosophi, potentia actiua precedit actum suum, est vera sub hac distinctione, natura vel tempore. Nam datur aliqua potentia actiua semper coniuncta actiui, vt potentia illuminatiua solis, & potentia motiua intelligentis, que ab eterno & in eternum continue mouet actum suum mobile, & in his sufficit, vt potentia actiua precedat actum suum natura, sicut & causa, vt causa est prior effectu saltem natura, vt diximus in libro 5. in q. 2. vbi assignauimus distinctionem inter principium & causam. Datur insuper aliqua potentia actiua, que necessario precedit tempore effectum suum, vt in corruptibilibus & in artificiosis, & prius tempore animal habet visum quam videat, & potestatem gradiendi quam gradiatur.

Quantum ad secundum, ponitur hac conclusio, potestis actiua non solum natura, sed & tempore potestis precedere actum suum. Prima pars probatur, nisi communicat seipsum alteri distincto essentialiter, nisi supponatur esse, sed agens per potentiam actiua communicat se alteri distincto essentialiter, quia effectus sui, ergo agens supponitur esse cum potentia actiua effectus sui, actio autem siue actus est effectus agentis, ergo supponitur esse, quod autem supponitur, prius est saltem natura, ergo & cetera.

Secunda autem pars probatur a philosopho per totum textum quintam 4. rationibus quas videbis in epitomi nostra in 9. lib. metaph. tract. vltimo, Cap. 2. Illic resolute formauimus eas, nec expedit hic inutiliter repetere. Ibidem videbis rationes motiuarum opinantium megaricorum, qui negant, potentiam actiua precedere actum, quas & illic soluis.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta contra determinationem factam.

Primum est, si potentia actiua precedit actum, aut est sufficiens aut non, si sufficiens, ergo sicut postea producit actum, eadem ratione & nunc, quocumque enim instanti ponitur causa sufficiens, ponitur effectus, aliter non esset sufficiens. Si non est sufficiens, ergo ad hoc, quod fiat sufficiens transmutabitur, vt scilicet aliter se habeat quam prius. Si transmutabitur, ergo fiet passiuus, quia omne circa quod est transmutatio, est passiuum, & sic potentia actiua erit passiuus, quod est impossibile, cum sint opposita.

Ad hoc dicitur, quod aliquando est sufficiens, aliquando in sufficiens, sicut potentia generatiua in viro, & generatiua in

puero, & quando est sufficiens, nego illā cōsequentiā, ergo sicut
postea &c. quoniam ultra sufficientiā virtutis in causa, requiritur
debita approximatio & debita dispositio in passo, quæ non pro
quolibet tempore adsunt, sed aliquando sic, aliquando non, &
iude est, quod non quocunque instant, ponitur causa sufficientis,
ponitur effectus, quia non quolibet instanti ponuntur circum-
stantiæ requiritæ ad actionem, & quando est in sufficiens cō-
do, quod necesse est, vt transmutetur, sumendo trāsmutatio-
nem pro quocunque modo alio se habere, puta quod viatur
cum alia potentia actiua, vt in tractu nauis, in quo potentia
vnius non sufficit, vel quod intendatur, puta calor vt tria, non
est sufficiens ad calefaciendū aquam, & intensus vt h. erit suffi-
ciens, & cum arguitur, ergo actiua fiet passiuā, respondetur
quod non est inconueniens, diuersa ratione, vt declaratum est
supra de agente actione inmanenti, quod est actiuum, & pas-
siuum, respectu sui actionis.

Secundum est, si potentia præcedit actum, ergo vt exeat in
actū, necesse est vt determinetur ab alio, sed hoc est falsum,
quia omne determinans aliud, habet potentia actiuam. Tuus
queritur, si illa potentia præcedit actum, vel non, si sic, ergo vt
prius, necesse est vt determinetur ab alio, & sic erit processus
in infinitum, si non, ergo eadem ratione stādum erat in primo
prima autē cōsequentiā sic probatur, quia omnis potētia præ-
cedens actum oportet determinari ad illum actum per aliud.

Ad hoc dicitur, quod cum potētia actiua distinguatur in na-
turale & rationale, si argumentū intendit de naturali, nego
primā consequentiā, ad propositionē dico, quod illa propositio
omnis potētia præcedit actum &c. non est vera de potētia na-
turali, quoniam vt dictū est supra, est tantū vnius oppositi, ex cō-
sequenti ex natura sua est determinata ad illud, & semper exi-
it actū, stantibus circumstantiis requiritis ad actionē, vt debita
approximatio & dispositio in passo &c. Si intendit de potē-
tia rationali, cōceditur prima consequentiā, & negatur falsitas
cōsequentiis. Diximus enim supra, qd potētia rationalis cognos-
citiua vt intellectus determinatur ab appetitu intellectiuo,
quæ est voluntas in genere cause efficiētis, voluntas autē de-
terminatur ab intellectu in genere cause finalis, & sic non est
processus in infinitū, Quomodo esset non sic processus in infinitū
in intellectiōibus & volitionibus, vide in q. 5. huius libri.
Hæc de præsentī quaestio dicta sūt.

Quaestio 9. Si definitio possibilis est bene assignata à phi-
losopho, sumendo possibile vt distinguitur
præcise contra impossibile.

Est autem possibile hoc cui si exiterit actus cuius
dicitur habere potentiam, nihil erit
impossibile. Tex. 7.

Philosophus in hoc tex. diffinit possibile quod solet sic dis-
finiri. Possibile est illud, ad quod non sequitur impossibile. Itē
sic possibile, est illud, quod qui ponatur in actu, nullum sit im-
possibile. Circa quod queritur, si est verum.

IN hac q. sic procedetur. Primo ponetur duæ distinctiones,
Secundo conclusio responsiua cum probatione sua. Tertio
soluentur duo argumenta.

Quantum ad primum sic hæc prima distinctio. Possibile est
duplex. Quoddam in sensu diuiso tantum, quoddam absolute,
exemplum primi, album possibile est esse nigrum, quod tamē
est falsum in sensu composito, nam si poneretur in actu, seque-
reretur impossibile scilicet album esse nigrum, exempli secundi,
possibile est Sortem esse regem, nam absolute loquendo, ad
istam, Sortes est rex, nihil sequitur impossibile.

Distinctio 2. Possibile iterum est duplex. Quoddam quod
secundum se totum est reducibile ad actum, vt ens positiuum
permanens finitum. Quoddam cui secundum naturam suam
repugnat secundum se totum reduci ad actum, quoniam ex sui
natura comperit sibi actus admixtus potentia, vt enti succes-
sivo, quale est tempus, & motus, & enti infinito secundum ma-
gnitudinem & multitudinem. Et aduerte quod hæc distinctio
tracta est ex 2. libro physic. text. 57. vbi philosophus declarat,
quomodo infinitum in potentia est reducibile ad actum.

Quantum ad secundū ex distinctionibus datis, ponitur hæc
conclusio, Possibile est illud, ad quod si eo modo quo est possi-
bile reducitur ad actum, & non aliter, nihil sequitur impossi-
bile. Hæc conclusio, quomodo sit intelligenda, patet ex distin-
ctionibus prædictis, nam si id quod est possibile in sensu diui-
so tantum, ponitur in actu pro sensu diuiso, nullum sequitur
impossibile, nam licet sit impossibile album vt album esse ni-
grum, tamen nihil prohibet, subiectū quod est album à motu
albedine esse nigrum, similiter si id quod est possibile in ente

NONI METAPHY.

successiuo & in ente infinito quanto ponatur in actu non quidem secundum se totum, sed cum admixtione potentiae, nulli sequitur impossibile. Sic ergo intellecta, conclusio probatur. Possibile ut possibile respicit actum. Dicitur enim possibile, aliqua potentia possibile, omnis autem potentia respicit actum, aliter esset frustra. Tunc ultra, si omnis potentia respicit actum & secundum te, ex hoc quod ponitur actu, sequitur impossibile, ergo potentia respicit impossibile, sed hoc est absurdum. Dicere enim potentiam respicere impossibile, est negare potentiam, quia respectu impossibilium nulla est potentia, unde philosophus in 3. physic. tex. 69. manifestans, quomodo potentia respicit actum, inquit, quantum enim potentia contingit esse, & actu contingit esse.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta contra definitionem de possibile, per quem probatur, quod in aliquo casu, si possibile ponitur in actu, sequitur impossibile.

Primum est. Hæc est de possibili, possibile est omne corruptibile corrumpi, & tamen si ponitur in actu, sequitur impossibile, nam posito quod omne corruptibile de facto sit corruptum, sequitur, quod materia remanebit sine omni forma, quod est impossibile, ut probatum est supra ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod hæc propositio, possibile est omne corruptibile corrumpi, est vera diuisiue. Signato enim quocumque corruptibili potest corrumpi, & si ponatur in actu, non sequitur impossibile quoniam si illud corrumpitur, aliud generatur, ex consequenti non remanet materia siue forma, non autem est vera collectiue, siue simultanee, sensus enim esset, quod pro aliquo instanti, omnia corruptibilia simul sumpta, simul possent corrumpi, quod non admittitur, quoniam tunc argumentum procederet. Patet igitur, quod ad possibile eo modo quod est possibile non sequitur impossibile.

Secundus est. Dictum est supra, quod potentia rationalis pro eodem instanti potest in opposita, ex quo arguitur sic, possibile est voluntatem Sortis in hoc instanti velle stare, & velle sedere. Sed si ponatur in actu, sequitur impossibile, scilicet quod in hoc instanti stabit, & sedebit, ergo &c.

Ad hoc responsum est supra in q. 5. huius lib. ubi declarauimus, in quo sensu sit verum, potentia rationalis posse similiter in opposita, & tamen q. de facto non sint similiter opposita, vide tamen fiat inutilis repetitio. Hæc de presenti questione dicta sint.

QVAESTIO X.

248

Questio 10. Si aliquid est possibile, quod tamen nunquam fuit nec erit.

Nihil prohibet possibile aliquid ens esse aut fieri, non esse vero, aut non futurum esse. Tex. 8.

Philosophus in hoc tex. destruit opinionem eorum, qui tenent omnia esse possible, licet nunquam fierent aut essent, unde ponebant costam commensurabilem diametro, licet id nunquam fieret, contra quos, dicit philosophus, licet aliqua sint possible, quæ tamen nunquam erunt, non tamen omnia quæ nunquam erunt, sunt possible. Quonia aliqua nunquam erunt, quia eis repugnat esse, & hæc dicuntur & sunt impossible, ut diametrum commensurari costæ. Aliqua autem nunquam erunt, licet eis non repugnet esse, quoniam aut eorum causi est libera, quæ etiam omnibus dispositis, potest agere & non agere aut si est naturalis, potest impediri, ut dicemus infra. Quæritur ergo, si aliquid est possibile, quod tamen nunquam erit.

In hac q. in qua intendo loqui mere metaphysic. & non vt theologicus, inuenio duas opiniones, quarum vna tenet partem negatiuam, alia affirmatiuam. Prima est comment. quam conatur defendere Iandus, in libro 9. metaphysic. q. 5. secunda est b. Tho. Tu igitur sic procedes. Primo declarabis quomodo Comment. tenet partem negatiuam, & formabis rationes Iandus in defensionem Comment. Secundo declarabis quomodo b. Tho. tenet partem affirmatiuam, quam probabis dictis philosophi, & rationibus fundatis in doctrina philosophi, quas sustinebis contra solutiones Iandus. Tertio solues rationes Iandus, formandas in defensionem Comment.

Quantum ad primum aduerte, quod Comment. in libro 9. metaphysic. in comment. 8. in principio sic inquit. Manifestum est, quoniam impossibile est ut aliquid possibile nunquam esset in actu, & in comment. 9. inquit, alio vero modo videtur hæc propositio, quam intendit declarare in hoc cap. in hoc quod nihil habet potentiam ad corruptionem, quin corrumpatur, & nihil habet potentiam ad generationem quin generetur, ergo secundum Comment. omne possibile non esse, aliquando non erit, & omne possibile esse, aliquando erit. Et hæc sententiam Comment. conatur Iandus, in lib. 9. metaphysic. q. 5. tribus rationibus firmare.

NONI METAPHY.

Prima est, si aliquid possibile nunquam erit, aliquid possibile est, semper non ens, quod autem est semper non ens, est impossibile, quia sicut necessarium est semper ens, ita impossibile sibi oppositum, est semper non ens, ergo aliquid possibile est impossibile, quod implicat contradictionem.

Secunda est, semper ens & semper non ens, sunt opposita, & similiter necessarium & impossibile sunt opposita, & 1. ecc. tex. 127. ex hoc sic arguitur. Omne semper ens est necessarium, ergo omne semper non ens est impossibile. Antecedens patet ex 1. ecc. ut supra, consequentia etiam patet, quia sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito.

Tertia est secundum philosophum, in hoc distinguitur possibile ab impossibili & a necessario, quia necessarium semper est, & impossibile semper non est, possibile autem non semper non est, ergo aliquo tempore est, & aliquo non est, ergo si ponis aliquid possibile nunquam esse, destruis rationem possibili. Hæc sunt præcipue rationes pro defensione Commentariorum, quas soluimus infra.

Quantum ad secundum aduerte, quod b. Tho. exponens text. philosophi, manifeste tenet partem affirmatiuam. Nam in 9. lib. metaph. exponens text. 8. inquit, sunt enim aliqua de quibus nihil prohibet dicere, quod sunt possible esse, aut fieri, cum tamen nunquam sint futura, nec unquam fiant. Et in lib. 2. de generatione exponens text. 64. inquit, Aliquid tamē futurum esse non habens causam determinatā, nihil prohibet contingere non esse, v. g. verum est nunc dicere de aliquo, quod est futurus incidere, potest tamen impediri propositū eius, & ita non incidere, & ratio huius est, quia talis incensus possibilis fieri, procedit ex voluntate libera, que etiā disposita & determinata ad iter, potest recipere impedimentū. Hæc est mens b. Tho. que fundatur etiam in dictis philosophi, nam in 2. de generatione tex. 64. tenet quod aliquid est generabile, quod tamen nunquam generabitur, ergo est aliquid possibile, quod nunquam erit, generabile enim dicit possibile generari, Item inquit futurus quis incidere, non incidat. Et hæc sententia firmatur ratione sic.

Si non est aliquid possibile quin erit, ergo omnia eueniunt de necessitate, quod est falsum, ut probatum est in 1. perihier. Et Commen. dicit in 2. phy. commen. 48. Sermo dicens, omnia euenire de necessitate, est vanus &c. consequentia patet, quia si omne possibile de necessitate erit, ergo omne futurum

ex ne

QVAESTIO X

249

ex necessitate eueniet.

Et aduerte quod Iandu. in 9. meta. q. 5. respondens huic rationi, distinguit, de necessitate, sic. Duplex est necessitas, scilicet continua & discontinua, que solet dici intereisa. Continua est secundum quam aliquid habet esse in quolibet tempore, ita quod in omni tempore & omni instanti verum est dicere, quod est in rerū natura, ut homo secundum speciem habet necessitatem continuam, quia secundum successionem semper est homo, Discontinua est secundum quam res non habet esse in quolibet tempore, sed in aliquo, sic, in aliquo non ut rosa tempore veris tantum & glacies tempore hyemis tantum. Sed discontinua est duplex, quedam est determinata secundum naturā, & secundū cognitionem nostrā, ut eclipis solis & lunæ, de quibus sunt determinatæ causæ in tempore determinato & tantā duratione, que omnia cognoscuntur à nobis certissime per scientiā astronomiæ.

Quædam autē est determinata secundū naturam, sed non quo ad nos. Certum quidem est naturaliter quo & quanto tempore res erit, & quo & quanto non erit, sed nobis est incertum, quia non possumus naturaliter cognoscere tempus illud, nec durationem eius, & talem necessitatem habet inuentio thesauri in fossione, quia non est certum nobis, quo tempore hoc incipiet, & hoc propter raritatem, propter quā experiri non possumus determinationem illius temporis. Ex his dicit ad rationē adductam, quod consequentia valet, quoniam nihil euenit, nisi ex necessitate vel continua vel discontinua, determinata secundū naturam & quo ad nos, vel saltē secundū naturā, licet non quo ad nos, & cum arguitur, quod hoc est falsum secundum philosophum in 2. perihier. & Commen. Dicit Iandu. quod philosophus non reputat hoc esse falsum, nisi sumendo necessitatē discontinuā determinatā secundum naturā & quo ad nos, q. d. quod omnia eueniunt ex necessitate ex parte rei & causarum eius, licet nos non cognoscamus talem necessitatem. Sed Iandu. non aduertit quod philosophus in 6. meta. ut patet in tex. 6. loquitur de positione & ordine causarum secundum naturam suam, & non quo ad nos illic enim videtur concludere, quod si cuiuslibet effectus iam sunt positæ omnes causæ per se, de necessitate erit secundum naturam suam, consequens autem esse falsum, iam docuerat in si-
teret connexionem causarum ut metaph. si tantum respectu nostri id accideret. Tenendum est ergo philosophū sensisse, quod nul-

I

NONI METAPHY.

lo modo necessitatis omnia futura de necessitate eniunt, sed quaedam mere contingenter & libere.

Præterea ad propositū arguitur sic, si nihil est possibile quin erit, ergo nulla est potentia rationalis & libera, quod est contra philosophum in 2. metaph. text. 3. consequentia probatur. Liberum est quod potest agere & non agere contrarie vel contradictorie, sed si nihil est possibile quin erit. Omne agens de necessitate ager, quicquid potest agere, ergo nullum erit agens liberum.

Huic rationi respondens Iandu. deducit se ad hoc, quod agens liberum non dicitur liberum, quia possit in opposita, sed quia agit secundum rationem & gratia sui, dato quod non habeat potentiam non agendi, ut Deus dicitur libere mouere, secundum Arist. qui est primum mouens, quia eligit & vult mouere gratia sui, & non quod etiam eligat non mouere, quia non potest non mouere, secundum Arist.

Sed non aduertit Iandu. quod sic dicens saluat solū libertatē oppositā coactioni siue violentiæ, non autem libertatē contra dictionis, quia potest agens in opposita pro eodē instanti, licet non coniunctim, sed diuisim, ut declarauimus supra, quam libertatem expresso posuit philo. in 2. meta. text. x. ubi assignat differentiam inter potentias cū ratione, & sine ratione inquit. Tales quidem potentias, scilicet sine ratione, necesse est, quando, ut possunt, actiuum & passiuum propinquat, hoc quidem agere, illud vero pati, illas vero, scilicet cum ratione non necesse. Quem text. declarat Comen. inquit. Alia vero potentias, scilicet licet quæ sunt cum ratione, non est necesse, quādo propinquat suis agendis ut agant, quoniam vnaqueque illarū, scilicet quæ sunt sine ratione agit alterum contrariorum tantum, quæ autem sunt cum ratione agunt duo contraria, quod tu intelligas diuisim, & non coniunctim. Patet ergo quod apud philosophū non dicitur potentia libera solū, quia agat gratia sui, sed quia potest in opposita. vnde Iandu. sic respondens contradicit philo. Quomodo autem Deus moueat & agat secundum philosophū an libere, an ex necessitate naturæ, declarabitur in lib. 12.

Quantum ad tertium soluenda sunt rationes supra inductæ quæ fuerunt Iandu. in fauorē Comen. & quidem prima, ac secunda simul soluntur hac distinctione, semper non ens, est duplex, quoddam est quod nunquā habet esse, & sibi repugnat esse, ut diametrum cōmēsurari posse, & omne tale est impossibile

QVAESTIO XI.

250

Quoddam est, quod licet nunquā sit habiturum esse, aut ex defectu causæ suæ impeditur, aut ex causā libera indeterminata, tamen sibi non repugnat esse principem, & sic nego, quod tale semper non ens sit impossibile, sed tantum primo modo, & quando dicit philosophus quod necessarium est semper ens, & impossibile semper non ens, sumit ly semper, non ens primo modo, sicut enim necessarium dicitur semper ens, quia nō potest esse, sic impossibile dicitur semper nō ens, quia nunquam est, nec potest esse, eo quod sibi repugnat esse.

Ad tertiam dicitur, quod illa distinctio possibilis qua dicitur possibile est quod non semper non est, est vera de possibili in se & secundum se conderaro, nam ex quo aliquid est possibile, non inuenitur quantum sit ex se, & aliquo tempore sit, & aliquo non. Quod autem nunquam ponatur actu, hoc non est ex natura possibilis, sed aliunde, puta ex impedimēto causæ agentis, vel ex concursu causarum contrariarum quarum vna impedit aliam, vel ex indispositione materiæ, vel ex libertate agentis, quod potest in opposita, nec subiicitur actioni, aut impressioni alicuius corporis, ut hic omnia declarat b. Tho. in 6. meta. exponens text. 8. Hæc de præsentī quæsitō dicta sūt.

Quæstio 11. si in consequentia possibilium vel impossibilem antecedens & consequens debet esse similia.

Simul autem palam quia si A. ente necesse B, esse & possibilem ente A, & B, necesse est esse possibile. Text. 9.

Circa hunc textum queritur, quomodo se habent antecedens & consequens in consequentia vera, in materia possibilium & impossibilem scilicet utrum possint esse dissimilia, vel de necessitate similia.

IN hac quæstione ut breuiter te resoluas sic, procede. Primo pones distinctionē de possibili, quam tangit beatus Thomas exponens text. 9. Secundo, pones tres conclusiones. Tertio solues dubium.

Quantum ad primum aduerte qd possibile dupliciter sumitur. Primo pro omni eo quod potest esse & non esse, & ut sic est idem quod contingens, & opponitur necessario & impossibilem quoniam necessarium non potest non esse, & impossibilem non potest esse. Secundo pro omni quod potest esse, & ut sic non op-

NONI METAPHY.

ponitur necessario, immo sequitur ad ipsum, nam bene sequitur A, non potest non esse, ergo potest esse, opponitur autem illi in impossibili, & dicitur possibile altum, quod prædicatur de possibili contingenti, & de necessario philosophus in præfenti tex. intendit comparare antecedens ad consequens in consequentia vera in materia possibilium, sumendo possibile secundo modo, & non primo modo, quoniam ut diximus, in secundo modo opponitur præcise impossibili.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, si alicuius consequentia vera antecedens est possibile, sumendo possibile altum, & consequens est possibile in eodem sensu. Dico autem possibile altum, quoniam si in antecedente ponitur possibile contingens, non est necesse, quod consequens sit possibile contingens, immo potest esse consequens necessarium, stante antecedente contingenti, ut hic, si Sortes est res, Sortes est homo, & hic, si Sortes disputat, Sortes est homo. Hæc conclusio sic probatur ad mentem philosophi, si antecedens est possibile, & consequens sit impossibile, ergo ad possibile sequitur impossibile quod est contra diffinitionem supra positam de possibili. Dicitur enim, possibile est ad quod nihil sequitur impossibile.

Secunda conclusio, si alicuius consequentia vera consequens est impossibile, necesse est antecedens esse impossibile, probatur, stante consequente impossibili, si antecedens est possibile ergo ad possibile sequitur impossibile, quod repugnat diffinitioni datæ de possibili.

Tertia conclusio, si antecedens est impossibile non est necesse consequens esse impossibile, immo potest esse possibile contingens & necessarium, & possibile altum, exemplum primum si homo est lapis, homo est grauis, vel figuratus vel albus, &c. exemplum secundum, si homo est lapis, homo est substantia, & est corpus. Quod autem possit esse possibile altum patet, quia possibile altum prædicatur de possibili, contingenti & de necessario.

Quantum ad tertium aduerte, quod philosophus in text. videtur dicere oppositum huius tertiæ conclusionis, nam inquit sed erat primum impossibile, ergo & secundum &c. Manifestum est autem quod in consequentia primum sumitur pro antecedente, & secundum pro consequente, intendit ergo, quod si antecedens est impossibile, consequens est impossibile, cuius oppositum dicit tertia conclusio.

QVAESTIO XII.

251

Respondetur, in tex. Commen. non cadit hæc difficultas, quia non habetur ly primum nec secundum. Sed & B, & A, ita quod sic intelligitur, sed B, est impossibile, id est consequens, ergo & A, id est antecedens, & hæc fuit secunda conclusio, si tamen inspicias tex. quem b. Tho. exponit videbis, quod ly primum sumitur pro B, & ly secundum sumitur pro A, & format hæc consequentiam, si B, quod est consequens est impossibile, A, quod est antecedens est impossibile, & tunc patet, quod B, est primum, & A, est secundum in consequentia prædicta. Ad argumentum ergo concedo, quod primum stat pro antecedente, quoniam in prædicta consequentia, ponitur consequens, quod est B, in antecedente, & secundum stat pro consequente, quoniam in prædicta consequentia ponitur antecedens, quod est A, in consequente, sic enim arguit, si B, consequens est impossibile, A, antecedens est impossibile, ex quibus patet, quod philosophus non facit expressam mentionem nisi de prima & secunda conclusione, tertiam autem licet hic non ponat, non tamen eam negaret, propter quod non potest prædictus textus ubi dicitur primum, ergo secundum applicari, nisi secundæ conclusioni. Hæc de præfenti quaesito dicta sint.

Quæstio 12. si actus est prior potentia ratione & cognitione.

Omni itaque tali prior actus ratione. Text. 13

IN resolutione huius tex. quaeritur, si actus est prior potentia ratione & cognitione, sumendo actum ut actus, & potentiam ut potentiam meta. pro euidencia igitur huius quaestio, ponuntur duæ conclusiones responsivæ ut cum probationibus suis. Deinde soluentur dubia insurgentia contra determinationem.

Prima conclusio, actus est prior diffinitione & cognitione secundum naturam suam & simpliciter quam potentia. Quod diffinitione, probatur: quia ut patet, per philosoph. in hoc li. 9. tex. 13. id per quod aliquid diffinitur, est prius eo diffinitione. Sed per actum diffinitur potentia, sicut declarat philoso. in eo. Sed unde inquit, nam per contingere actu esse possibile, est quod primo possibile, puta, dico edificatorem potentem edificare, & visibile potentes videri.

Quod autem cognitione, id est quod sit aptus natus prius & per se actus cognosci quam potentia, probatur. Cum obiectum intelle-

NONI METAPHY.

Actus sit ens, quod magis participat de entitate, magis & prius participat de cognitione secundum naturam suam, unde dixit philosophus in 3. metaph. tex. 4. quod sicut res se habet ad esse ita ad cognosci. Sed actus magis participat de entitate, nam ut inquit Commentator in lib. 9. metaphysic. commento. 13. potentia est sicut non esse, actus autem est esse, ergo necesse est, ut actus præcedat potentiam cognitione secundum naturam suam, & simpliciter.

Secunda conclusio. Actus est prior cognitione, quâ potentia non solum secundum naturam suam, sed etiam quo ad nos, & sumo potentiam ut se extendit ad potentiam actiuam & passiuam & quodcumque principium motus, probatur sic. Quod prius mouet intellectum nostrum, est prius cognitione quo ad nos hæc est manifesta, quia ex eo quod intelligibile mouet intellectum, intelligitur, ergo si prius mouet, prius intelligitur. Sed actus prius mouet intellectum quâ potentia. Nam ut dicit infra Arist. in tex. 20. Que sunt in potentia, non inueniuntur, id est, non cognoscuntur à nobis, nisi reducantur ad actum, quod quomodo sit verum, inuestigabimus in questione particulari. Præterea dicit philosophus in 3. phys. tex. 17. quod semper existimabitur aliqua species mouens, & speciem sumit pro actu, ergo actus est prior cognitione quo ad nos quâ potentia.

Sed contra hanc determinationem insurgit duo dubia. Primum est contra primam conclusionem, secundum contra secundam.

Primum probat, quod actus non est prior potentia diffinitione, & arguitur sic. Actus & potentia sunt relatiue opposita, per Cōmen. in lib. 9. metaph. commen. 11. & per se inuicem diffiniuntur, unde inquit illic Cōmen. Actus & potentia sunt relatiua contraria, & utrunque relatiuorum accipitur in diffinitione alterius, & non accidit inde malum, tunc sequitur, quod quando potentia diffinitur per actum, actus sit prior diffinitione, & quando actus diffinitur per potentiam, actus sit posterior, & potentia prior, ergo actus ex natura sua & simpliciter non est prior potentia diffinitione, sed & prior & posterior, prout potest esse diffiniens potentiam, & diffinitus per potentiam.

Ad respondens Ant. And. in 9. metaph. q. 3. dicit, quod illa propositio. Relatiua per se inuicem diffiniuntur, non est vera, nisi in relatiuis mutis, qualia sunt relatiua primi & secundi modi. Dicit autem quod potentia & actu non sunt relatiua mutua quia ponit ea in tertio modo relatiuorum, ex consequenti ne-

QVAESTIO XII.

255

gat actum diffiniri per potentiam, & sic non oportet quod sit posterior diffinitione, sed semper & simpliciter prior ipsa potentia.

Sed hæc responsio quantum ad hoc, quod ponit potentiam & actum esse relatiua in tertio modo relatiuorum, est contra philosophum in 5. metaph. in cap. ad aliquid, ubi assignans fundamentum secundi modi, ponit actiuam & passiuam secundum potentiam actiuam & passiuam, & earum actiones, & ipse Ant. And. in 5. metaph. q. 15. in qua pertractat de relatiuis secundi modi, respondens argumento secundo, concedit, quod potentia actiua refertur ad actionem suam, & ad potentiam passiuam, ut calefactiuum ad calefacere & ad calefactibile, ergo etiam secundum ipsum, potentia & actus sunt relatiua secundi modi, & non tertii, non igitur valet responsio sua.

Tandem autem in 9. metaph. q. 8. tenent cum Comment. va allegatum est in argumento, quod actus & potentia sunt relatiua contraria, & quod per se inuicem habent diffiniri, ut soluat argumentum factum, distinguit de diffinitione sic. Diffinitio enim alia perfecta alia imperfecta, quando diffinitur potentia per actum est perfecta, quoniam actus simpliciter prior est, quâ potentia, ut dicemus infra, & declarat sufficienter naturam potentia, quando autem diffinitur actus per potentiam, est imperfecta, quasi magis proportionata intellectui nostro, qui procedit de potentia ad actum, id est, de imperfecto ad perfectum, unde talis diffinitio non meretur dici diffinitio sed notificatio.

Hæc responsio non discordat à mente b. Thom. qui in 9. metaphys. exponens tex. 13. ubi inquit philosophus, quare necesse rationem præexistere, & notitiam notitia, dicit b. Tho. & propter hoc Arist. superius manifestauit potentiam, diffiniendo per actum, actum autem non potuit per aliquid aliud diffinire, sed solum inductiue manifestauit, hæc ille, ex quibus elicio, quod quia sunt relatiua, ideo per se inuicem manifestatur, sed diuersimode, nam potentia manifestatur per actum, per veram diffinitionem & perfectam, eo quod actus ex se est prior potentia, ut dicemus infra. Actus autem manifestatur per potentiam, non per veram diffinitionem, sed per inductionem, vel propositionem, ut fecit philosophus in 9. lib. tex. 11. Ibi, palam autem ex singularibus inductiue, &c. Ex his dico ad argumentum, cōcesso quod actus & potentia sunt relatiua opposita, & quod per se inuicem manifestentur, non sequitur, quod quando notificat

NONI METAPHY.

tur actus per potentiam, sic potentia simpliciter prior actu, quoniam talis notificatio non est vera, nec perfecta distinctio, sicut quando notificatur potentia per actum, unde nego illam consequentiam, ergo actus ex natura sua & simpliciter non prior est potentia.

Secundum probat, quod actus non sit prior cognitione quo ad nos, nam cum sempiterna sint nobilissimi actus, aut in actu, ut substantia abstracte & corpora caelestia, sequeretur quod essent nobis prius nota, quam haec inferiora corruptibilia, quae ut dicemus infra, se habent ad illa ut potentia ad actum, cum sint imperfectiora, & quandoque sunt, quandoque non sunt, illa autem semper sunt. Hoc autem est falsum, quoniam ut probatum est in secundo libro, non ascendimus ad illa, nisi ex sensibus.

Ad hoc dicimus, quod conclusio secunda sic habet intelligi, actus comparatus potentiae in eodem genere, est prior cognitione, quo ad nos, puta si per intentionem volumus habere scientiam de rosa, necesse est ut per rosam in actu cognoscamus rosam in potentia, unde philosophus infra in text. 20. docebit, quomodo geometra cognoscit triangulum habere tres, ex actuali protractione linearum, qua constituitur angulus extrinsecus &c. Argumentum autem procedit de potentia & actu in diverso genere, quoniam corruptibilia & incorruptibilia distinguuntur genere, ut manifestabitur in lib. 10. Haec de praesenti quaesito dicta sunt.

Questio 13. si actus est prior tempore potentia.

Tempore vero prius specie idem agens, sed numero non. Text. 13.

IN hac quaestione investigandum est, quomodo actus sit prior tempore potentia, & ut te resolvas. Primo declarabis, quomodo modis potest comparari actus ad potentiam, & e converso. Secundo, ponas quatuor conclusiones responsivas. Tertio, solves dubium.

Quantum ad primum adverte, quod haec comparatio potest fieri quatuor modis. Primo comparatur actus ut actus potentiae ut potentiae. Secundo comparatur actus secundum speciem potentiae secundum speciem. Tertio comparatur actus secundum speciem, potentiae secundum individuum. Quarto modo comparatur actus secundum individuum, potentiae secundum individuum, & omnes istae comparationes declarabuntur ita

QVAESTIO XIII.

355

conclusionibus sequentibus.

Quantum ad secundum sic haec prima conclusio, (& adverte, quod intendo procedere in his conclusionibus iuxta doctrinam philosophi, ponentis mundum & motum & generationem aeternam.) Actus & potentia primo modo comparationis non ita se habent, quod actus sit prior tempore potentia, nec e converso, probatur. Actus & potentia secundum philosophum sunt aeterna, ergo unum non est prius tempore alio, consequentia nota, quoniam aeterno nihil est prius duratione, aliter non esset aeternum. Antecedens probatur, quoniam sicut potentia passiva est aeterna secundum philosophum, puta materia prima, ita actus est aeternus, siue sumatur actus pro substantia immateriali, quam probat Aristot. in lib. 12. esse aeternam, siue sumatur pro forma informativa materiae, licet enim nulla forma educta vel educibilis de potentia materiae sit aeterna eadem numero, tamen est aeterna secundum speciem vel secundum genus, quoniam secundum philosophum, species rerum corruptibilium per successionem sunt aeternae, & ab aeterno materia non spoliatur omni forma.

Secunda conclusio. Actus in secunda comparatione non est prior tempore potentia, probatur, quia cum secundum philosophum in 2. de generatione text. 55. generatio sit perpetua, semper fuit homo actu & erit, & semper fuit homo generandus & erit, sic intelligendo, quod sub specie hominis semper fuit & erit aliquis homo actu, & semper fuit & erit aliquis homo in potentia. Aliter generatio humana, habuisset principium & finem durationis, quod repugnat doctrinae Aristot.

Tertia conclusio. Actus in tertia comparatione est prior tempore potentia, probatur, quia secundum philosophum in li. 2. text. 16. causa mouens & agens praecedit illud cuius est causa, & in hoc distinguitur causa agens a forma, quoniam illa simul est cum eo cuius est forma. Sed actus secundum speciem est causa agens, respectu eius quod est in potentia secundum individuum, puta generandus, qui est hic homo in potentia necesse est ut generetur ab homine existente actu. Implicat enim aliquid se reducere de potentia ad actum, ergo actus secundum speciem est prior tempore potentia secundum individuum, & maxime in generatione uniuoca.

Quarta conclusio. Actus in quarta comparatione est posterior tempore potentia. Hanc sic intelligi. In re corruptibili,

NONI METAPHY.

esse in potentia precedit esse actu, puta rosa A, generanda in re, prius tempore habet esse in potentia, quam habeat esse actu, probatur. In productione physica, quæ est per motum qui fit in tempore, terminus à quo precedit tempore terminus ad quem. Sed in re corruptibili generanda, terminus à quo est esse in potentia, terminus ad quem est esse actu. Nam in 1. phys. text. 78. exente in potentia fit ens in actu, ergo &c.

Quantum ad tertium aduerte, quod cum potentia & actus sint relativa, ut dictum est supra, difficile est saluare, quod actus sit prior tempore potentia, vel e conuerso, quoniam cum relativa sint simul natura, posito vno, ponitur alterum, & remoto vno, remouetur alterum, ergo in nulla comparatione vnum precedit alterum.

Ad hoc dicitur, quod potentia & actus non sunt puri respectus, quoniam purus respectus non est principium agendi nec patiendi, nec dicit perfectionem. Sed sunt entia absoluta in cludentia respectum, sicut scientia & actio, & mensura. Tunc dico quod ut res sunt, non inconuenit vnum precedere aliam, & subsequi, sicut & homo generans precedit tempore hominem genitum, & causa agens per motum, precedit tempore effectum suum, ut autem includunt respectum, vel ut concipiuntur conceptu relativo, vnum non precedit alterum, quia concipiuntur in ordine vnius ad alterum. Quando comparauimus actum potentie in tertia & quarta conelusione, fecimus comparationem ut res sunt, & non ut includunt respectum, & ideo argumentum non concludit, aliter causa non esset prior suo effectui.

Et aduerte, quod in hac q. semper intendimus de actu, ut comparatur potentie passiuæ, siue receptiuæ ipsius actus, vel comparando agens passiuo, aut producibili, sicut comparando formam materiam, aut hominem actu homini producibili. Sed in questione loquamur de actu comparato potentie actiuæ, à qua egreditur ut edificare potentia, id est, arti edificatiuæ. Hæc de presenti questione dicta sint.

Quæstio 14. Si in potentia actiuæ quæ acquiruntur exercitio, actus, id est, operatio est prior tempore potentia, etiam respectu eiusdem potentie secundum numerum.

Quapropter & videtur impossibile edificatorem esse, qui non edificauerit. Text. 14.

QUAESTIO XIII.

254

Philosophus in hoc text. comparat actum, id est, operationem potentis suis actiuis, non quidem naturalibus, quonia de eis determinatum est supra, in q. 8. quod semper precedunt actum aut naturam, ut potentia illuminatiua solis illuminationem. Aut tempore, ut prius tempore quis habet potentiam actiuam gradendi, quam gradiatur. Sed comparat potentia actiuæ, quæ acquiruntur aut disciplina, sicut artes & scientia, aut consuetudine, sicut habitus morales, & dicit manifestum esse in his etiam respectu eiusdem suppositi, quod actus, id est, operatio precedit potentiam actiuam, id est, habitum acquirendum, quoniam nisi quis frequenter cytharizauerit, non fiet cytharædus. Queritur ergo, si possibile est in his potentia actum precedere tempore ipsam potentiam.

In hac q. non cadit difficultas, nisi in hoc, quod videtur difficile posse saluare, quomodo isti actus, ut edificare, & cytharizare sint effectus artis edificandi & cytharizandi, & tamē precedat istas artes tanquam causas, quibus multiplicatis tales artes addiscimus, ex his enim sequitur, quod idem respectu eiusdem sit causa & effectus, prius & posterius, quod patet esse impossibile. Et aduerte, quod hæc est ambiguitas Platonis in Menone, quam recipiat philosophus in 1. post. text. 4. & hic replicat ac soluit in text. 14. Ut igitur in presenti questione te resoluas, sic procedes. Primo ponetur conclusio responsiua. Secundo formabitur difficultas, quam Plato inducit, ad probandum, quod nostrum addiscere non est nisi reminisci. Tertio soluetur ipsa difficultas. Quarto mouebitur dubium contra solutionem dictæ difficultatis & soluetur.

Quantum ad primū sic hæc conclusio responsiua, in potentia actiuæ, quæ acquiruntur exercitio, quales sunt artes & habitus morales, actus precedit tempore ipsam potentiam. Hanc notificat philosophus certissima experientia, nam quilibet experitur, quod non potest acquirere artem, nisi ex prius frequentis actibus, vnde Comment. inquit in commen. 14. Qui addiscit cytharizare, cytharizat ut addiscat, & sic acquirat artem cytharizandi, & similiter in aliis artificijs, quæ acquiruntur exercitio, ergo &c. & aduerte, quod qui negat hanc conclusionem, negat id quod ad sensum patet.

Quantum ad secundum aduerte, quod ut dicit Comment. in coment. 13. ex hoc quod actus precedit potentia, id est, habitum, qui acquiritur exercitio, fuit causa questionis sophisticorum

NONI METAPHY.

famosæ attribuitur Mennoni, per quã quærebat probare, quod nihil addiscimus de nouo, sed quod habemus scientiã & artes nobis innatas. & arguit sic, si quis addiscit scientiam vel artem aliquã, aut addiscit sine actione scientiæ, vel artis addiscendæ, aut per aliquã actionem. Si sine actione, non erit addiscere omnino, qui enim non cytharizat nõquã fiet cytharædus, si per actionem illius scientiæ vel artis addiscendæ, ergo addiscens erit sciens, & non indigebit addiscere. v.g. si nõ addiscit cytharizare, nisi qui cytharizat, & nõ cytharizat, nisi qui scit cytharizare, ergo impossibile est addiscere cytharizare, sequitur enim, ex hac q. vt qui nescit cytharizare, agat cytharistæ actionem, ex consequenti addiscens est sciens, quod implicat cõtradictionem, nam si addiscit non est sciens, & si scit, non est addiscens, se habent enim addiscere & scire, sicut via & terminus.

Quantum ad tertium aduerte, quod solutio stat in hoc, licet in anima nostra nõ sint scientiæ & artes cõgenitæ, sunt tamen quædam principia naturalia, & naturales inclinationes in diuersis ad diuersas scientias & artes, ita quod qui inclinatur ad musicam de facili proficit in ea, & sic de aliis habitibus, qui autem non inclinantur, nec habet in se aliqua principia, velut semina non proficit. vnde dicit Cõment. in cõment. 13. animus non addiscit cytharizare, neque homo qui non est innatus cytharizare. Tunc dico ad argumentum, quod addiscens addiscit per actionem, quæ non est scientiæ addiscendæ eo modo quo est addiscendæ, id est, perfecte, sed est scientiæ quæ imperfecte est in suis principiis, velut in feminibus, qui vt sic, non addiscitur, sed inest, sicut prima principia naturalia complexa, ad improbationem, nego hanc consequentiã, ergo addiscens est sciens, nisi inferas sic, ergo addiscens est sciens imperfecte & potentialiter, quod concedo, quoniam habitus continetur virtualiter & potentialiter in principiis suis, & nego quod implicet contradictionem, ad probationem dico, hanc conditionalem posse esse veram & falsam, verã in hoc sensu, si est addiscens non est sciens complete & perfecte, falsam in hoc sensu, si est addiscens non est sciens imperfecte, similiter ista est vera, & falsa, verã, sic, si est sciens complete, non est addiscens, falsa sic, si est sciens incomplete, non est addiscens. Et quia incipiens cytharizare nõ producit hos actus ex arte perfecta, sed tantum ex primis principiis, velut ex feminibus, in quibus non actu & complete, sed virtualiter continetur ars, ideo stat, quod ante artẽ cytharizat

QVAESTIO XIII.

255

aliquantulum, & cytharizando melius paulatim addiscat artẽ. Decipitur autem Mennon, quoniam credit non habentem artem, nullo modo posse habere actionem artis, quod vtrique esset verum, nisi haberet innata principia artis.

Quantum ad quartum aduerte, quod contra conclusionem determinatam insurgit tale dubium, si actus precedit potentiam, quæ acquiritur exercitio, ergo necesse est vt reducat in aliquam causam, à qua producat. Quæro ergo, aut reducit in habitum, aut in potentiam naturalem, quæ nondum habet habitum, puta actus cytharizandis præcedens artem, aut reducit in artem, aut intellectum, nondum habitatum arte, si primum, ergo falsum est, actum præcedere potentiam, id est, habitum, quia effectus non præcedit, sed subsequitur causam, si secundum, ergo actus præcedens habitum, & actus productus ex habitu non sunt eiusdem rationis, cum vnus producat à potentia naturali nondum habituata, id est, ab intellectu nondum acquisita arte, & alius à potetia habituata, & sic sequitur, quod illi actus præcedentes, cum sint quasi equiuoci, non generabunt habitum, à quo postea eliciuntur cõsimiles actus, & aduerte, quod hic accipio potentiam naturalem, vt distinguitur contra artificialem, non vt distinguitur contra rationale, hoc modo potest dici intellectus, qui est subiectum habitus scientifici & artis, quod est potentia naturalis.

Ad hoc dicitur, quod actus præcedens potentiam acquirendam exercitio, reducit in potentiam naturalem, nondum habituatum, sed vt in se habet principia & inclinationem ad habitum, & tunc nego illam consequentiã, ergo actus præcedens habitum & actus productus &c. ad probationem dico, quod actus præcedens & subsequens licet non sint à potentia eodem modo se habente, tamẽ non distinguuntur formaliter & specificè, sed vt minus & magis perfectum, quæ non diuersificant speciem, ex cõsequenti sunt vniuoci, & nego quin sint generarij artis, quoniam producunt à potetia naturali, in qua sunt prima principia artis, velut semina, in quibus causaliter ars addiscendæ continetur. Hæc de præsentibus quæsitio dicta sint.

Quæstio 15. Si actio transiens est subiectiue in passo.

Quorum vero aliquid alteram est, quod sic præter vsum, horum actus in facto est, vt edificatio in edificato. Tex. 26.



NONI METAPHY.

Quoniam philosophus in hoc tex. videtur expresse dicere, quod actio transiens est in patiente, siue in eo quod sit, ideo ad inuestigandum est, & precipue, quia aliqui tenent actionem esse subiectiuam in agente, quorum rationes formabimus infra, & soluemus. Tu igitur sic procedes. Primo ponetur distinctio de agente, & distinctio de actione transeunte. Secundo ponentur conclusiones responsiuæ. Tertio soluentur fortiora argumenta tenentium oppositum.

Quantum ad primum aduerte, quod agens est duplex quoddam est agens in alterum, & nullo modo in seipso, vt ignis comburens lignum. Sortes portans lapidem. Quoddam est agens in seipsum, ita quod est idem supposito agens & patiens, vt Sortes mouens seipsum, percutiens seipsum, sanans seipsum. Actio transiens sumitur dupliciter. Primo pro respectu reali, quem habet agens ad passum, sicut & passio potest accipi pro respectu reali passii ad agens. Secundo pro re siue forma causata ab agente, & acquisita à passio, sicut calefactio actiue sumpta, est ipse calor realiter vt causatur ab agente in passio, puta in aqua.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio. Actio transiens sumpta pro respectu agentis ad passum, est subiectiue respectus in agente, probatur, in quocunque est fundamentum respectus, in eodem subiectiue est respectus, quoniam vt probauimus in libro 5. relatio & fundamentum sunt idem, vel si tenentur quod non sunt idem, saltem vnum nititur alteri, ex consequenti, vbi est vnum subiectiue, erit & alterum. Sed respectus agentis ad passum est fundatus in potentia actiua agentis, que est subiectiue in agente, vt patet, ergo actio pro respectu, est subiectiue in agente.

Præterea. Respectus agentis ad passum, & passii ad agens sunt respectus oppositi, ergo non sunt in eodem subiectiue, sed respectus sibi oppositus non est in passio, sed in agente.

Secunda conclusio. Actio 2. modo sumpta, non est subiectiue in agente, sed in passio, probatur. Si est subiectiue in agente præter respectum agentis ad passum, quem iam probauimus esse in agente, quare quid ponit in agente, & non potes imaginari quid ponat, nisi aut potentiam actiuam, aut aliquem actum absolutum acquisitum in agente, non potes dicere primum, quoniam potentia actiua agentis non est actio, aliter cum potentia actiua continue sit in agente, sequitur agens co-

QVAESTIO XV.

256

tinue agere, & sic ignis continue calefaceret, quod est manifestum falsum, & ædificator continue ædificaret, nec potes dicere secundum, quia omne illud in quo aliquid fit & acquiritur, in eo quod tale, se habet in ratione acti vel facti, & non in ratione agentis & facientis. Sed si aliquis actus absolutus acquiritur in agente, dum agit, tunc agens in eo quod agens, se habebit vt in quo actus acquiritur, ergo agens in eo quod agens est actum & factum, saltem subiectiue, quod implicat contradictionem, quoniam agens vt agens opponitur actio, sicut mouens vt mouens opponitur moto. Præterea, in quocunque est mutatio vel motus, in eo quod huiusmodi mutatur vel mouetur. Sed si aliquis actus absolutus acquiritur in agente de nouo, dum agit, oportet quod aliqua mutatio vel motus sit in agente ergo si agenti in eo quod agens acquiritur aliquis actus absolutus de nouo, in eo subiectiue receptus, sequitur quod agens in eo quod agens mutetur vel mouetur, quod est impossibile. Cum igitur actio secundo modo sumpta non sit in agente, restat quod sit subiectiue in patiente. Et aduerte, quod hæc est sententia philosophi in 3. phisic. text. 20. vbi inquit. Aut neque actum alterius in altero esse, inconueniens est, est enim doctio actus docentis, in quodam enim &c. quem tex. sic declarat Comment. in comment. 20. Non est inopinabile, quod actio agentis sit in alio, est enim manifestum per se, quod doctrina est actio docentis, & est in addiscente. Hæc igitur sit determinatio de subiecto actionis transeuntis, in qua sequutus sum Heruo. in 4. quod lib. 9. 4. quem non puto deuiare in hoc à via Thomisti. in mo mentem b. Tho. resoluere.

Tertia conclusio, si aliquid sit agens actione transeunte non in alterum, sed in seipsum. Actio est subiectiue in agente. Hæc est manifesta per se, vt quando animatum mouet seipsum, & modicus sanat seipsum. Tu tamen aduerte, quod in tali casu, licet actio sit in agente non tamen in quantum, nec in eo quod agens, sed in eo quod patiens, ex consequenti nunquam est concedendum, actionem transeuntem esse subiectiue, id est, vt in quo in agente, sed causatiue, id est, vt à quo &c.

Quantum ad tertium aduerte, quod fortiora argumenta tenentium actionem esse subiectiue in agente sunt ista.

Primo, vbi est effectus formalis, ibi est forma, quia sunt inseparabiles, sed in agente est effectus formalis actionis, dicitur enim agens & est agens actione, ergo actio est subiectiue in agente.

NONI METAPHY.

Ad hoc dicitur, quod effectus formalis est duplex, quidam secundum rem, & denominationem, ut paries est albus albedine realiter & denominatione, & de hoc conceditur maior, quidam est secundum denominationem, & de hoc negatur maior quia denominatio potest fieri ab aliquo extrinseco, sicut locatum denominatur à loco, qui non est subiectiue in locato sed in locante, sic dico in proposito, quia actio denominat agens de denominatione extrinseca, ideo maior negatur, quia ista propositio actio est agentis, non verificatur pro subiecto, sed pro principio à quo egreditur.

Secundo, omnis perfectio est formaliter in eo cuius est perfectio, nihil enim perficitur formaliter, nisi aliquo sibi intrinseco. Sed actio est perfectio agentis, tunc enim agens est in sua ultima perfectione cum agit, ergo actio est subiectiue in agente.

Ad hoc dicitur, quod loquendo de agente, quod tantum est agens, minor est falsa, sumendo ly agentis pro subiecto, licet sit vera, sumendo ly agentis pro principio, ut illuminatio est solis, id est, à sole. Ad probationem dico, quod concludit, actionem esse signum ultimæ perfectionis in agente, nam ex eo quod agit, arguitur ultima perfectio in eo, perfectius est enim esse actuale principio actionis, quam potèiale. Dixi quod tantum est agens, quoniam si sit agens & patiens, ut cum quis sanat se ipsum actio est perfectio sua, & est in eo subiectiue, non ut agens sed ut patiens.

Tertio, cuius est potentia, eius est actus, ex libro de somno & vigilia. Sed potentia actiua est agentis & in agente, ergo & actus, id est actio.

Ad hoc conceditur, quod & potentia actiua & actio sunt agentis, sed non est necesse, quod sint uniformiter, nam potentia actiua est in agente subiectiue, actio autem ut in principio à quo egreditur, & non ut in quo recipitur, nisi sit simul agens & patiens.

Quarto, tenet philosophus in 8. phy. tex. 15. q. si Deus de nouo inciperet agere, mutaretur, hoc autem non contingeret, nisi de nouo aliquid in se reciperet, non apparet autem quid sit illud, nisi noua actio, igitur illa esset in eo, & per consequens de facto omnis actio est in agente.

Ad hoc dicitur, quod utique Deus mutaretur secundum opinionem philosophi, prout mutari communiter est aliter se habere quam prius, sed hoc non esset secundum philosophum, quia

QVAESTIO XVI.

257

quia in se reciperet nouam actionem, sed nouam dispositionem vel nouam uolitionem quam haberet ad agendum, cum prius non ageret, ut imaginatur Commen. illic in commen. 15. licet pro ueritate, sua imaginatio esset falsa, ut in libro duodecimo, ostendemus.

Quinto, si unus ignis calefacit duo, aut erit una actio, aut duæ, non duæ, quia unius agentis est unica actio, ergo una, & si una, aut illa est in passo aut in agente, non in passo, quia quæ ratione est in uno est in utroque, & sic idem accidens esset in duobus subiectis quod est impossibile, ergo est in agente.

Ad hoc dicitur, quod ex parte principii à quo egreditur, est una actio, sed ex parte termini & subiecti receptiui, sunt duæ, nec inconuenit, quod sint duæ ex parte subiecti, sicut non inconuenit, quod plures linee, quæ sunt unum in centro, plurificentur, ex eo quod terminatur ad distinctas partes circumferentiarum.

Sexto pater & filius non se compariuntur in eodem respectu eiusdem, cum sint respectus oppositi, ergo generatio actiua & generatio passiua non sunt in eodem, cum sint fundamenta illorum respectuum.

Ad hoc negatur consequentia ad probationem, nego, quod illa sunt fundamenta talium respectuum, cum non maneant, sed dico, quod fundamentum paternitatis, est potentia generatiua, ut ab ea egressus est actus generandi, & fundamentum filiationis est potentia passiua, ut fuit sub actu generandi passiuæ.

Actus autem generandi actiue & passiuæ receptus, est in genito, unde aduerte, quod ratio propter quam idem non potest esse pater & filius, non est, quia generatio actio & generatio passiuæ non sunt in eodem subiectiue, sed quia non potest esse idem à quo est generatio, & qui generatur.

Septimo, actio denominat agens, quæro aut denominatione intrinseca, aut extrinseca, non extrinseca, quia denominans aliquid extrinsece denominat aliud intrinsece, sicut visio denominans lapidem visum extrinsece, denominat oculum intrinsece, est enim oculus videns uisionem, quæ est ab eo, & in eo, sed si actio denominat agens denominatione extrinseca, non potest assignari quid denominet intrinsece, non enim denominat passum, dicitur enim passum passione & non actione: restat ergo, ut denominet agens extrinsece, ex consequens sit in eo.

K



NONI METAPHY.

Ad hoc dicitur, quod res quae est actio, denominat agens & patiens, agens quidem extrinsece, patiens intrinsece, sed non eodem nomine, sed vna res vt est ab agente nomine actionis denominat agens, vt est recepta in passio, nomine passionis, denominat patiens, nec est inconueniens idem distinctis nominibus denominare plura, sicut vna res actio sub nomine docerine denominat docens, & sub nomine discipline denominat discens. Haec de praesenti quaestio dicta sunt.

Quaestio 16. si actio immanens est subiectiue in agente & in quibus differt a transeunte.

Quorum vero non est aliquid aliud opus praeter actionem, in ipsis existit actio. Tex. 16.

Circa hunc textum aduerte, quod philosophus videtur ponere differentiam inter actionem transeuntem & immanentem, ex hoc quod transiens est in actio siue in facto vt determinatum est in 9. praecedenti, immanens autem videtur esse in agente, verum vt habeatur sufficiens differentia inter eas, intendo querere in quor differtur.

In hac quaestione sic procedetur. Primo pertractabitur triplex opinio, & determinabitur iuxta tertiam. Secundo soluentur quaedam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quod vna opinio quae est Heruei, in quod. 2. in 9. 8. dicit, quod differentia sufficiens stat in hoc, quod actio transiens est actio causae efficientis, quoniam efficiens vt est efficiens non agit in seipso, nisi per accidens, vt medicus sanat seipsum vnde arbitratur, quod omnis actio causae efficientis sit actio transiens. Actionem autem causae materialis quae proprie dicitur recipere & actionem formae quae potest dici agere formaliter, vt albedo facit album, arbitratur esse actionem immanentem, & quoniam aduertis, quod actio sic sumpta esset aequiuoce dicta de immanente & transeunte, ideo id non habet pro inconueniente, nam sic dicit in huius determinationis sup. si autem inuenitur actio manens & actio transiens, oportet accipere actionem aequiuoce, sicut facere dicitur aequiuoce, quando plator facit parietem album scilicet effectiue, & albedo facit ipsum album scilicet formaliter, haec ille.

Sed si aduertis, haec differentia apud omnes expositores philosophi est impropria, nec est ad mentem philosophi, cuius si-

QVAESTIO XVI.

258

gnam est, quod Herueus in tota sua determinatione, non facit mentionem de textu philosophi in 9. metaph. qui est tex. 16. Manifestum est enim ex dicto tex. & ex Comment. quod non differt actio immanens a transeunte, quia illa non est ab efficiente, haec autem est ab efficiente, immo exemplificat philosophus pro actione immanente, de visione in vidente, & speculatione in speculante, patet autem quod videntis & speculantis si in genere causae continentur, hoc erit in genere causae efficientis. Cum igitur haec opinio sit impropria, ideo relinquenda est. Hic enim intendimus loqui ad mentem philosophi.

Est alia opinio, quae tenet, quod differentia stat in hoc. Actio transiens est in passio subiectiue, actio autem immanens est in agente, non quod recipiatur in agente vt in subiecto, sed est in eo vt in agente, & sua imaginatio stat in hoc. Dicit haec opinio, verum est quod actio immanens est in agente, quia ex quo accidens est, oportet quod sit in aliquo, & tamen non sequitur, quod si est in agente, sit in eo per modum recepti passiuae. Nam licet esse in, sit commune nouem generibus accidentium, diuersimode tamen, quoniam illis generibus accidentium quorum esse est in quodam informari, conuenit esse in, vt in subiecto receptiue, quorum autem esse est in quodam facere, illis conuenit esse in, vt in agente, & non vt in subiecto. & de talibus entibus est actio immanens, & quod licet sit in agente, non sit in eo subiectiue, probatur sic. Omnis actus receptus subiectiue in potentia receptiua, denominat talem potentiam sine subiectum suum passiuae, quia enim aer recipit subiectiue illuminationem a sole, dicitur illuminatus, & quia aqua recipit calefactionem subiectiue ab igne, dicitur calefacta. Sed actio immanens quae est in agente, non denominat ipsum passiuae. Haec enim est falsa, voluntas in qua est volitio, est volita. Intellectus in quo est intellectio, est intellectus, ergo &c.

Praeterea, omnis actus receptus, subiectiue in potentia passiuae est actus imperfecti, quia omnis potentia passiuae vt passiuae est perfectibilis, & per consequens aptus receptus in ea, est actus imperfecti, & e contrario, omnis actus qui est in aliquo vt actus perfecti, est in eo vt in eo agente, & non vt in subiecto. Sed actio immanens est actus perfecti, etiam secundum Comment. in 3. de anima. comment. 1. 1. & communiter tenetur, ergo licet sit in agente, non tamen subiectiue.

Sed quod haec opinio repugnat philosopho, & doctrinae suae, sic

NONI METAPHY.

ostenditur. Actio voluntatis elicita actiue à voluntate differt realiter à voluntate, ergo si est in voluntate, est recepta in ea subiectiue. Antecedens patet, quia stat voluntatem esse in dormiente & tamen nullam actionem habere, consequentia probatur, si est in voluntate quare aut est subsistens, aut inexistens, non primo, quia esset substantia, ergo secundo, ergo cum sit accidens est informans voluntatem: ergo est in ea vt in subiecto. Præterea, cum communissima ratio accidentis apud philosophum sit esse in subiecto, & secundum omnes, actus immanens si accidens præter quam in separatis, vt declarabitur in 2. li. ad mentem philosophi, necesse est vt sit in agente subiectiue. Præterea, philosophus in 2. li. metaph. tex. 16, ponens differentiam inter actionem transeuntem & immanentem, nullam assignat differentiam, quo ad esse in, sed tantum ex diuersitate termini & diuersitate subiecti, prout terminus transeuntis est quid operatum præter operationem, quod non contingit regulariter in actione immanenti, & subiectum transeuntis est factum siue passum, subiectum autem immanentis est agens, vnde explicitis dicit vniuersaliter, quod speculatio est in speculante, & edificatio in edificato, ex quibus patet, qd intentio philo. fuit, quod sicut actio transiens est subiectiue in facto, sic immanens est subiectiue in faciente, siue in agente.

Rationes autem adducte pro hac opinione, facile soluentur nam ad primam dicitur, quod maior non est vera, nisi in actio transiente, quæ est perfectio passivi, ideo denominat ipsum passiuæ. In actione autem immanenti, quoniam est perfectio agentis, sufficit quod denominet actiue, vt dicatur voluntas volitione volens, & intellectus intellectione intelligens.

Ad secundam dicitur, vt iam diximus supra in qd. 7. huius lib. vbi declarauimus, quare actio immanens est actus perfecti, vide illic, & inuenies, quod dicitur actus perfecti, non quia non sit perficiens id in quo est, sed quia est perfectio & complementum, & non est via ad perfectionem, vt actio transiens, quæ est vere motus physicus.

Est autem tertia opinio, secundum quam intendo de terminare præsens quæsitum. Hæc dicit, quod sufficiens differentia vtriusque actionis stat in tribus. Loquendo pure metaphysici, & secundum doctrinam philosophi vt præteruero me à via Theologi quam videtur amplecti Paulus Sonci. in libr. metaphy. questione 20.

QVAESTIO XVI.

Prima igitur differentia est, quod actio immanens est subiectiue in agente à quo producitur, nam perfectio est subiectiue in eo cuius est perfectio. Sed actio immanens est perfectio agentis, vt speculatio speculantis, & felicitas felicitatis. Nec valet instantia, quam adducit Paulus Sonci, quod Deus posset causare in intellectu Socratis intellectionem de lapide, quæ est actio immanens, & in illo casu constat, quod non esset subiectiue in agente, nam licet Theologus id concedat, tamen Arist. negaret. Diceret enim Deum non posse causare huiusmodi intellectionem, nisi concurrente intellectu Soera. vt causa proxima. Actio vero transiens est subiectiue in facto vel passio, & hæc differentia est manifesta in tex. 16. huius lib. & in commen. Comment. eiusdem textus.

Secunda differentia est, quod per actionem immanentem ex natura sui, nullo modo immutatur obiectu circa quod est, vt patet, quod ex eo quod intelligo vel desidero, vel video lapidem, non immutatur lapis, per actionem autem transeuntem semper immutatur subiectum, & aliquid de nouo acquirit vel deperdit, vel qualitatem, vel quantitatem, vel locum, vel formam substantialem.

Tertia differentia est, quod per actionem transeuntem, vniuersaliter & semper producitur aliquid distinctum ab operatione. Quod contingit dupliciter, quoniam aliquando tale operatum remanet post operationem, vt domus post edificationem aliquid non remanet, nisi quandiu est operatio, vt sonus causatus in aere ex citharizatione. Per actionem autem immanentem non vniuersaliter nec semper producitur aliquid distinctum ab operatione, sed ab vtroque abstrahit, nam per aliquam aliquid distinctum producitur, vt per actum intelligendi producitur conceptus, per frequentatos actus speculandi producitur habitus speculatiuus, & per frequentatos actus morales, producitur habitus moralis. Per aliquam autem ex se nihil producitur, vt per videre præcise, vt imaginari, aut velle, aut desiderare, &c. In his tribus consistit sufficiens differentia inter actionem transeuntem & immanentem.

Quantum ad secundam aduerte, quod contra determinationem factam, & maxime contra tertiam differentiam, duo dubia insurgunt. Primum est, dicit philosophus in 1. ethic. ca. 7. qd in quibusdam artibus operationes sunt fines, & non aliquid operatum, & explicat illic Comment. in comen. de arte saltandi

NONI METAPHY.

& cytharizandi, ergo non per omnem operationem transeun-
tem producitur aliquid operatum distinctum ab operatione.
Ad hoc dicitur, vt bene exponit Herucus in 2. quol. q. 8. quod
philosophus intendit per aliquam artem nihil produci distinc-
tum ab operatione, non absolute, sed quod remaneat post o-
perationem, & quia post saltationem & cytharizationem ni-
hil remanet productum per huiusmodi actiones, ideo apud
vulgum & rudes, iudicatur nihil produci, & tamen secundum
recte considerantes aliquid causatur, nam cytharizans percus-
tens chordas per motum localem chordarum causat sonum,
qui est qualitas, & saltans mouens se localiter, causat in se calo-
rem, & in animo delectationem.

Secundum est, quia philosophus in 9. metaphy. text. 16. & b.
Tho. exponens, & Comment. in commen. 16. videntur assigna-
re differentiam quasi vniuersalem, inter actionem immanentem
& transeuntem; quod per actionem immanentem nihil
est operatum præter actionem, per actionem autem transeun-
tem aliquid est operatum præter actionem, ex quibus videtur
philosophus vniuersaliter negare, quod ab actione immanen-
ti aliquid producat præter actionem, & non solum ab aliqua
vt dictum est in assignatione tertie differentie.

Ad hoc dicitur, quod nõ est intentio philosophi negare vni-
uersaliter operatum per actionem immanentem, aliter sibi con-
tradiceret. nam in tex. 14. iam determinauerat, quod quoddam
potentiæ, id est, habitus vt scientia, & habitus moralis acquiritur
exercitio, id est, frequentatis actibus. Idem tenet in ethicis,
constat autem, quod actus morales sunt actiones immanentes,
quare &c. Sed intentio sua fuit negare aliquid operatum pro-
duci per actionem immanentem quod sit finis & perfectio &
vltimum talis actionis, sicut est in actione transeunte, pro cuius
notitia aduertit, quod omnis operatio transeuntes habet aliquid
operatum ad quod ordinatur, vt ad finem & vltimum comple-
mentum, quod est melius ipsa operatione, vt patet comparan-
do edificationem domus, sanationem sanitati. Operatio autem
immanens vel non, habet aliquid operatum, vt patet in actu
sentienti, vel si habet illud, non est finis, nec complementum
talis operationis, immo tale operatum ordinatur ad confirmandam
actionem immanentem, & perfectiorem eliciendam, vt patet
in habitu morali generato ex actibus immanentibus, qui or-
dinatur ad confirmandos actus eliciendos, puta iustitia ad accessus

QVAESTIO XVII.

169

iustitiae, logica ad syllogizandum &c. Hæc de præfenti quæstio
dicta sint.

Quæstio 17. si omne quod habet potentiam
passiuam est incorruptibile.

Omnis potentia simul contradictio-
nis est. Text. 17.

Philosophus in hoc tex. declarat, quod nullum sempiternum
est in potentia passiva, quia vt sic esset corruptibile, nam omnis
potentia passiva respicit esse & non esse, vt dicit hic philoso-
phus, ideo queritur si hoc est verum.

In hæc q. sic te resolues, passiva potentia est duplex. Quædam
est ad esse substantiale, sicut potentia materię primæ, quædam
ad esse accidentale, sicut potentia subiecti ad accidens, vt poten-
tia aque ad calorem. Omne quod est in potentia ad esse substā-
tiale nondum habitum vel remotum, est simpliciter corrupti-
bile, quia sicut simpliciter erit per esse substantiale, ita simpli-
citer desinet esse per subtractionem talis esse: vnde omnia in-
feriora quorum materia est in potentia passiva ad formam
quam non habet, ex consequenti ad esse substantiale largien-
dum sibi à tali forma, sunt simpliciter corruptibilia. Dixi au-
tem ad esse substantiale nondum habitum, vt præterem me à
celesti corpore, de quo determinavi in lib. 3. in q. 11. quod licet
sit habens veram materiam, tamen non est corruptibile sim-
pliciter, quia materia sua non est in potentia ad formam quam
non habet, nec nisi ad esse quod habet. vide in illic, ne inutilis
hæc repetitio. Quod autem est in potentia pass. ad esse acciden-
tale, siue absolutum, siue respectuum, est corruptibile secun-
dum quid, nam sicut per receptionem talis accidentis habet ef-
fe secundum quid, sic per remotionem desinet esse secundum
quid, ex quibus sequuntur duo corollaria.

Primum est, nihil prohibet celum quod est incorruptibile
simpliciter esse corruptibile secundum quid, nam licet non sit
in potentia passiva ad formam quam non habet, est tamen in
potentia ad accidens, quod non semper habet, nam est in po-
tentia ad diuersa vbi, puta sol existens in oriente, est in poten-
tia ad occidentem, & luna est in potentia ad lucem, diuersimode
recipiendam à sole secundum recessum & accessum ad ipsum.

Secundum est, quod substantię separatae mouentes corpora
celestia, nullo modo sunt corruptibiles, quia non sunt in po-

NONI METAPHY.

entia passiva, ut dicit philosophus in lib. 12. in text. 30. Quod quidem licet sit verū proprie de causa prima, in qua actio est substantia, in qua nullum est accidens, nec perficitur aliquo extrinseco, tamen videtur philosophus id attribuere indifferenter omnibus, quoniam illic videtur loqui de omnibus separatis, ut de vno genere, parum distinguendo inter ea, quod tamen ad plenum inuestigabitur in lib. 12. vbi ventilabimus sententiam Comment. & b. Tho. super hoc.

Ex his adverte, quod si propositio philosophi sic intelligatur, vnum quodque eo modo quo est in potentia passiva, est corruptibile, nam si est in potentia passiva substantialiter, modo quo dictum est, est corruptibile simpliciter, id est, secundum substantiam, si autem est in potentia passiva accidentaliter, est corruptibile secundum quid, & hæc expositio est ad mentem Comment. & b. Tho. vnde non est vera opinio Scotistarum, qui intelligunt eam sic, omnis potentia passiva est potentia contradictionis, id est, ad esse & non esse simpliciter. Hoc modo accepit eam Ant. And. in lib. 8. in q. 4. vbi determinat, quod secundum Aristot. non est materia in celo, aliter celum est corruptibile secundum substantiam, & fundat se super hanc propositionem. Omnis potentia passiva &c. patet autem, quod Comment. in lib. 9. in comment. 17. concedit aliquem modum potentie passivæ in celo, sic enim inquit. Sed est possibile, ut in quibusdam æternis sit potentia aliquo modo modorum potentie, scilicet passivæ, verbi gratia, ut partes eorum sint in potentia in aliquo loco & in aliqua qualitate. Hoc enim non est prohiberetur, quasi dicat, ex hoc enim non sequitur, quod sint corruptibilia secundum substantiam, & iste qualitates quæ possunt esse & non esse in corporibus celestibus, sunt aliæ ab eis, quæ attribuantur alterationi, ut obscuritas lune, & illuminatio, & similia, hæc Comment. concedit igitur potentiam passivam in celo, & non concedit potentiam ad esse & non esse simpliciter ergo non ubique est potentia passiva, est potentia contradictionis, scilicet ad esse & non esse secundum substantiam, sed sufficit vel secundum substantiam vel secundum accidens, & sic patet, quod falsa est expositio Ant. And. super quam fundavit rationem suam, qua credit concludere, quod si materia est in celo, secundum philosophum celum est corruptibile secundum substantiam. In hoc quæsitio non cadit alia difficultas, ideo hæc dicta sufficiant.

QVAESTIO XVIII.

263

Quæstio 18. Si materia prima est principalior causa corruptionis.

Nam substantia materia & potentia non actu causa huius. Text. 17.

Philosophus in hoc tex. concludit, quod in celo non est corruptio, nec fatigatio in motu, quoniam non est in eis potentia passiva ad esse non esse, nec ad moveri & non moveri, sicut est in rebus corruptibilibus, cuius causa est materia, sup. subiecta privationi, quæ non est in celo, ut determinavimus in libr. 8. Quæritur ergo, si sola materia est causa corruptionis vel saltē causa principalior.

In hac q. non inuenio multam diversitatem. Tu tamen adverte, quod potest pertractari phyſi. & metaph. qui dem, assignando causam proximam intrinsecam corruptionis in diversis generibus corruptibilium, ut in mixtis inanimatis & animatis & hoc modo consideravit causam corruptionis philosophus in lib. de causa mortis & vitæ in rebus animatis, & nos idem consideravimus in nostro trac. de causa mortis & vitæ, vbi assignavimus causam corruptionis esse frigidum siccum sicut causam vitæ esse humidum calidum. Consideravit etiam philosophus in lib. 2. de generatione, de causa proxima corruptionis in mixtis inanimatis. Hanc diximus in epit. nostro super lib. de generatione esse qualitatem cōplexionalem cōcontinentem virtualiter 4. elementa, & eorum qualitates. Sicut enim illa qualitas est causa quod elementa cōstituant mixtum, ita est causa quod per actionem cōtrarij agentis, mixtum resolvetur in elementa. De hac qualitate cōplexionali satis diximus in nostro epit. super lib. de generatione. Metaph. autem consideratur, quando inuestigatur præcisa prima causa corruptionis in omni re corruptibili. Considerare enim naturam aeris ut potest esse & non esse, & primam ad vniuersalem huius causam, est officium metaphysici.

Et quoniam intendimus resolvere præsens quæsitum mere metaph. ideo sic procederit. Primo ponetur vna distinctio. Secundo dux conclusiones. Tertio soluetur dubium.

Quantum ad primum adverte, quod causa intrinseca corruptionis in omni composito corruptibili potest esse duplex, scilicet primo prima vniuersalissima & secundaria. Primo prima vniuersalissima est illa, quæ in omni re corruptibili inue-

NONI METAPHY.

nitur nulla facta exceptione, & ad quam sit suprema resolutio in assignatione causarum corruptionis, puta si lapis corrumpatur propter ABC, & A educatur in B, & B in C, C, erit primo prima vniuersalis causa. Secundaria est illa, quae non ex se, sed quia reducitur in primo primam vniuersalem causam.

Quantum ad secundam sit prima conclusio. Causa in intrinseca primo prima vniuersalissima corruptionis in omni compositione corruptibili est materia adiuncta priuationi, probatur. Materia adiuncta priuationi est principium primum & vniuersalissimum essendi & non essendi, vt visum est in libr. 7. & declaratit philosophus in 1. phys. text. 81. quod priuatio machinatur ad maleficium, quia scilicet ex quo est in materia substantia alicui formae non completi potentialitatem, materia, est causa, quod materia expoliatur illa forma, & recipit aliam qua priuata erat. Et in 1. de generatione text. 17. reducit per potentiam generationis & corruptionis in materiam subiectam priuationi, vt in principium primo primum, & vniuersale essendi & non essendi, ergo &c. Praeterea determinatum est supra in libr. 8. quod si forma caeli videretur materiae rerum inferiorum, caelum esset ex natura sua corruptibile. Quod vti quae contingeret, non propter formam caeli, quae cum non sit elementaris, non habet contrarium, ergo propter materiam coniunctam priuationi, qualis est materia rerum inferiorum, de qua locuti sumus in libr. 8. q. 14. Praeterea causa primo prima vniuersalis intrinseca corruptionis substantialis necesse est reduci in aliquod principium intrinsecum substantiale. Tale autem principium non est nisi forma & materia, ex 1. phys. loquendo de principio per se. Sed forma non potest esse huiusmodi causa primo prima vniuersalis, quoniam cum forma sit actus, ei conuenit esse principium essendi, & non oppositi, vnde philosophus in 1. phys. text. 81. dixit propter hoc formam esse quoddam diuinum, e contrario autem est de priuatione, ergo tale principium erit materia adiuncta priuationi. Dico autem adiuncta priuationi, quoniam materia ex se praecise non est causa huius, vt determinauimus in 8. in q. 12.

Secunda conclusio, causa secundaria corruptionis in quolibet composito inferiori est forma, probatur. Ideo vnumquodque compositum inferius corrumpitur, quia forma separatur a materia, ideo separatur, quia non terminat potentialitatem materiae, ideo non terminat, quia non dat omnem mo-

QVAESTIO XIX.

262

dum essendi, quem dant aliae formae receptibiles in materia, quibus existit priuata, & sic est status in materia sub priuatione, ergo forma est causa secundaria &c. consequentia patet ex declaratione data de causa secundaria. Sed aduerte, quod esse causam secundariam corruptionis non conuenit omni formae vniuersaliter, nam quaedam est forma subsistens, quae non potest a materia secundum esse, vt anima nostra, de qua determinauimus in 3. de anima esse indefinibile, etiam ad metem philosophi. & haec est causa corruptionis hominis, ex eo solo quod separatur a materia per actionem contrarij agentis debilitantis & corruptentis dispositiones, quibus seruabatur in materia. Quaedam est forma non subsistens, dependens a materia secundum esse, eo quod est educta de potentia materiae, quales sunt omnes formae rerum inferiorum, excepta anima intellectiva, & istae sunt causae secundariae corruptionis, non solum quia separantur a materia, sed quia ex separatione desinunt esse.

Quantum ad tertium aduerte, quod aliquibus videtur formam non solum secundariam, sed & principalem causam esse corruptionis, quoniam cum generatio corruptio sit oppositae, quod est principalis causa generationis, per sui acquisitionem, est principalis causa corruptionis per sui deperditionem, constat autem quod forma est principalis causa generationis, quoniam dat esse rei, & generatio est progressus a non esse, ergo etiam est principalis causa corruptionis, quoniam ex eo quod remouetur forma a materia, est progressus ab esse ad non esse, quae est ratio corruptionis.

Ad hoc, negatur maior, quia non est eadem ratio de generatione & corruptione, nam praecisa causa intrinseca & prima, quae res producibilis trahitur de potentia ad actum, vel de esse in potentia ad esse in actu, est forma, quoniam est actus, ideo est principalis causa generationis, ita quod non est reducibilis in aliam. Quod autem res genita desinat esse, non est causa prima ipsa forma, vt separatur a materia, sed est ipsa materia, vt subiecta priuationi, nam si materia non esset subiecta priuationi formae quam non habet, nunquam deounderetur forma quam habet, sicut diximus supra de materia caeli, & propterea deperditio formae, non est principalis, sed secundaria causa corruptionis. Reducitur enim in materiam adiunctam priuationi, vt si queratur, quare lapis corrumpitur? Responderetur, quia desinat esse. Quare desinat esse? quia separatur forma a materia.

NONI METAPHY.

Quare separatur? quia est in materia coniuncta priuationi alterius formae, & hic est status. Hæc de præfenti quæstio dicta sunt.

Quæstio 19. Si ad hoc quod de aliquo habeatur scientia, necesse est ut sit actus, vel reducatur de potentia ad actum.

Quare palam, quia potentia entia ad actum reducitur inueniuntur, causa vero, quia intelligentia actus. Tex. 20.

Circa hunc tex. in quo philosophus comparat actum potentie quo ad intelligentiam, queritur, si unumquodque ad hoc quod intelligatur, sit necesse ut sit actus, vel reducatur de potentia ad actum ita quod antequam sit actus non potest cognosci.

In hac q. sic procedes, pones aliquas distinctiones. Secundo conclusiones responsivas. Tertio solues duo dubia.

Quantum ad primum, sic hæc prima distinctio, scientia potest dupliciter considerari. Primo quo ad acquisitionem. Secundo quo ad usum potest acquisitionem.

Secunda scientia potest esse de ente reali, & dicitur scientia realis & de ente rationis, & dicitur scientia rationalis, ut logica.

Tertia scientia potest acquiri per inuentionem, ut acquisierunt primi autores, & per doctrinam, ut acquirunt discipuli ex doctore & studio.

Quarta. Rem esse actus, potest intelligi tripliciter. Primo quod sit in actu existentia, & hoc tripliciter, vel semper, ut incorruptibilia, vel successione continuata individuorum, ut homo, leo, equus, &c. Vel successione discontinuata individuorum, quæ tamen non deficiunt in tempore congruo, ut rosa, quæ licet non sit omni tempore, tamen regulariter non deficit in vere. Secundo, quod sit in actu quidditatiue, & est illud in actu hoc modo, de quo semper verificantur prædicata sua quidditatiua, etiam remota actuali existentia, ut homo est animal. Nam etiam si nullus homo existeret, hæc est vera, homo est animal, ut aliter probabitur. Tertio, quod sit in actu non repugnanter, & illud est in actu hoc modo, quod licet non existat actu, tamen non repugnat sibi actu existere. Per oppositum autem, cuiusque repugnat actu existere, dicitur hoc modo non esse actu, ut diametrum esse असिμεтрум.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio. De quocunque

QVAESTIO XIX.

263

habetur scientia realis & acquiritur per inuentionem, necesse est illud esse in actu existentie, siue habeat esse à se, siue ab alio. Dico. Primo scientia realis, quoniam de quo habeatur scientia rationalis, ut de ente rationis, non est aptum existere actu nec per se nec inhærenter, ut declarauimus in lib. 6. in q. vlt. sed sufficit quod sit in intellectu in esse obiectiui, id est, cognito. Dico, Secundo & acquiritur per inuentionem, ut excludat eam, quæ acquiritur per doctrinam, & excludat usum scientie, siue acquiratur per inuentionem siue per doctrinam. De his enim ponam conclusionem sequentem. Hanc igitur conclusionem sic declarata proba. De quocunque ente reali acquiritur scientia realis per inuentionem est tale, quod mouet actu intellectum ad sui cognitionem. Sed mouere actu non est nisi existentis actu, quia actio & motus supponit esse agentis & mouentis, ergo &c. Præterea, De quocunque habeatur scientia per inuentionem, aut habetur à priori, aut à posteriori, si à priori, ergo per propriam speciem impressam in intellectu, & extracta à phantasmate; sed phantasma non accipitur nisi à sensu exteriori, aut secundum totum, aut secundum partem, ut determinauimus in 3. de anima. Nam & phantasia est motus factus à sensu in actu. Sed sensus exterior non mouetur nisi ab obiecto existente actu, ut experimur, ergo &c. Si à posteriori, ergo habeatur scientia de re per cognitionem sui effectus. Sed effectus existens demonstrat causam existere, aut semper, aut temporibus congruis, ergo de tali causa non habeatur scientia per inuentionem, nisi actu effectus existat semper, vel determinatis temporibus, & hanc conclusionem esse de mente philosophi, patet, ex eo quod dicit in lib. 9. metaphysicæ, tex. 20. quod geometre non inueniunt per scientiam diagrammata, nisi actu dimidant, ut quod triangulus habeat tres equales duobus rectis &c. Ad huius confirmationem dicit philosophus in 1. physicæ, quod omnis scientia supponit de subiecto, quia est, ubi Comen. loquens de scientia per inuentionem inquit, ut geometra præponat triangulum & sciet quid significet nomen eius, & quod ipsa res est inuenta, constat autem quod rem esse inuentam, est rem depressam existere. Dixit enim philosophus in 1. poste. quod deficiente nobis aliquo sensu &c. Constat autem quod illic loquitur de scientia per inuentionem, quoniam pro ratione assignat, quod non cognoscimus uniuersalia, nisi per inductionem, inductio autem non habetur nisi de singularibus, singularia vero non cognoscuntur nisi sensu, sensus autem non sentit, nisi existens, quare &c.

NONI METAPHY.

Haec semper respiciunt ipsam. Quoties enim praesentatur lapis intellectui, ut quoddam intelligibile, statim sibi occurrit ut ens, ut substantia, ut corpus, etiam dato quod lapis non existat, & in hoc sensu est intelligendus text. philosophi, ut dicatur sic. Ab eo quod res est, id est, ex eo quod res est talis naturae, quod ex se verificatur talia vel talia praedicamenta de ipsa re, dicitur oratio vera. Nam quia ex natura hominis verificatur risibile de homine, ideo haec est vera. homo est risibilis, & quia ex natura hominis non verificatur rudibile de homine, ideo haec est falsa homo est rudibilis, & sic patet quod argumentum nihil concludit, quoniam procedit secundum sensum primum, quem non admittimus.

Hic quaerunt aliqui, & praecipue Paul. Sone, verum res ante sui productionem habeant esse quiddam rationum, & quoniam Paulus sufficiens est in hoc, & complectitur totam mentem Cap. in 1. dist. 8. q. 1. conclusionem ideo nolo in hoc me occupare. sufficiant tibi illi pro defensione viae Thom. Haec de presenti quaestione dicta sunt.

Quaestio 20. si compositioni & diuisioni intellectus correspondent compositio & diuisio realis in re.

Quoniam autem ens dicitur & non ens &c. vsque ibi. Hoc autem in rebus est componi & diuidi, Text. 22.

Circa hunc text. quaeritur si dictum philosophi est verum, & in quo sensu, & an in omnibus rebus vniuersaliter.

In hac q. sic procedes, primo aduerte, quod cum philosophus dicit in text. praeposito. Hoc autem maxime proprio, aut verum aut falsum &c. intendit de vero & falso solum, ut est in secunda operatione intellectus, nam declarans mentem suam paucis interpositis inquit vnde verum est diuisum, putans diuidi & compositum, componi, & id praeponeo, quoniam, non oportet in praesenti quaestione inuestigare, si dictum philosophi verificatur etiam in prima operatione intellectus, ut faciunt aliqui quaestionantes. Determinatum est enim in lib. 6. quod veritas & falsitas per se non sunt, nisi in secunda operatione intellectus in prima autem per accidens.

Secundo pro decisione quaeriti ponas duas conclusiones responsiuas.

Prima est in rebus compositis & materialibus compositio & diuisio

QVAESTIO XX.

265

uisio intellectus, circa quas est verum & fal. per se fundatur super compositionem & diuisionem, quae est in re, probatur. Compositio & diuisio intellectus negotiatus circa res compositas & materiales causatur ex reali compositione & diuisione, quae est in re, ergo fundatur super compositionem & diuisionem rei, consequentia patet. Antecedens autem est Arist. in praesenti text. inquit enim intellectus est verus putans compositum esse compositum in re, ut homo est albus, & diuisum ab alio esse diuisum, ut homo non est alius, e contrario autem mentem intellectus componens non compositum in re, ut homo est lapis, & diuidens non diuisum, ut homo non est animal. Quonia igitur ab eo quod res est vel non est, causatur veritas vel falsitas in oratione, si res est composita, oratio affirmatiua est vera, & negatiua est falsa, si diuisa ab alio, oratio negatiua est vera, & affirmatiua est falsa, & si quaeras in particulari, quomodo compositio intellectus compositioni rei responderet, & diuisio diuisioni. Respondeo non recedens ab intellectu b. Tho. quod in rebus compositis, compositio formae & materiae vel eorum quae se habent ut forma & materia, vel compositio subiecti & accidentis, se habent ut fundamentum & causa veritatis in compositio, quam in se format intellectus & voce exprimit, v.g. veritas huius compositionis. Sortes est homo, causatur ex compositione huius animae humanae, ad hanc materiam indiuiduale, qua Sortes est hic homo, & huius homo est albus, causa veritatis est compositio subiecti & accidentis, in diuisione autem, diuisio rei à re est causa veritatis, ut haec est vera, homo non est lapis, quia distinguitur homo à lapide, ita quod non possunt simul esse &c. hoc dico, quia licet forma & materia subiectum & accidens distinguantur realiter, sunt tamen vniuersalia, quod non contingit in distinctis supposito.

Secunda est. Compositioni & diuisioni intellectus negotiatus circa subiectas simplices & immateriales, non correspondet compositio, & diuisio realis in re, probatur. In re simplici & immateriali nulla est compositio realis, aliter non esset simplex, quoniam compositio & simplicitas respectu eiusdem sunt oppositae, ergo compositioni intellectus in talibus non correspondet &c. ex quo sequitur, quod non eodem modo est veritas in simplicibus & compositis, nam sicut esse, non est veritas in eis, sic nec veritas. Constat autem quod esse rei compositae confurgit ex componentibus, esse autem rei, simplicitate competit ei absque compositione, sed ex simplici natura sua,

NONI METAPHY.

idem dicendum est de veritate, quoniam sicut res se habet ad esse ita ad veritatem, ut dictum est in 2. lib. text. 4.

Tu tamen adverte, quod pro veritate non datur substantia omnino simplex, nisi prima causa, in qua quando aliqua perfectio predicatur de ea, tali compositioni intellectus nulla correspondet compositio in re, ut in hac, Deus est iustus, Deus est sapiens, id est, re lignatur per predicatum & subiectum, vnde Commentarius dicit in 12. in comment. 39. quod in Deo idem & dispositum id est, predicatum & subiectum &c. Quantum igitur ad alias substantias abstractas, nihil prohibet compositioni intellectus correspondere compositio in re, saltem ex subiecto & accidente, verum quia Aristoteles & Comenius & b. Tho. in hoc loco loquuntur de omnibus, ut de vno genere, ideo pro nunc supponatur esse eadem ratio de omnibus, donec simus in lib. 12. vbi assignabimus differentias inter primam causam & alia separata.

Vltimo adverte, quod quidam dant instantias contra primam conclusionem, dicentes quod in hac compositione non ens est non ens, non correspondet compositio in re, quoniam compositio est proprietas entis, ergo non conuenit non enti. Item, quando predicatur idem compositum de seipso, ut homo est homo, non correspondet compositio in re, quia nihil componit eum seipso, licet nullo homine existente, haec est vera. Sortes est homo, & tamen nulla compositio correspondet in re, si per casum nec Sortes nec homo existit. Sed inspecto sensu philosophi, instantiae nullae sunt. Intendit enim philosophus de compositione & diuisione intellectus in rebus compositis, quae constant ex terminis positivis significantibus rem extra animam, & non ex terminis negatiuis aut priuatiuis; & ideo instantia prima nihil valet. Item instantia secunda nihil valet, quia quando idem predicatur de seipso, est idem iudicium, sicut de re simplici, de qua formata est secunda conclusio negatiua. Ad tertia dico, quod licet de facto non correspondet compositio in reposito illo casu, tamen apud naturaliter correspondet, quae saluatur etiam re non existente. Nam dum dico, Sortes est homo, ly est, non dicit actum existentiam subiecti, sed habitudinem predicari ad subiectum, quod ex natura rei semper est natum conuenire subiecto, & verificari de eo, & adverte, quod aliqui realiter inter quos est Iandanus, quia nescierunt saluare, quomodo huius compositioni Sortes est homo correspondeat compositio in re, posito quod Sortes non sit, dixerit hanc esse falsam. Sortes est homo.

QVAESTIO XXI.

266

similiter istam, homo est animal, posito quod homo non sit, & non aduerterunt quod ad veritatem talium sufficit correspondentia compositionis in re actualis, vel apud naturalis. Haec de presenti quaestione dicta sunt.

Quaestio 21. si contingit deceptio circa quodquid est, & circa substantias incompositas, sine abstractas.

Decipi enim circa quodquid est non est, sed aut secundum accidens, similiter autem circa substantias incompositas non enim est decipi. Text. 22.

In hac quaestione procedes. Primo declarabis quid sit decipi, & in quo differt ab ignorare. Secundo, pones conclusiones responsiuas. Tertio, quoniam determinabitur quod circa substantias incompositas siue abstractas non contingit nobis deceptio, sed ignorantia, declarabis qualis est haec ignorantia, & quomodo potest concordari textus, commenta, cum textu, quem exponit b. Tho.

Quantum ad primum adverte, quod ignorare proprie est nullo modo intellectu attingere obiectum scibile, siue sit simplex siue compositum, sicut merus idiotus, nihil penitus sciens de eclipse, nec de anima, nec de intelligentiis, dicitur proprie ignorare. Decipi autem vel deceptio proprie est habitus erroneus, quo aliquid scimus de re, & aliquid nescimus, siue ignoramus, non solum ignorantia simplicis negationis, sed male dispositionis, sicut qui scit hominem esse animatum & animal, sed nescit animam humanam esse immortalem, imo tenet oppositum. Differunt autem, quoniam ignorantia proprie est tantum circa simplicia, quoniam si attingimus ea, scimus, si non attingimus, ignoramus. Deceptio autem proprie est circa composita, quoniam possumus de eis aliquid scire, puta genus, & nescire differentiam.

Quantum ad secundum ponuntur tres conclusiones responsiuae quaestio.

Prima est. Deceptio non contingit per se in intellectu circa quodquid est siue circa definitionem, probatur, nulla potentia cognoscitiua decipitur per se circa proprium obiectum, dum modo remoueatur omnis indispositio ex parte potentiae & ex parte obiecti. Sed intellectus est potentia cognoscitiua, ut ab omnibus conceditur, & suum proprium obiectum, est ipsum

NONI METAPHY.

quod quid est ex. 3. de anima tex. 26. ergo &c. Maior est philosophi in 3. de anima in eodem textu, ubi loquens de vero & falso vult, quod intellectus, qui est ipse quod quid est, secundum quod intelligit quid est res, semper sit verus, & non secundum quod intelligit aliquid de aliquo, id est componit aut diuidit, unde sicut visus, inquit philosophus, non decipitur in proprio obiecto, sic nec intellectus in cognoscendo quod quid est, sicut autem decipitur visus in iudicando de cōiunctis proprio obiecto, puta si coloratum est homo, vel aliud, sic decipitur intellectus in componendo & prædicando aliquid de aliquo, puta quod cœlum est immobile.

Secunda est. Deceptio contingit per accidens in intellectu, circa quod quid est, probatur. Deceptio contingit per accidens in sensu circa propriū sensibile, ergo & in intellectu circa propriū intelligibile, quod est ipsum quod quid est, consequentia patet, quoniam secundum philosophum ubi supra, sicut se habet sensus ad propriū sensibile, sic intellectus ad propriū intelligibile. Antecedens autem patet ad sensum, quoniam si organum sit indispōsitū sicut lingua febricitantis, iudicat dulce amarum, idem contingit visui ex medio indispōsito, sicut aere existente nubiloso, vel repleto vaporibus calidis, iudicat nubem albam esse rubeam, idem contingit ex indebita distantia sensibilis ad sensum, ut qui iudicat de magnitudine rei, & valde remotis. Eodem modo contingit deceptio per accidens in intellectu, circa quod quid est.

Quod quidem contingere potest duobus modis, primo male ordinando, & componendo partes diffinitionis, ut si quis componeret animal rationale cum immortali, & diceret, quod homo est animal rationale immortale, deciperetur ex eo quod partes impossibiles adiuicem componeret, non enim stant simul animal rationale & immortale, sed mortale. Secundo, male applicando diffinitionem diffinito. Stat enim quod partes diffinitionis sint bene ordinate, & tamen aliquando applicatur diffinitio alteri, cui non conuenit, ut si quis diffinitionem trianguli applicaret quadrato, deciperetur per accidens, quia non in quantum diffiniens, sed in quantum male ordinat vel male applicat, decipitur, nam si diffiniens bene ordinat partes diffinitionis, & bene applicat, semper est verus, & nulla deceptio.

Tertia est. Circa substantias incompositas abstractas, nō con-

QVAESTIO XXI.

269

tingit deceptio in intellectu, sed ignorantia. Antequā probemus hanc cōclusionem aduerte, quod quā philosophus dicit, circa substantias incompositas non est decipi, supponit quod intelligit secundum naturam suam & non ex sensibilibus effectibus, nam si sic, intelligentur more rerum compositarum, & formabimus conceptus compositos ex genere & differentia, vel aliquo loco differentia, & dato quod non vere componatur ex genere & differentia, nō inconueniet, quod cognoscamus substantiā incompositā & simplicem, quo ad prædicatum genericū, & non quo ad prædicatū differentiale. & tūc poterit esse deceptio in intellectu, quia ut sic cognosceret incompōsita per cōpositionē & diuisionem, sicut intelligit cōposita, si autē intelligeretur secundum naturam suam, intelligeretur simplici incūta, absque cōpositione & diuisione & discursu. Aduerte etiā, quod ut dictū est in q. præcedenti, licet pro veritate nō detur substantia incompōsita & omnino simplex, nisi prima causa, tamen quia Arist. Comment. & b. Tho. hic loquuntur de omnibus, ut de vno genere: ideo probabitur absolute, quod in abstractis non contingit deceptio, sed ignorantia, & arguitur sic. Circa ea est deceptio in quibus contingit aliquid scire, & aliquid nescire. Dictum est enim quod deceptio est habitus erroneus, quo contingit aliquid scire & aliquid ignorare. Sed in substantiis incompōsitis abstractis non contingit aliquid scire & aliquid ignorare, quoniam cum sint simplices & indiuisibiles, vel simpliciter scimus eas, vel simpliciter ignoramus, supposito ut dictum est, quod intellectus tendat in cognitionem earum secundum naturam suam, & non more substantiarum compositarum.

Quantū ad tertium aduerte, quod text. philosophi, quem exponit b. Tho. est negatiuus, sic enim inquit, falsum vero non est nec deceptio, sed ignorantia nō qualis cæcitas. Cæcitas enim est ut utiq; si intellectiū omnino non habeat aliquis. Text. autem Commen. partim est negatiuus: partim affirmatiuus, sic enim inquit, & hoc non est falsum, neque deceptio, sed ignorantia, non sicut cæcitas, ista enim ignorantia est sicut cæcitas intellectus, cum nullus eorum habuerit intellectum omnino, & aduerte, quod sicut nō videntur concordare text. sic nec concordat expositio b. Tho. cum expositione Commen. nam dicit b. Tho. quod illa ignorantia non est talis priuatio, qualis est cæcitas, quæ est priuatio potentie visus, esset aut illa ignorantia similitudinis cæcitati, si quis non haberet vim intellectiū ad attingen-

dum substantias separatas, unde asinus habet ignorantiam substantiarum separatarum, sicut oculus cæcus ignorantiam colorum, nam sicut oculus cæcus non videt nec videre potest colores, quia est non habens potentiam visiuam, sic asinus nec cognoscit nec cognoscere potest abstracta, quia non habet intellectum. Homo autem quia intellectum habet, potest cognoscere potentia remota, unde se habet homo ad cognoscendum separata sicut oculus non cæcus, sed conclusus aut velatus ad videndum colores. Comment. autem exponit affirmatiue & dicit, & cum dicimus, quod apud nos non est verum de substantiis simplicibus, non intendimus, quod accidit nobis error, qui est ignorantia secundum habitum, sed accidit priuatio veritatis, quæ est ignorantia tantum, & hæc in virtute rationali, id est, in intellectu, sicut cæcitas in oculo, & innuit per hoc, quod non intelligere res separatas per intellectum humanum est in intellectu in primo, id est, in princ. quædo est sicut tabula rasa, simile cæcitati in oculo, antequam perficiatur intellectus, eo scilicet modo quæ imaginatus est ipse Comment. in 3. de anima, comment. 35. Hæc fuit expositio Comment. ex qua constat, quod licet arbitretur hominem antequam perficiatur per scientias speculatiuas, non posse intelligere abstracta quidditatiue, sicut nec oculus cæcus colores, tamen in vltimo statu si intellectus agens vnietur intellectui possibili vt forma, potest intelligere, & de facto intelliget. Mens autem b. Tho. in tota doctrina sua fuit, quod homo pro hac vita, non potest ad cognitionem talem peruenire, & ideo non est quæreda aliqua concordia inter b. Tho. & Comment. in hoc, sicut determinauimus in li. 2. contra Scotum & Comment.

Sed contra hoc videtur esse corollarium, quod facit b. Tho. post expositionem text. Dicit enim sic, ex quo patet, quod secundum sententiam Arist. humanus intellectus potest pertinere ad intelligendum substantias simplices. Quod videtur sub dubio reliquisse in 3. de anima. Nec valet dicere, vt quidam dicunt, quod b. Tho. intendit sententiam Arist. fuisse, quod intellectus humanus potest in hac vita intelligere substantias simplices, non quidditatiue, sed quantum ad quia est, siue ab effectu. Hoc inquam non valet, quoniam cum dicit philosophus in text. quod circa substantias inopositas non est deceptio, sed ignorantia, supponit quod intelligantur secundum naturam suam, & non ex sensibilibus effectibus, aliter intelligerentur per compositionem & diuisionem, more rerum compositarum, & sic circa eas posset esse de-

ceptio, vt declarauimus in tertia conclusione huius questionis. Nec etiã valet dicere, quod b. Tho. intendit non pro hac vita, sed postquam erit intellectus separatus à corpore. Hoc inquam non valet, quoniam dicit b. Tho. Quod videtur, scilicet philosophus sub dubio reliquisse in 3. de anima. Cõstat autem quod in 3. de anima in text. 36. mouet dubium, & non soluit, vtum in intellectus existens non separatus à magnitudine, id est, à corpore, intelligat aliquid separatorum, ergo videtur b. Tho. in hoc loco concordare cum Comment. quod scilicet intellectus humanus potest existens coniunctus intelligere quidditatiue entia simplicia, id est, abstracta.

Rõ. Hoc argumentum semper reputaui difficile in via nostra, & quoniam teneo quod philosophus in hoc 9. in text. 22. intendit de cognitione quidditatiua substantiarum inopositarum, & pro hac vita, non quod de facto intelligantur, sed si intelligerentur, non caderet circa eas deceptio, ideo ad argumentum dico, quod illud corollarium non fuit b. Tho. sed alicuius glosantis in margine, deinde reductum fuit in expositione, & motiui mei est quoniam si est b. Tho. profecto sibi ipsi contradicit, vult enim hic quod philosophus determinet id quod sub dubio reliquit in 3. de anima. & in 3. de anima exponens text. 36. dicit. Hæc quod si verum intellectus existens non separatus intelligat aliquid separatorum, pertinet ad metaphysicam non tamen inuenitur ab Arist. soluta. hæc ille, Patet autem, quod hæc duo non stant simul, scilicet quod determinet hoc quæsitum relictum sub dubio in 3. de anima, & quod non inueniatur solutum ab Aristot. Sic mihi dicendum occurrit vt liberem b. Tho. à contradictione, si quis tamẽ melius inuenierit: sapientiori cedo. Hæc de presentis quæsito dicta sint.

Explicunt. q. Fr. Chrys. Iauelli Canap. ordin. prædi. philosophiæ & sacre Theologiæ professoris in nono metaph.

Incipiunt quæstiones eiusdem in decimo libro metaphysicæ.

In libro decimo in quo philosophus pertractat de ente, vt diuiditur per vnum & multa, & de his quæ consequuntur vnum & multa, discutienda sunt infra scripta quæsitã.

- 1 Si ratio vnius positua uel negatiua.
- 2 Si ratio mensuræ primò conuenit uni, quod est principium numeri, & per quid conuenit ei.

DECIMI METAPHY.

- 3 Si quid est mensura in aliquo genere est primum & causa omnium quæ sunt illius generis.
- 4 Si prima substantia, id est, prima causa est mensura omnis substantiæ.
- 5 Si unum & multa opponuntur, & in quo genere oppositionis.
- 6 Si multitudo est prior uno.
- 7 Si identitas absoluta & relatiua sunt eadem idẽtas uel distinctiõ realiter.
- 8 Si inter idem & diuersum datur medium.
- 9 In quo differt oppositio relatiua ab alijs oppositionibus.
- 10 Quomodo se habet priuatio ad cognoscibilitatem, & ad esse extra animam.
- 11 Si oppositio contradictoria est prima & maxima, & si potest habere medium.
- 12 Si contrarietas est maxima distantia uel differentia.
- 13 Si contraria habent fieri circa idem, ita quod se compatiuntur in eodem saltem in gradibus remissis.
- 14 Si tantum unum uni est contrarium.
- 15 Si multitudo est genus ad numerum, ita quod sit quid magis commune quam numerus.
- 16 Si omnia media sunt eiusdem generis cum extremis.
- 17 Si media contrariorum componuntur ex extremis virtualiter & formaliter.
- 18 Si inter species cuiuscunque generis est uera contrarietas, precipue in prædicamento substantiæ, & similiter inter differentias.
- 19 Si genus & species generis sunt eadem, aut diuersa genere, uel eadem aut diuersa specie.
- 20 Si omnis contrarietas facit diuersitatem in specie.
- 21 Si corruptibile & incorruptibile differunt genere.
- 22 Si materia est principium distinctionis secundum genus.

QVAESTIO PRIMA.

Si ratio vnius est positua vel negatiua.
Propter quod vni esse, indiuisibile est esse. Text. 1.



In hac q. aduerte, quod eam iam pertractauimus & determinauimus in li. 4. in q. 8. & defendimus viam nostram contra Ant. And. & quonia extimamus determinationẽ illie factã non solum esse ad mentẽ b. Tho. sed & Cõm. ideo intendimus hic, non repetere quæ dicta sunt in lib. 4. in q. 8. sed soluere rationes Io. Bz. Anglici, qui conatur probare, q. formale in ratione vnius, nõ est quid negatiuũ, puta indiuisio, sed quid positiuũ. Sic igitur procedemus. Primo ponetur positio sua. Secũdũ soluetur rationes suæ, quas apparenter fundat in Arist. & Cõm. ideo

Quantum ad primum aduerte, quod in 1. senten. dist. 33. q. 1. art. 2. dicit, quod formale in vno est duplex, scilicet primum & secundum, primum est positiuũ, secundum est negatiuũ, primum positiuum est simplicitas, vni enim ex natura sua est simplex, secundum negatiuũ est indiuisio, quæ sequitur ad simplicitatẽ, quontam simplex vt simplex indiuisum est, & quoniam philosophus & Comment. in 5. & in 10. metaphys. videntur declarare vnum non per esse simplex, sed per esse indiuisum, vt patet in lib. 10. text. 1. vbi inquit, omnia enim hæc vnum per indiuisibile esse. & in tex. 5. propter quod indiuisibile est, quod vnum aut simpliciter, aut secundum quod vnum, dicit iste autor, quod philosophus in 5. metaphys. distinguit nomina, & notificat nõ secundum naturam rei, sed secundum acceptiones famosas, & quoniam communiter iudicatur vnum quod apparet indiuisum, ideo quantum ad communem impositionem nominis, ad quam cõmuniter atreditur, philosophus declarauit vnum per esse indiuisum. cũ tamẽ ex natura sua primo cõueniat sibi esse simplex quã esse indiuisum, quoniam hoc sequitur ad illud, & hanc suã opinionem conatur firmare, ex eo q. philosophus in 10. metaphys. in illo cap. vbi stricte querit contra Pythagoram & Platonem quid sit vnum, an scilicet idea, vel quid separatum determinat quod vni in vnoquoq. genere est natura simplex.

DECIMI METAPHY.

Constat autem quod natura simplex dicit positionem: ergo vnum pro primo formali dicit quid positium.

Hanc suam positionem probat quatuordecim rationibus. Prima est. Cuius modi vel species in quas aliquod commune diuiditur, sunt positium, & ipsum commune est positium. Sed modi vel species assignata de vno ab Arif. in 5. metaph. sunt positium, patet enim quod vnum continentate, vno genere, vno specie, vnum in substantia, vnum in quantitate, vno in qualitate, dicunt quid positium, ergo vnum est formaliter quid positium, & quod vnum in continentate, in substantia, in quantitate dicunt positionem, probatur, quia sua opposita, scilicet discontinuum, diuersum, inaequale, dissimile, dicunt priuationem, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod concludit, modos & species vnius esse positium, non pro suo formali precise, sed pro suo fundamento, ut stat sub formali, fundamentum autem cum suo formali, est entitas rei ut indiuisa, & in hoc sensu diuidit philosophus vnum in 5. metaph. & quando autor probat, ex eo quod sua opposita dicunt priuationem, nego hoc, immo dico, quod idem dicit formaliter indiuationem, quae est ut priuatio, diuersum autem dicit diuisionem, quae est ut habitus. Idem intelligo de simili & dissimili, de aequali & inaequali. & propterea vnum & multa non opponuntur, sicut positium & priuatum, ut ipse credit, sed ut indiuisum & diuisum, sicut infra declarabimus.

Secunda est, philosophus in 10. metaph. tex. 21. ponit oppositionem relativam inter vnum & multa, ut inter mensuram & mensuratum, sed mensura dicit formaliter aliquod positium, ergo & vnum cui attribuitur ratio mensurae.

Ad hoc dico, quod patet in 10. metaph. tex. 9. prima oppositio qua assignat philosophus inter vnum & multa, non est relativam, sed est sicut indiuisibile & diuisibile. Quae enim diuisa aut diuisibilia sunt, multa sunt, & quod indiuisum aut indiuisibile est vnum, inquit illic philosophus, & quoniam de ratione mensurae est esse indiuisibile, ut dicemus infra, ideo esse mensuram est proprietas consequens naturam vnius. Modo ad argumentum dico, quod probat formale in vno non primum, sed secundum quod est proprietas esse positium, cum autem dicimus formale in vno esse negatiuum, intendimus de primo, quod est indiuisio, nam ad hoc reducitur ratio mensurae, & hoc non reducitur in aliquod prius.

Tertia est, si vnum dicit formaliter priuationem, ergo cum relatio similitudinis & aequalitatis fundetur super vnum, se-

QVAESTIO I.

270

quitur quod non erunt relationes reales positium, sed negationes relationum, & sic non sunt per se in genere relationis, sed reductiue, quod est contra philosophum in 5. metaph.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam non fundantur super vnum quo ad suam formale praecise, sed super materiale, ut stat sub formali, quod est ens indiuisum, ut similitudo fundatur super qualitate indiuisam specie. Constat autem qualitate indiuisam esse fundamentum reale, propter quod argumentum nihil concludit.

Quarta, si vnum dicit formaliter indiuationem, ergo responiones datae a Comen. contra Auic. non valet, & probatur consequentia. primo Comen. recitat in 4. metaph. comen. 3. & in 10. metaph. comen. 8. quod Auic. intendens probare, quod vnum addit aliquid super ens, sic arguit, si vnum non addit supra ens, ergo est nugatio dicendo ens vnum. Cui respondens Comen. inquit. Hoc non sequitur, nisi diceremus quod dicere de aliquo quod est ens & vnum quod significat eandem intentionem & eodem modo, nos autem dicimus quod significat eandem intentionem, sed modis diuersis. Tunc arguo sic, si vnum diceret formaliter indiuationem Auic. arguisset sine omni apparatus, quod si est idem entis, erit nugatio dicendo, ens vnum. Sicut enim non est nugatio dicendo homo cecus, nec etiam dicendo ens indiuisum. Deinde non oportuisset Comen. respondere, quod significat eandem essentiam modis diuersis, sed planius respondisset dicendo, quod non est nugatio, quia licet significant eandem essentiam, tamen ens significat eam positium, & vnum priuatiue, & tunc nulla dubitatio fuisset in responsione Comen. Modo autem dubitari potest, quia dixit diuersis modis. Hoc enim potest intelligi de modis positium & priuatiuis. Si igitur Auic. apparenter arguit, & Comen. rationabiliter, respondit, sequitur quod vnum non dicit formaliter indiuationem.

Secundo, Comen. dicit contra Auic. in 4. metaph. comen. 3. quod ens & vnum differunt non essentialiter, sed intentione naturaliter & declarans ly intentionaliter dicit, diuersis modis. Tunc arguo sic. Differre intentionaliter secundum Comen. est differre diuersis modis, ergo positium, quia modus non est negatio, sed vnum differt ab ente diuersis modis, ergo positium, ergo vnum non dicit formaliter priuationem sed positium.

Tertio, Comen. in 4. metaph. comen. 3. reprehendit Auic. qui extimauit hoc nomen vnum, significare carentiam diuisibilitatis, & quod illa intentio, scilicet carentia diuisibilitatis est



DECIMI METAPHY.

alia ab intentione, quæ est natura illius rei. Tunc arguo sic. Aut Coment. arguit Auic. de ista consequentia, si vnum dicit carentiã diuisibilitatis, ergo dicit rem additã essentię rei diuisibilis, & hoc plano est falsum, sicut enim Coment. Auic. nõ fuisse ita rudem quod diceret priuationẽ addere aliquid positiuũ super subiectũ suum, aut reprehendit eum de hac copulatiua, vnum dicit carentiã diuisibilitatis, & addit rem super essentiam rei, & tunc habetur propositũ qđ scilicet Comẽt. extimauit vt rũque esse falsum, ergo secundũ Comen. vñ nõ dicit formaliter priuationẽ scilicet carentiam diuisibilitatis quæ est indiuisibilitas.

Ad hæc respondetur, & negatur prima consequentia. Ad primam probationẽ dico, qđ Auic. opinabatur alio modo committĩ negationem in scientia reali qualis est metaph. & alio modo in logica, nam in scientia reali credebatur committi negationẽ per identitatem realem duorum, & auferri per additionẽ aliquid cuius realis. In logica autẽ credebatur auferri per distinctas rationes formales, etiã stante identitate duotũ reali. Sed Comẽt. voluit innuere, qđ etiã in metaph. tollitur negatio inter eus & vñ per distinctas rationes formales, etiã stante inter ea identitate reali. Apparenter ergo Auic. arguit, & Comẽt. bene respondit, & sua responsio nõ habet dubitationem apud peritum in doctrina Comment. quoniam vbiqđ declarat vnum per esse indiuisum, ita qđ ly indiuisum est sui formale, quo distinguitur ab ente, & id totum patet in x. metaphylica, commento 1.

Ad secundã probationem, nego consequentiã, stat enim aliquid differre ab alio intentionaliter, id est, diuerso modo, & tamen illũ modum nõ esse positiuum sed priuatiuũ, non enim omnes modi quos addunt transcendentia super eus, sunt positiuũ, sed aliqui positiuũ vt modus veri, & boni, aliqui autẽ negatiuus, vt modus vnius, & nego quin aliquis modus sit negatio, sumendo negationem pro priuatione, nam si dico oculum cæcum ly cæcum modificat & restringat oculum, sicut homo albus, ly albus modificat hominem.

Ad tertiam dico, quod Comen. illic recitat omnia quę Auic. attribuebat vno & primo, quod dicit rem additam enti. tertio quod non distinguitur ab vno quod est principium numeri ex his tribus, secundum & tertium sunt falsa, & quantum ad hæc reprehendit eum Comment. non autem quo ad primum. Dico ergo quod Comment. reprehendit Auic. in illa copulatiua, sed nego quod habeatur propositum, & quod Comen. extimauerit

QVAESTIO II.

rit veramq; partem copulatiue esse falsam, stat enim copulatiuam esse falsam, cuius vna pars tantum est falsa, vnde dico, quod Comen. extimauit tantum secundam partem esse falsam, & concessit primam, & sic probatio sua non concludit.

Et aduerte, quod illa distinctio quã posuit de primo formalis quod secundum ipsam est esse simplex, & de 2. formali, quod est esse indiuisum & quod Aristo. manifestat vñ per esse indiuisum nõ loquitur secundũ naturã rei, sed secundũ famositatẽ, & secundũ comũnẽ nominis acceptionẽ est mera imaginatio sua, nec fundamentũ haber in Aristo. nam simplicitas dicit carentiã partiũ, vnde proprie opponitur cõpositioni, ita quod sicut vñ opponitur multo, ita simplex opponitur composito, nec est verũ, quod philosoph. in x. metaph. loquẽs cõtra Pythagorã & Plato. determinet, quod in vno quoque genere vñ est natura simplex, nec facit mentionẽ de hoc termino simplex, sed vt patet in tex. 7. determinat contra illos, quod vñ non est quid separatiũ, sed quod in omni generatione vnum est natura quardã, puta vnus color, vna linea. vnus homo &c. patet autem colorẽ dici vnum, quia est indiuisus specie vel numero, sic de linea, sic de homine. Non igitur sequenda est imaginatio Ioan. Bacho. Hæc de presenti quæsito dicta sint.

Quæstio 1. si ratio mensuræ conuenit in primo vni quod est principium numeri, & per quid competit ei.

Maxime vero in eo quod metrum est esse primum vniuscuiusque generis. Tex. 1.

IN hac q. sic procedes. Primo assignanda est ratio mensuræ vniuersalissime sumpta, siue sit mensura intrinseca, siue extrinseca, siue quantitatiua, siue perfectionalis, siue omogenea siue heterogenea. Secundo, quot cõditiones requirit mensura quantitatiua, de qua hic proprie intendimus probare, quod est primo cõpetẽs vni, quod est principium numeri. Tertio declarandum est per quid cõpetit vni esse mensurã scilicet, an quia simplex, an quia indiuisibile. Quarto ponetur cõclusiones responde, siue. Quinto soluetur quardã dubia. Quantum ad primũ aduerte, quod ratio mensuræ vt mēsurā est, cõsistit in hoc, quod est certificare & notã facere determinate apud intellectum nostrum quantitatẽ rei, siue sit quãtitas dimensiuā, siue quantitas perfectionalis, ita qđ apud intellectũ nostrũ, illud est primo mēsurā quãtitatũ dimensiuā, quo primo cognoscimus ipsam quãtitatẽ,

DECIMI METAPHY.

& illud est primo mēſura quātītatis perfectionalis, quo primo cognoscimus perfectionē & determinatos gradus perfectionis rei in ſuo genere, & vt declarabimus infra. tale est primum in vnoquoque genere, nunc autē quoniam intendimus de mēſura quātītatis diuīſiue, ſufficit tibi ſcire, quod illud est primo mēſura, per quod primo quātītatis rei cognoscitur, & hæc est ratio mēſuræ aſſignata à philoſ. in tex. 2. vbi dicit Cōmen. Diffinitio mēſuræ est illud, per quod mēſuratur, id est, cognoscitur quantitas rei, vnde mēſurare nō est niſi notificare quāta ſit res, vel quōta, & omne notificatiuū quantitatē habet rationem mēſuratiuū. Quātū ad ſecundū aduerte, quod mēſuræ quantitatū tres debent eſſe cōditiones, primo quod ſit certiffima, nam per incertum non poſſumus de aliquo certificarī, ſicut ex principio incognito non poſſumus deduci in notitiā conclusionis. Cum igitur per mēſuram debeat intellectus certificarī de mēſurato, ex diffinitione data de mēſura, neceſſe est ipſam eſſe certiffimam.

Secundo quod ſit indiuiſibilis, & minima in illo genere in quo eſt mēſura. Indiuiſibilis quidē, quoniam vt dicit Cōmētator in comment. 1. res primo & eſſentialiter non mēſuratur, niſi per primum quod eſt indiuiſibile in eis. Minima autem, quoniam, vt dicit philoſophus in tex. ad hoc quod mēſuram certificemur de quantitate mēſurati debet eſſe talis, quod nihil poſſit ſibi addi vel minui, aliter non eſſet eadem mēſura, ſicut patet in ponderibus, puta in vncia in libra. Tu tamen aduerte, quod ly indiuiſibilis & minima ſtat vel ſimpliciter, vel ſecundum institutionem humanam, vt vult philoſophus in tex. ſimpliciter quidem vt vnitās, quæ eſt indiuiſibilis omnino, & quæ mēſuramus omnem numerum, vt probabitur infra. ſecundū institutionem autem humanam, vt mēſura qua vti mur in cōtinuis, ſicut pes, & vna, & brachium, quæ licet ſint in ſe quantitates continuæ, ex conſequenti ſemper diuiſibiles, tamen ex ſtatuto humano accepta pro mēſuris, ſtant in indiuiſibili, ita quod non licet ſibi addi neque minui, vt ſeruetur iuſtitia in ciuilibus. Aduerte etiam, quod hæc conditio minima, verifficatur proprie in mēſura quantitatina, vt perſeruetur mēſura perfectionalibus, de qua dicemus infra, quod maximum in vnoquoque genere eſt mēſura aliorum.

Tertio, quod ſit vniſigena, id eſt, in eodem genere cum mēſurato, quod tu intelliges per ſe vel reductiue, per ſe quidem

QVAESTIO II.

272

vt quando mēſuramus continuum cōtinuo, grauitatem grauitate, motum motu &c. Reductiue autem, quando mēſuramus numerum vnitate, licet enim vnitās non ſit per ſe in practica mēſura quantitatē, eſt tamen reductiue, ſicut principiu reductur ad genus principiatū, & aduerte, quod ſemper loquor de mēſura quantitatina, nam de perfectionali non eſt verum vniuerſaliter, quod debeat eſſe vniſigena, vt dicemus infra de prima ſubſtantia, quæ eſt mēſura omnīs ſubſtantia.

Quātum ad tertium aduerte, quod Ioan. Bacho. in 1. diſt. 33. q. 1. art. 2. tenent, quod propter quam vni competit mēſura, eſt duplex. Quædam prima, & hæc ſecundum eum eſt ſimplicitas, imaginatur enim prima rationem vniſ eſſe naturam ſimplicem. Quædam ſecunda, & hæc ſecundum eum, eſt indiuiſibilitas, quæ ſecundum eum eſt poſterior ſecundum naturam, ſed prior quo ad nos, quia vniſi occurrit noſtro intellectui prius ſub ratione indiuiſibilitatis, quàm ſub ratione ſimplicitatis, ſimplicia enim negatione & priuatione cognoscimus, vt punctus eſt cuius pars non eſt, & hæc ſuam imaginationem quo ad vtranque partem ſic probat, & primo quod prima ratio mēſuræ non ſit indiuiſibilitas, ſed ſimplicitas, ſic arguit, inter mēſuram & mēſuratum eſt oppoſitio relatiua. Sed indiuiſibilitas nec pertinet ad oppoſitionē relatiuam, ſed ad priuatiuam, ergo indiuiſibilitas non eſt prima ratio mēſuræ, ſed ſimplicitas. Quod autem indiuiſibilitas ſit prima ratio, quo ad intellectum noſtrum, arguit ſic. Quæ de difficili intelliguntur à nobis, primo intelliguntur ſub ratione priuationis & negationis, vnde materia primo cognoscitur negatiue, ſcilicet, quod non eſt quid, nec quale, nec quātum, & punctus eſt cuius partes non ſunt. Sed vnitās, ſicut qualibet natura ſimplex, eſt difficiliſ nobis ad intelligendum, ergo prius occurrit intellectui noſtro ſub ratione indiuiſibilitatis, quàm ſub ratione ſimplicitatis.

Sed vt determinatum eſt in quæſtione præcedenti, & in lib. 4. in q. 8. primum formale in vno non eſt poſſibile, ſed negatiuum quod eſt ipſa indiuiſio, quæ diſtinguitur intentione, licet ab ente, ideo poſitio Io. bacho. vt diximus in quæſtione præcedenti, nullum fundamentum habet in philoſopho, nec in Cōmētator. & ſoluimus rationes ſuas, vnde tenemus rationem mēſuræ conuenire vni, in quantum eſt indiuiſibile, non ſolum reſpectu intellectus noſtri, ſed etiam ſecundum naturam ſuam. Ad primam igitur rationem ſuam dicitur, quod licet indi-

indivisibilis ut sic non pertineat ad oppositionem relativam, tam enim res ut stat sub indivisibilitate, pro quanto per eam quantitas alterius certificatur, reducitur ad oppositionem relativam, quoniam ut sic habet rationem mensuræ.

Ad secundam totum conceditur, solum enim probat, quod indivisibilis est prima ratio mensuræ, quo ad intellectum nostrum, & quod intellectus noster primo apprehendit vni convenire rationem mensuræ, in quantum est indivisibile, & non id totum concedimus, & ultra hoc tenemus, quod indivisibilitas est prima ratio secundum naturam suam, ita quod non habet reduci in simplicitatem, immo simplicitas est reducenda in indivisibilitatem, est enim simplex, quod est indivisibile in partes sicut per oppositum, compositum est quod est divisibile in partes, unde & philosophus in fine 8. libri physic. manifestavit simplicitatem primi motoris per esse indivisibile & impartibile, quare &c.

Quantum ad quartam, ponuntur duæ conclusiones responsive ad mentem philosophi. Prima est, esse mensuram quantitativam convenit primo vni, quod est principium numeri, & est reductivè in prædicamento quantitatis, probatur, vni quod est principium numeri est quid indivisibile, & minimum, ex consequenti certissimum, quoniam indivisibile, & minimo stante sui natura, non potest aliquid addi, nec minui, & est reductivè in eodem prædicamento, cum quantitate continua & discreta, ergo &c. Antecedens patet, & consequentia est manifesta, ex conditionibus quas attribuimus mensuræ.

Præterea, mensuramus quantitatem continuam per unitatem vel numerum, ut cum dicimus, vnam vnam pannum, vel duas, vel tres, mensuramus autem quemlibet numerum unitate replicata, unitatem vero per nihil prius mensurare possumus, ergo unitati convenit primo esse mensuram.

Secunda est, Ratio mensuræ derivatur ab vno ad alias mensuras probatur. Conditiones mensuræ conveniunt primo vni, quoniam est simpliciter indivisibile & minimum, cuius signum est, quod omnis numerus resolvitur in unitatem & ipsa non resolvitur in aliquid prius, ergo &c. probatur consequentia.

Quando aliqua proprietas convenit alicui primo & per se, si convenit alteri, convenit in quantum ab ipso derivatur talis proprietas. Sed esse mensuram, convenit primo vni, per præcedentem conclusionem, ergo si convenit alteri, convenit in quantum

tum derivatur ab vno, & illud alterum induit rationem vnius, propter quod philosophus vult in text. quod omnis mensura sit indivisibilis, aut simpliciter aut secundum institutum humanum, ita quod licet in se sit divisibilis, tamen ex humano instituto, induit rationem vnius, ita quod omnis prima mensura in suo genere est mensura, quia est vna, unde apud philosophum in textu mensuramus omnem gravitatem, vna prima gravitate, omnem longitudinem, vna prima longitudine, omnem motum vno primo motu, &c.

Quantum ad quintam adverte, quod contra prædicta insurgunt duo dubia. Dictum est, enim quod vna ex conditionibus mensuræ est, ut sit minima, & determinatum est per primam conclusionem, quod mensura quantitativa convenit primo vni numerali.

Contra primum arguitur sic, dicit philosophus in hoc decimo in text. 4. quod mensuramus motum, motu simplici & velocissimo, qui est motus diurnus primi mobilis.

Sed ille non est minimus, immo maximus, quoniam dividitur motus ex 6. physic. ad divisionem sui mobilis constat autem quod primum mobile est maximum corporum, ergo & motus eius est maximus inter motus, ergo vel non est necessè mensuram esse minimam, vel primus motus non est mensura omnis motus, quod est contra philosophum.

Ad hoc dico, quod exemplum adductum à philosopho de primo motu, quo vult mensurari omnem motum, verificatur de mensura quantitativa, & de mensura perfectionali, de qua loquemur infra.

Ut verificatur de mensura quantitativa, dico quod habet rationem minimi, non respectu sui mobilis, quoniam ut arguitur, uti sic habet rationem maximi motus, sed respectu temporis, quod est mensura primi motus, ex quarto physic. nam cum sit velocissimus, mensuratur, ut ita dicam minimo tempore, & ut sic habet rationem minimi, verificatur etiam de mensura perfectionali, pro quanto est motus nobilissimi corporis & est certissimus, quia simplex, uniformis, repulativissimus, primum enim mobile vnicò motu movetur, reliqui autem orbis & inferiora corpora pluribus.

Contra secundum arguitur sic, ex prima conclusione sequitur, vnum numerale esse mensuram multitudinis quantitativæ, sed hoc non potest esse.

DECIMI METAPHY.

Nam cum mensura sit per quam cognoscimus mensuratum, necesse esset prius esse cognitum à nobis vnum, quam multitudinem, sed hoc est falsum, quoniam cum vnum comparatur ad multitudinem, vt indiuisum diuiso, se habet vt priuatio ad habitum, sed non cognoscitur priuatio, nisi per habitum, ergo vnum non est prius cognitum multitudinem, ex consequenti non potest esse mensura multitudinis.

Ad hoc conceditur prima consequentia, & nego quin hoc possit esse. Ad probationem concedo consequentiam, in hoc sensu, quod necesse est prius cognoscere quod conditiones mensuræ conueniunt vni, quam cognoscere multitudinem esse mensuratum per vnum, non enim cognoscitur mensuratum nisi applicatione mensuræ, & cum probatur falsitas, quoniam cum vnum comparatur &c. dico quod probatio non est ad propositum. Aliud est enim cognoscere vnum secundum naturam suam, & cognoscere in quantum mensura.

Nam si consideretur secundum naturam suam, in quantum comparatur ad multa, vt indiuisum diuiso, & sicut priuatio ad habitum, concedo quod ratione diuisionis & indiuisiōis multitudo est prior in cognitione nostra quam vnum, vt declarabimus infra, si autem comparantur adinuicem, vt mensura & mensuratum, dico quod prius cognosco vnum habere conditiones mensuræ, nam postquam cognoui per diuisionem inclusam in multitudinem, indiuisiōe inclusam in vno, sicut per habitum priuationem, aduertit intellectus, quod vni conuenit ratio mensuræ, quoniam de ratione mensuræ est esse indiuisibile, & minimum, quæ conditiones conueniunt vni. Aduertit etiam quod multitudini conueniunt conditiones oppositæ, & tunc concludit intellectus, quod conuenienter vnum est mensura, & multitudo est mensurata. Concludit igitur argumentum quod vnum secundum naturam suam, in quantum includit indiuisiōnem, non est prius cognitum multitudinem, vt includit diuisionem. Nos autem nunc loquimur de vno, vt sibi conueniunt conditiones mensuræ, & sic dico, quod non est posterius, cognitum, immo per applicationem cognosco multitudinem quæ sit, & quantitatem continuam quanta sit. Hæc de præsentibus quaestio dicta sunt.

Quæstio 3. Si quod est mensura aliquo genere, est primum & causa omnium quæ sunt illius generis.

QVAESTIO III.

274

Maxime vero in eo quod metrum esse primum vniuscuiusque generis. Text. 1.

IN hac quaestione sic procedes. Primo declarandi & distinguendi sunt hi termini positi in titulo quaestio. Mensura, primum & causa. Secundo ponentur conclusiones responsivæ cum probationibus suis.

Quantum ad primum aduerte, cum mensura sit illud, quo innotescit nobis quantitas, siue dimensio siue perfectionalis alterius, ideo est duplex, scilicet intrinseca & extrinseca.

Nam si per aliquod intrinsecum rei cognosco quanta sit perfectio eius, vel quanta sit ipsa res quantitate dimensio, dicitur mensura intrinseca, verbi gratia quia per formam substantialem hominis cognosco perfectionem suam in gradibus entium, ipsa forma est mensura intrinseca hominis, & quia per quantitatem dimensionem existentem in sorte, cognosco quantum sit sortes, ipsa quantitas est mensura intrinseca. si autem per aliquod extrinsecum cognosco perfectionem vel quantitatem rei, pro quanto comparatur ad illud extrinsecum, vel applicatur, dicitur mensura extrinseca, verbi gratia, quia pannus applicatur vlnæ, extrinsece à panno cognosco quantum sit pannus. De mensura perfectionali extrinseca ponam exempla inferius.

Circa ly primum aduerte, quod potest intelligi dupliciter. Primo quod sit primum primitate perfectionis, in quo sensu dicimus aurum, primum metallum Aristoteli, primum philosophum. Secundo, quod sit primum primitate naturæ, vel durationis, quo sensu dicimus dualitatem primum numerum. Motum coeli primum motum. In præsentibus quaestio intendimus præcipue de primo, in primo sensu, licet possit extendi ad secundum sensum, in quo vnitas comparata ad numerum est prima, est enim vnitas prior natura numero, cum non conuertatur subsistendi consequentia.

Circa ly causa aduerte, quod dupliciter potest intelligi. Primum, quod sit causa in essendo & cognoscendo & hoc modo forma est causa rei, quoniam & à forma habet esse actu & per ipsam cognoscitur. Secundo quod sit causa in cognoscendo tantum, & hoc modo habitus est causa priuationis, & in scientia naturali effectus sunt cause causarum suarum, quoniam ex cognitione effectus devenimus in cognitionem cause.



DECIMI METAPHY.

Quantum ad secundum sic hæc prima cōclusio, si loquamur de mensura extrinseca, qua cognosci debet perfectio alicuius, dico q̄ mensura est illud primum, id est perfectissimum illius generis, & illud primum est causa essendi vel cognoscendi omnia illius generis, probatur qua ad singulas partes, & primo, quod illud primum, id est, primum sic mensura aliorum, probatur sic. Per comparisonem ad ipsum cognoscimus gradum perfectionis aliorum, secundum quod magis vel minus propinquum sunt in tali vel tanto gradu perfectionis, & hæc de causa ponitur homo perfectissimum animalium, ergo &c. Antecedens patet ad sensum, & consequentia est manifesta, ex declaratione data de mensura extrinseca.

Quod autem illud primum sit causa essendi omnibus illius generis patet ex 2. metaphy. tex. 4. ubi vult philosophus, primum calidum esse causam essendi omni calido, & primum ens omni enti, & sic de aliis. Quod si est causa essendi, sit etiam causa cognoscendi, patet ex 2. metaphy. tex. 4. quoniam eadem sunt principia essendi & cognoscendi. Dixi notanter distinctionem, causa essendi vel cognoscendi, quoniam duplex est mensura extrinseca, quædam primo prima, ut primum calidum, primum ens, primum bonum, primum verum, & hæc est causa essendi & cognoscendi omnium aliorum. Quædam proxima, puta, quæ est nobilior species illius generis, ut albedo in genere colorum, est mensura proxima omnium specierum colorum, pro quanto magis participat de luce, quod est formale in colore, & homo est mensura proxima omnium animalium, & hanc non est necesse esse causam essendi omnibus aliis speciebus illius generis. Sed sufficit esse causam cognoscendi, quoniam secundum maiorem aut minorem appropinquationem ad illam nobiliorem speciem, discimus graduare perfectionem aliarum specierum eiusdem generis, & sic albedo est mensura proxima omnium specierum colorum. Dulcedo omnium saporum, homo omnium animalium, aurum omnium metallorum, iustitia omnium virtutum moralium.

Secunda cōclusio, si loquamur de mensura intrinseca, dico q̄ est id quod est intrinsecum & primum in re, secundum naturam, & illud idem est causa essendi & cognoscendi rem ipsam, & illud est forma rei, & quantitas sua. Hæc conclusio patet ex de-

QVAESTIO IIII.

claratione data de mensura intrinseca. Nam per formam rei dantem esse, cognoscimus gradum perfectionis, cuius enim forma est nobilior vel ignobilior, & ipsum est nobilior vel ignobilior, similiter per quantitatem Soeratis, cognoscimus quantus sit Socrates. Quod autem forma sit causa essendi ei cuius est forma, & quantitas det esse quantum, non est necesse probare, nec quod sint causa cognoscendi, quoniam ut dictum est, ex 2. metaphy. tex. 4. Principia essendi, maxime quæ dicuntur actum, ut forma substantialis & accidentalis, ut pro nunc referretur materia, sunt etiam principia cognoscendi.

Contra hanc determinationem non sunt aliqua argumenta difficilia, quæ non solvantur ex declaratis, & nota quod precipuum argumentum contra primam cōclusionem, est illud de albedine, quæ dicitur esse primus & perfectissimus color, & mensura colorum, & tamen non est causa essendi aliis coloribus, quia si esset causa essendi, cum sit extrinseca (nam prima conclusio loquitur de mensura extrinseca) esset causa efficiens aut finis, constat autem quod alij colores non sunt effectiue ab albedine nec propter albedinem, quare &c.

Ad hoc argumentum patet quid sit dicendum, nam quod mensura extrinseca sit causa essendi non verificatur, nisi de mensura prima. De proxima autem sufficit, quod sit causa cognoscendi. Albedo autem non est mensura prima sed proxima colorum, quare &c. & aduerte quod hæc non est solum imaginatio nostra, sed doctrina b. Thom. in questionibus de potentia Dei, quam defendat Cap. in 1. di. 3. q. 1. defendens secundam rationem b. Tho. cōtra Aureolum, ut videre poteris. Hæc de præfenti quæstio dicta sunt.

Quæstio 4. Si prima substantia, id est prima causa est mensura omnis substantiæ.

Quod quidem in omni genere vnum &c. vsque ibi, sic in substantia, substantiam vnam. Textu 7.

IN hac q. aduerte antequam deueniamus ad decisionem, quod Comment. in hoc 10. in commen. 7. aperte sentit, quod sicut albedo est mensura omnium colorum, sic prima causa, quam appellat primum motorem, est mensura omnis substantiæ, & ideo queritur, quomodo hoc sit verum.

DECIMI METAPHY.

Aduerte insuper, quod aliud est loqui, quid veritas habeat in hoc, & quid senserit philosophus in tex. præposito. Nā si loquamur secundum veritatem, non est dubium, quin prima causa sit mensura extrinseca perfectionalis omnis substantiæ, & ratio entis producti, tam substantiæ quam accidentis, quoniam est simplicissima omnino indiuisibilis & impartibilis, vt probabitur in lib. 12. & est causa essendi omnium effectiua & finalis, vt probabitur in 12. & est causa cognoscendi omnia, quo ad gradus perfectionales, scimus enim quamlibet naturam esse tantæ vel tantæ perfectionis, secundum quod magis vel minus distat à prima causa vniuersalissime perfecta. Cum igitur istæ sint conditiones mensuræ, vt declaratum est supra, sequitur Deum esse nobilissimam omnis substantiæ mensuram.

Si autem loquamur de sensu quem intendit philosophus in tex. præposito, est diuersitas opinionum, nam Comment. tenet expresse in commen. 7. mentem philosophi fuisse, quod in quolibet genere detur vnum primum, quod sit metrum aliorum, vt patet in coloribus, in sonis, & similiter in genere substantiæ datur ea quæ est vna & prima, vt sit metrum omnis substantiæ. Constat autem, quod prima causa est prima substantia, & est vna tantum, vt declarabitur in lib. 12. ergo philosophus intendit in sensu præposito primam causam, quæ est vna substantia & prima, esse mensuram omnis substantiæ. Sed Ant. And. in 10. in q. 1. tenet contra Comment. quod mens philosophi non intendit de prima causa. Sed de vna prima substantia contenta in genere substantiæ, quæ non est prima causa, cum illa propter sui infinitatem sit extra omne genus, sed est prima intelligentia producta, quæ cum sit finita cõcineretur in genere substantiæ. Illa igitur vt pote prima primitate perfectionis est mensura omnis substantiæ productæ, sicut albedo in genere coloris, & Aurum in genere metalli, & intentum suum probat Ant. And. duabus rationibus, quas formabimus infra, & soluemus, pro quanto non concordant vix b. Thomæ.

Mens autem b. Tho. est media inter Comment. & Ant. And. secundum quam intendo determinare præsens quæsitum, & sic procedendum est. Primo ponetur distinctio de mensura perfectionali extrinseca. Secundo ponentur conclusiones responsiue. Tertio soluentur rationes Ant. And. pro quanto disconueniatur à via nostra.

Quantum ad primum aduerte, quod mensura perfectiona-

QVAESTIO IIII.

276

lis extrinseca est duplex. Quædam est excedens & extra omne genus sui mensurari, ita tamen, quod est principium eminentissimum omnis generis sui mensurari. Quædam proportio nata & cõtenta in genere sui mensurari, exemplum primi, bonitas diuina respectu omnis bonitatis creatæ, exemplum secundi. Homo respectu aliorum animalium.

Quantum ad secundum sic hæc prima conclusio, prima causa est mensura perfectionalis extrinseca excedens omnis substantiæ. Quod sic mensura &c. probatur, in tota amplitudine & communitate substantiæ, prima causa est simplicissima omnino impartibilis, perfectissima, & primum intelligibile, ergo est mensura &c. Antecedens manifestum erit, quo ad singulas partes in libr. 12. consequentia patet, ex prædictis in quæstio præcedenti. Quod attenti sit excedens, patet, supponendo id q. probabitur in lib. 12. scilicet quod est infinita intensiue & quod eunque extra ipsam est limitatum intensiue. Tu igitur sustine, donec determinauerimus in lib. 12. de infinitate & simplicitate & vnitatem primæ causæ.

Secunda conclusio, prima intelligentia producta est mensura proportionata extrinseca perfectionalis omnis substantiæ. Probatur. Quia est simplicior in natura sua, vt pote propinquior primo simplicissimo, & prior secundum perfectionem, vt determinabimus in libr. 12. vbi venabimur nobilitatem intelligentiarum, ex nobilitate suorum mobilium. Ex consequenti est causa cognoscendi graduationem omnis perfectionis inuentæ in aliis substantiis, quantum sit ex se. Nati si ordine naturæ intelligeremus species substantiarum, primo intelligeremus primam intelligentiam, eo quod existens magis ens respectu aliarum esset prius & magis intelligibilis. Deinde intelligeremus secundam. Deinde tertiam, & sic descendendo vsque ad elementa, & sciremus quamlibet speciem, tanto magis vel minus esse perfectam, quâto magis vel minus primæ intelligentiæ propinquat, ergo est mensura extrinseca &c. Antecedens declaratum est, quo ad singulas partes, consequentia patet ex dictis in q. præcedenti de mensura extrinseca.

Quantum ad tertium aduerte, quod Ant. And. probat primam conclusionem non esse de mente philosophi, & in textu præposito non intendisse nisi secundam conclusionem. Arguit autem.

Primo sic, Arist. vt patet in tex. 7. querit, an in substantiis sit aliquod vnum q. est mensura aliorum, & an hoc sit ipsum vnum, &

probat ex intentione cōtra Platonē q̄ non sit ipsum vnum. Sed si primus motor ponatur mensura generis substantiæ, hoc ipsum vñi poneretur mensura, quia primus motor propter sui simplicitatē multo verius esset hoc ipsum vnum, quā idēa Platonis.

Ad hoc negatur minor, in hoc sensu, scilicet q̄ ipsum vnum Platoniciū esset mensura. Ad probationē, cōcedo q̄ primus motor propter sui simplicitatē est maxime vnum, id est, natura omnino indiuisibilis, cum sit purus actus. Sed non est vnum vt idēa Platonis. Illud enim vt sibi imponit Aristot. erat penitus abstractum, ita q̄ sibi non suberat aliqua certa natura, sed vñi vt vnum, primus autē motor, ita est vnus q̄ est certæ naturæ, puta vna substantia æterna, immaterialis, independens &c. Dico ergo, q̄ non fuit intentio philosophi, negare vñi esse mensuram, sed vnum imaginatū à Platone. Sicut ergo concedit vnum primum colorem esse mensuram aliorum, qui est albedo, sic in hoc communi, quod est substantia, habet concedere vnam primam substantiā esse mensurā aliarum, quæ primus motor est.

Secūdo sic, si sic, ergo sicut in aliis generibus primum est aliquid sui generis, ita primus motor esset aliquid de genere substantiæ, quod est erroneum, quia Deus nō cadit in genere propter sui infinitatē.

Ad hoc Commen. negaret falsitatē consequentis, cum enim teneat primum motorem esse finiti vigoris, vt declarabimus in lib. 12. concederet ipsum esse in genere. Sed b. Tho. negaret consequentiam, sumendo genus substantiæ pro prædicamento non est autem necesse genus substantiæ sumi proprie, sed sufficit quod sumatur pro analogo, sicut & ens vt est cōmune Deo & creatori, & vt sic Deus continetur sub substantia sumpta analogice, nec est erroneum, nec est contra infinitatē suam, vnde concludo, quod licet mensura proportionata debeat esse in eodem genere proprie sumpto, cum suo mensurato, hoc non est necesse in mensura excedente, sufficit autem quod sit in analogo, quod prædicatur de mensura excedente, & de mensurato. Hæc dicta sunt pro præseni quæsitō.

Quæstio 5. Si vnum & multa opponuntur, & in quo genere opinionis.

Opponuntur autem vnum & multa &c. Tex. 9.

IN hac q. sicut proponuntur duo, ita diuidemus eam in duas partes. Primo videndum est, si opponuntur. Secundo quomodo genere oppositionis.

Pro euidētia primæ partis sic procedes. Primo ponēs vnam distinctionem. Secundo duas conclusiones responsiuas.

Distinctio est hæc, vñi potest dupliciter cōsiderari, sicut quælibet specie. numeri. Primo vt habet propriā formā iuxta rationem formale condistinctā, contra quæcūq; aliam formā, sicut potest considerari corpus, secundū propriā formā, quæ est præcisa corporeitas, condistincta contra formā animati. Secūdo potest considerari, nō secundum propriā formā, sed vt potest esse pars alterius & includi in altero, sicut & corpus potest considerari non secundū propriā formā præcise, sed vt est in potentia ad vltiorem formā, puta ad formā animati, & vt sic potest esse pars animati, & est vt materia, & aduerte quod in hac distinctione conueniunt Ant. And. in 10. lib. q. 2. & Iand. in 10. lib. q. 6. cū b. Tho. in 1. 2. fe. di. 24. vbi tenet, quod vñi potest sumi cū præcisione & sine præcisione, & quæ sensum habeat b. Tho. declarati in tractatu de transcendentibus in tertia diuisione entis.

Prima conclusio, vnum sumptum 1. modo, & multitudo habent rationes formales oppositas, ergo vt sic opponuntur, consequentia patet. Antecedēs probatur. Ratio formalis vnius est esse ens indiuisibile. Multitudinis autem est esse ens diuisibile, constat autem quod indiuisibile & diuisibile opponuntur, ergo &c.

Secunda conclusio, vnum sumptum 2. modo, non opponitur multitudini, quoniā vt sic includitur in multitudine, est enim multitudo vel ipsa vnitates, vel quid constitutum, aut aggregatum ex vnitatibus. Sed nullum oppositum includitur in suo opposito, nec constituit ipsum, ergo &c. Et aduerte quod in hac parte conueniunt omnes recte sentientes.

Pro euidētia secundæ partis, sic procedes. Primo ponitur distinctio. Secundo quinque conclusiones responsiuæ.

Distinctio est hæc, vñi sumitur dupliciter. Primo quantū ad sui primū formale, qd supra diximus esse indiuisiōne & multitudo dicit diuisionē, nō q̄ vnum sit ipsa indiuisio, nec multitudo ipsa diuisio. Sed quia vnum est ens, vt stat sub indiuisiōne, multitudo autem est ens vt stat sub diuisione. Secundo, quantū ad id quod consequitur suum formale, & hoc est mensura. Dicitur enim supra, quod de ratione mensuræ est indiuisibilitas, & ideo proprietates vnius est esse mensuram, ex parte autem multitudinis, proprietates est esse mensuratum.

Prima conclusio, vnum & multa non opponuntur contradi-

DECIMI METAPHY.

etoria, probatur, vnum contradictorium verificatur, tam de ente quam de non ente, sed nec vni nec multa verificantur de ente & de non ente, sed tantum de ente, quoniam tam in vno quam in multitudine materiale est ens, vt declaratum est supra.

Secunda conclusio, num ex suo primo formali non opponitur relative multitudini, quoniam vnum non refert multitudinem. Hæc enim est falsa, vnum est multitudinis vnum, præterea, relative opposita sine simul natura. Sed vnum non est simul, immo prius natura multitudine, quoniam hæc consequentia non valet, vnum est, ergo multitudo est, sed bene e converso, ergo &c. Dixi ex suo primo formali, quod est indiuisio, vt præferentem secundum formale, quod est mensura, quoniam de eo patemus vltimam conclusionem.

Tertia conclusio. Opponuntur priuatiue ex suo primo formali, quoniam primum formale in vno est indiuisio, & in multitudine est diuisio. Constat autem, quod indiuisio & diuisio se habent vt priuatio & habitus, ergo &c.

Quarta conclusio. Non opponuntur pure priuatiue, sed etiam contrarie probatur. Quæ opponuntur pure priuatiue, vnum est mera priuatio, quæ est negatio, vt tenebra & cæcitas, sed vnum non est mera priuatio, non enim est indiuisio, sed ens indiuisum, ergo &c. Opponuntur autem contrarie duplici sensu, primo quia cum vtrumque sit ens, & vnum se habeat vt priuatio alterum vt habitus, participant conditiones contrariorum, quæ ita se habent, quod vtrumque est ens, & alterum est vt priuatio respectu alterius sicut nigrum respectu albi, & amarum respectu dulcis, & hæc fuit mens Commen. in 10. lib. cōmen. 9. vbi sic inquit. Multum igitur & vni sunt contraria, ea contrarietate, secundum quam sunt contraria priuatio & habitus, & vocantur, scilicet Arist. priuatione & habitum contraria, quia contraria vera ad hoc genus reducuntur, hæc Cōment. secundo opponuntur contrarie, si vni sumatur cō præcisione, id est, in quantum est sicut si esset species condistincta contra multa, vt vitas condistincta cōtra dualitatem, probatur oppositio inter duas species est oppositio disparata, ergo cōtraria, quoniam est per differentias contrarias, sed sumendo vni cum præcisione, se habet ad multa vt species condistincta, vt dicendum est in 1. parte quæstionis, ergo &c. hæc est mens b. Tho. in 1. sen. di. 24. q. 6. art. 4. ad quartum.

Quinta conclusio. Vnum & multa si considerentur quantum ad id quod consequitur suum primum formale, id est, vt vni habet

QVAESTIO VI.

278

rationem mensuræ, & multa rationem mensurati, opponuntur relative. Hæc conclusio patet ex dictis in libro 3. in cap. ad aliquid, vbi in 3. modo relatiuorum ponuntur ea, quæ se habent vt mensura & mensuratum. Dubia quæ oriuntur ex eo quod vnum ponitur vt priuatio, soluentur in q. sequenti, & erunt duo, primum, si vnum est prius multitudine, secundum, si est circulus in diffinitionibus eorum. Hæc de præfenti quæsto dicta sunt.

Quæstio 6. Si multitudo est prior vno.

Quare ratione prior multitudo indiuisibili propter sensum. Tex. 9.

In hac quæstione deuenias ad resolutionem aduerte, quod omnes tenentes vnum comparati ad multitudinem, vt priuatio ad habitum, ex quibus est Commen. & b. Tho. & Scot. dicunt multitudinem esse priorē vno, non quidem natura, sed nostra cognitione. Qui vero tenent quod vnum est omnino positiuum & habitus, multitudo vero vt priuatio, tenent oppositum. Tu igitur sequens b. Tho. & Cōment. sic ad resolutionem procedes. Primo ponas duas conclusiones responsiuas. Secundo declarabis quod licet vnum diffiniatur per multitudinem, & multitudo per vnum, tamen non committitur circulus in diffiniendo. Tertio solues omnes rationes Ioan. Bacho. quibus conatur probare quod vnum secundum rei veritatem est vt habitus, & multitudo, vt priuatio, est enim ex illis, qui tenent vni esse omnino positiuum, & suum formale esse positiuum, cuius positionem declarauimus, & reprobauimus in quæstione prima huius libri.

Quantum ad primum si hæc prima conclusio, si loquamur de prioritate nature, vni est prius multitudine, probatur, licet valeat consequentia, multitudo est, ergo vnum est, tamen non conuertitur, stat enim vnum esse, & duo non esse, sicut stat duo esse, & tria non esse, ergo &c. patet consequentia, ex diffinitione prioris nature, posita in post prædicamentis. Præterea, pars est prior tota, & constituens prius constituto, & mensura prior mensurato. Sed vni est pars multitudinis, quia est aggregata ex unitatibus, & constituit eam sumptum sine præcisione, & est mensura eius, vt diximus in 1. parte huius quæstionis, ergo &c.

Secunda conclusio. Si loquamur quo ad cognitionem nostram, multitudo est prior cognitione, vni vero posterius, probatur. Cum nostra cognitio ortum habeat à sensu ex 1. poste. quod est magis sensibile prius est in cognitione nostra. Sed multitudo

DECIMI METAPHY.

est magis sensibilis, sicut compositum simplici, unde sicut non cognoscimus simplicia, nisi per composita, sic non cognoscimus unum nisi per multitudinem.

Præterea, omnis habitus prior est in nostra cognitione quæ priuatio. Ratio enim cognoscendi priuationem est habitus. Sed ut declaratum est supra multitudo in quantum dicit diuisionem est habitus, & unum ut dicit indiuisiōem est priuatio eius, ergo &c. Et aduerte quod hæc secunda conclusio explicat mentem philosophi in tex. præposito, cum dicit. Quare ratione & causam sic immediate præmiserat & ostenditur ipsum unum ex diuisibili indiuisibile, propter magis sensibilē multitudinē esse, & diuisibile quod indiuisibile, ubi & Comment. inquit, & causa in hoc scilicet quare prius cognoscimus multitudinem est, quia diuisibile est multum, est manifestius singulari, & etiam diuisibile est maius indiuisibili, & maius est manifestius minori, &c. Cōstat ergo, quod cum philosophus dicit multitudinē priorem, intendit non secundum naturam, sed secundum nostrā cognitionem, quæ multoties incipit à posteriori, sicut quando per effectum cognoscimus causam.

Sed dices, hæc secunda conclusio destruit rationem mensuræ respectu multitudinis conuenire vni, necesse est enim mensuram præcognosci mensurato, aliter non manifestaret quantitatem mensurati, ergo si vnū est mensura multitudinis, est prius in nostra cognitione.

Respondetur. Hoc argumentum solutum est in q. 2. huius lib. ibi. Ad hoc conceditur prima consequentia, vide tu illic.

Quantum ad secundū aduerte, quod multitudo diffinitur per unum, quoniam est quid aggregatum ex vnitatibus, secundū viam nostram, vel est plures vnitates secundū viam Cōment. Cōstat etiam quod si vnū cōparatur ad multitudinē, sicut priuatio ad habitum, unum diffinitur per multitudinē, quoniam priuatio diffinitur per habitū, ex quibus videtur sequi duo in cōuenientia, primo quod vnū secundū naturā suam sit prius & posterius multitudine, quod implicat cōtradictionē, similiter quod multitudo secundū naturam suam sit prior & posterior vno, & quod hoc sequatur, declaro sic, unum est diffiniens multitudinē, ergo est prius, quia diffinitio datur per priora, & est diffinitum per multitudinē, ergo est posterius, quia diffinitū est posterius diffiniente. Idem patet de multitudine, quoniam ut est diffinita per unum, est posterior, ut autem diffinit unum tanquam habitus

QVAESTIO VI.

279

priuationem, est prior, secundum est quod videtur manifeste committi circulus in diffinitionibus.

Ut igitur scias defendere, quod non sequuntur hæc inconuenientia, duo declaranda sunt, primo quem ordinē tenent intellectus in concipiendo unum & multitudinem, secundo declarandum est, ex hoc primo sequi, nullum esse inconueniens, si unum est prius & posterius multitudine. Idem dico de multitudine respectu vnus, ex consequenti nullum committi circulum in eorum diffinitionibus.

Quantum ad primū aduerte, quod ut declarauimus in tractate transcendentibus, intellectus venando conceptum huius & multitudinis, sic ordinate procedit. Quando vult inuestigare si res sibi proposita est vna, vel plures, sic procedit. Primo apprehendit de re, quod est ens, quoniam est primum quod cadit in nostro intellectu, ut testatur Auic. in 2. sup. metaphysic. Secundo apprehendit quod non est non ens, quoniam ex opposito cognoscit oppositum, opponitur autem ens & non ens. Tertio apprehendit diuisionem eius à non ente. Cognito enim quid ens & quid non ens, statim apprehendit intellectus diuisionē & distinctionem vnus ab altero. Quarto apprehendit indiuisiōem rei in seipsa, quoniam omne ens in seipso indiuisum est, & in 4. signo format cōceptum vnus dicens, quod illud est ens vnū, quod est in seipso indiuisum. Conceptū autem multitudinis sunt pluralitatis format in 5. signo. Nam sumpto A, & B, & cognito quod A, est indiuisum in se & diuisum à B, & B, est indiuisum in se, & diuisum ab A, cōprehendit, quod A, & B, cōstituant pluralitatem, quam tamē non constituerent, nisi A, esset iam apprehensum ut vnū, & B, ut vnū, ex his clare videre potes quod in istis ordinatis apprehensionibus diuisio quæ est ut habitus apprehenditur in 3. loco, & indiuisio quæ est ut priuatio, apprehenditur in 4. loco, & unum ut unum apprehenditur in 4. loco, & multitudo ut multitudo apprehenditur in 5. loco. Quantum ad secundū aduerte, quod ex declaratione præmissa constare tibi poterit, non esse inconueniens, unum esse prius & posterius multitudine, & multitudinem esse priorē & posteriorē vno. Nam vnū cōsideratur dupliciter, primo ut cōstituit multitudinem, & est pars eius & mensura, & sic est prius multitudine, & multitudine est posterior, secundo cōsideratur quo ad indiuisiōem, quæ dicit in sua ratione formali, & sic est posterius multitudine, prout includit diuisionem. Dicitur enim in declaratione præmissa, quod diui-

DECIMI METAPHY.

ho apprehenditur 3. loco. indiuisio autem 4. loco, ergo vnum ratione indiuisiois est posterius multitudi ratione diuisio- nis, ex parte multitudinis, idem declaratur. Nam multitudo vt multitudo, id est, vt constituta ex vnitatibus est posterior vno. Ratione autem diuisiois quam includit est prior vno, eadem ratione dico non esse inconueniens quod multitudo vt multi- tudo diffiniatur per vnum vt vnum, quoniam vt multitudo, est semper posterior vno, & vnum vt vnum, est semper prius. Item non est inconueniens, quod vnum vt includit in diuisione dif- finiat per multitudinem vt dicit diuisionem, nam vt sic vnu est posterius multitudi, ex his dico ad probationem primi inconueniens, quod non inconuenit idem esse prius & poste- rius respectu diuerforum, nec sequitur contradictio, nisi respec- tu eiusdem, similiter non committitur circulus in diffinitioni- bus, nisi quando idem est diffiniens & diffinitum, respectu eius- dem considerati sub eadem ratione. Cõstat autem ex prædictis, quod qua ratione multitudo est diffiniens vnum, nõ diffinitur per vnum, nec qua ratione vnum est diffiniens multitudinem, diffinitur per eam, quare &c.

Quantũ ad tertium aduerto, quod Ioan. Bacho. in 1. dist. 27. q. 1. art. 2. tenet, quod licet vnum secundũ famositatem nominis dicit priuationẽ & multitudo habitũ, tamen secundũ rei veri- tatem, est oppositũ, ita quod secundũ eum, vnum est vt habitus & multitudo est vt priuatio, conatur autem probare imagina- tionem suam, & rationibus, & ex dictis philosophi.

Primo sic arguit. Differentia imperfectior alicuius diuisi ha- bet rationem priuationis, perfectior autem habet rationem habitus; dato quod nominetur nomine priuatio, vt patet, de corporeo & in corporeo, quæ diuidunt substantiam, nam corpo- reum imperfectius est, ideo secundum veritatem habet modũ priuationis, id est, defectus respectu incorporei, licet nomine- tur corporeum nomine positivo, & incorporeum nomine pri- uatiuo. Sed vnũ & multa diuidunt ens, & ratio vnus est per- fectior secundum veritatem, quã ratio multitudinis, sicut sim- plex est perfectius composito, ergo vnum secundum veritatem est vt habitus, & multitudo vt priuatio.

Ad hoc nego, quod ratio vnus sit perfectior ratione multi- tudinis, & cum probatur, quia ratio vnus est ratio simplicis, quæ est perfectior, quã ratio compositi. Dico quod supponit duo falsa, primo tacite supponit rationem vnus siue vnitatis,

QVAESTIO VI.

180

esse rationem simplicitatis, quod iam improbauimus in q. 1. huius 10. secundo supponit, quod simplex vt simplex si nobilius composito, quod est manifeste falsum, nam tunc elementum esset nobilius elementato, quare &c.

Secundo sic arguit. Quod est forma & actus alicuius est no- bilius eo, & per consequens est vt habitus. Sed vnum est actus multitudinis. Nam dat esse & speciem multitudini, ergo est habitus respectu multitudinis.

Ad hoc negatur minor, ad probationẽ dico, quod vnum siue vnitas est materia multitudinis, pro quanto cõponitur ex vni- tatibus, nec dat speciem multitudini, nec est forma eius vt vnum, sed vt vnitas vltima, id est, vt stat sub vltimitate, quæ vltimitas dicit ordinẽ ad præcedentes vnitates, vt diximus in lib. octauo, quærentes si vltima vnitas dat speciem numero.

Tertio arguit sic. Dicit philosoph. in 10. metaph. tex. 10. quod sicut ad vnũ sequitur idem simile & equale, sic ad multa diuer- sum, dissimile, inæquale, sed hæc secundũ veritatem dicitur priuationẽ, quia dicunt negationẽ vnitatis in substantia, in qualita- te, in quantitate, ergo & multa dicunt priuationem.

Ad hoc dicitur, quod diuersum, inæquale, dissimile, dicunt diuisionem, vel distinctionẽ in substantia, & quantitate & qua- litate, nego ergo, quod dicant priuationem, & cum probatur, quia dicunt negationem vnitatis, ergo priuationẽ, nego conse- quentiam. Nam eadem ratione visus diceretur priuatio cæci- tatis, quia negat cæcitatem, quod tamen est falsum, nisi sumen- do priuationem pro quacunque negatione, quod est valde im- proprium.

Quarto sic. Dicit philosoph. in 10. metaph. tex. 9. quod mul- tum est prius ratione, quã vnũ, quia magis sensibile, ex quo sic arguitur. Quod est magis sensibile est habitus solum secũ- dum famositatem, & est priuatio secundum veritatem, vt patet de corporeo, quod est magis sensibile, quã incorporeum. Sed multum est magis sensibile quã vnum, ergo &c.

Ad hoc negatur maior, quæ non solum est vera, sed nec ali- quam habet apparentiam. Nam eadem rationis ignis qui est sensibilior aere, esset priuatio respectu aeris, quod nullus recte sentiens liceret, negatur etiam, quod corporeum dicat priua- tionẽ respectu incorporei, nisi su modo priuationẽ pro negatio- ne tanta perfectionis, quanta est in re incorporea, se. hoc est abuti nomine priuationis. Hæc de præsentis quæsto dicta sint.

DECIMI METAPHY.

Quaestio 7. Si identitas absoluta & relatiua sunt eadem identitas, an distinctae realiter.

Est autem vnius quidem sicut &c. Textu 10.

In hac q. aduerte, quod licet non tangat textum directe, tamen quia Scotus imaginatus est duplicem identitatem, quas nominat absolutam & relatiuam, & putat esse distinctas realiter, quod non tenet via Thomistica, nec Herueus in 4. quod q. 2. ideo intendo defendere viam nostram, & solvere fundamenta ac rationes Scoti. Et aduerte quod cum Herueus hoc propositum pertractet, & subtiliter resoluat non recedens à via Thomistica in 4. quod q. 2. & Paulus Sonc. in 10. lib. in q. 5. idem pertractat in omnibus, quasi ad verbum sequens Herueum, non formarem praesentem quaestionem, sed tibi praallegari sufficeret, nisi decreuissem paucis clarum sensum & resolutionem facere, ne obscuritate ex prolixitate Heruei inuoluaris. Tu igitur sic procedes. Primo declarandum est quid Scotus intendant per identitatem absolutam & relatiuam. Secundo ponas fundamenta & rationes Scoti. Tertio ponas conclusionem contra Scotum. Quarto solues rationes Scoti.

Quantum ad primum aduerte, quod vt declarat Herueus vbi supra, secundum Scotum identitas absoluta est indistinctio rei à seipso, puta identitas qua Sortes est indistinctus in seipso, & est idem sibi ipsi, dicitur absoluta, quia non comparatur ad aliud sed ad seipsum. Identitas autem relatiua est indistinctio rei, quae tollitur distinctio eius à quacunque re, quae non est diuersa nec alia res ab illa, puta identitas qua Sortes est idem cum homine, & homo cum animali, & secundum Scotum, passio cum subiecto, & dicitur relatiua, quia implicat duo extrema, vt Sortes & homo, homo & risibile.

Quantum ad secundum aduerte, quod rationes Scoti principales sunt iste. Primo, omne prius realiter distinguitur à posteriori, quoniam remoto posteriori potest remanere prius non enim dependet prius à posteriori, sed e conuerso. Sed identitas absoluta prior est identitate relatiua, prius enim vnusquodque est indistinctum in seipso, quam indistinctum ab alio, eo quod secundum supponit primum, ergo &c.

Secundo, subiectum puta homo est idem sibi ipsi identitate absoluta, & est idem suae passioni identitate relatiua, & haec non est illa, quia in prima idem praedicatur de seipso, nam homo est ho

QVAESTIO VII.

281

est homo. in secunda autem subiectum non praedicatur de passione, tenet enim Scotus, quod licet sit eadem essentia subiecti & passionis, tamen secundum ipsum haec est falsa, passio est subiectum, ergo &c. Quod autem passio & subiectum sint idem identitate relatiua, sic probat. Quod nec esse, nec intelligi potest, nec diffiniri sine alio, est idem cum eo. Sed essentia passionis nec esse, nec intelligi, nec diffiniri potest sine subiecto, vt patet per philosophum in septimo metaphysice loquentem de similitudine, ergo &c.

Tertio identitas conuertibilis, & identitas inconuertibilis non sunt eadem identitas, cum sint oppositae. Sed identitas absoluta est conuertibilis, idem enim praedicatur de seipso conuertibiliter, vt patet, relatiua autem non est conuertibilis, vt patet, comparando speciem generi, nam genus in plus est quam species, ergo &c.

Quantum ad tertium ponitur haec conclusio, contra Scotum. Identitas absoluta & identitas relatiua, sumendo eas iuxta declarationem factam ad mentem Scoti, non sunt distinctae identitates realiter, probatur. Si identitas absoluta puta qua homo est idem sibi ipsi, & identitas relatiua puta, qua homo est idem animali, & secundum Scotum, subiectum est idem suae passioni sunt distinctae identitates realiter, ergo subtracta istarum identitatum quae sunt, homo comparatus sibi ipsi, & homo comparatus animali, siue suae passioni distinguuntur realiter. Sed hoc est falsum, & quidem de homine & animali constat, quoniam sicut genus non distinguitur realiter à differentia, sic nec à specie, vt satis pertractauimus in 3. lib. & in 7. De subiecto autem & sua passione concedit Scotus, consequentia autem sic probatur. Priuatione non habent distinctionem, nisi penes subtracta, non enim caecitas & surditas distinguuntur, nisi quia substantia & habitus distinguuntur. Sed identitas absoluta & relatiua sunt vt priuationes, est enim identitas indiuiso in substantia, ergo cum subtracta non distinguuntur realiter, nec ipsae identitates distinguuntur.

Quantum ad quartum, respondendum est rationibus Scoti, & ad primam nego maiorem, ad probationem, nego omne prius posse absolui à posteriori secundum esse reale, non enim effectus potest absolui à relatione ad causam efficientem, nec subiectum potest absolui secundum esse reale à propria passione, similiter nego quin aliquid prius dependeat à posteriori

DECIMI METAPHY.

quo ad existentiam. Certum est enim, quod materia & forma naturalis, priores sunt ipso composito, ut determinatum est in 7. libr. & tamen quo ad existentiam dependent à composito. Potest etiam negari minor, quoniam licet prius apprehendantur res indistincta in se, quam distincta ab alio, tamen ex parte rei, quandocumque est indistincta in se, est distincta à quolibet alio, quoniam ab eodem habet quod sit indistincta in se, & distincta à quolibet alio.

Ad secundum, nego quod subiectum sit idem cum sua passione, immo distinguitur realiter, ut determinauimus in li. 4. Ad probationem nego maiorem, stat enim aliqua duo esse distincta realiter, & tamen vnum non potest esse sine altero, sicut effectus dependens à causa in esse & in conseruari, stat etiam quod vnum non possit diffiniri sine altero, ut duo correlatiua, nec possit intelligi sine altero, vel accidens, quod non potest intelligi sine substantia modo quo determinauimus in libr. 7. quæstio. 3. & tamen constat quod causa & effectus, & duo correlatiua & accides & substantia distinguitur realiter, quare &c.

Ad tertium nego maiorem, ad probationem nego has identitates esse oppositas realiter. Concedo autem formaliter quoniam alium conceptum format intellectus de identitate conuertibili, & alium de inconuertibili, est enim conuertibilis inter extrema æqualis ambitus, inconuertibilis autem inter extrema inæqualis ambitus. Paret igitur, quod ex nulla ratione Scoti, cogimur ponere distinctionem realem inter identitatem absolutam & relatiuam. Hæc de præsentī quæstio dicta sunt.

Quæstio 8. si inter idem & diuersum datur medium.

Diuersum quidem igitur aut idem propter hoc omne ad omne dicitur. Tex. 11.

In hac q. sic procedendum est. Primo declarandum est, quomodo sumitur ly diuersum. Secundo quid dicendum esset ad quæstum secundum viam Scoti. Tertio quid dicendum secundum veritatem. Quarto ostendetur quod via Scoti non est ad mentem philosophi. Quinto soluetur quoddam dubium.

Quantum ad primum aduerte, quod ly diuersum nō sumitur stricto significato, prout distinguitur contra differens. Sed ut est commune ad differens, & ad diuersum proprie dictum, alioquin conclusio responsus quam tenemus, & probare intendimus, esset falsa. Constat enim quod inter idem & diuersum

QVAESTIO VIII.

282

proprie dictum mediatur differens, nam homo comparatus alicui, nec est idem, nec diuersus proprie, sed differens, vnde breuiter ly diuersum stat pro alio, ut sit sensus. Vtrum inter esse idem, & esse aliud, datur medium.

Quantum ad secundum aduerte, quod stante secūdo Scotum distinctione identitatis absolute ab identitate relatiua, iuxta modum positionis suæ, quem declarauimus in quæstio, præcedenti, sequitur de necessitate, quod cōcedit medium inter idem & diuersum. Nam secundum ipsum, ea quæ sunt eadem identitate relatiua, ut passio & subiectum, homo & animal, non sunt diuersa realiter, ut patuit in quæstio, præcedenti ubi formauimus rationes Scoti, nec sunt idem identitate absolute, illa enim est, qua aliquid est indistinctum in seipso, & à se ipso, ergo secundum Scotum, subiectum comparatum passioni, nec est idem identitate absolute, nec est diuersum realiter, sed datur medium, quod est esse idem identitate relatiua, & sic patet, quod inter idem & diuersum ponit medium, verum quod id non sit verum, nec ad mentem philo. dicemus infra.

Quantum ad tertium ponitur hæc conclusio. Quodcumque ens comparatum cuiusque enti est idem cum eo, vel diuersum ab illo. Antequam probetur, sic declaratur. Dicitur quodcumque ens comparatum &c. quoniam si ens comparatur non enti que ens comparatum &c. quoniam si ens comparatur non enti non seruetur diuersitas vel identitas, sed identitas vel non identitas, vnde homo comparatus chimeræ, nec est idem illi, nec diuersus sed non idem. Dicitur etiam comparatum cuiusque enti, quia si aliqua res comparatur sibi ipsi, vana esset quæstio, quærendo si est eadem vel diuersa à seipso, nam manifestum est, quod prima pars est vera, & secūda impossibilis, sensus igitur conclusionis est iste.

Quæcumque res indifferenter comparata cuiusque rei, necesse est ut sic eadem illi identitate conuertibili cum ente, aut diuersa ab illa, ita quod huiusmodi idem & diuersum non habet medium, probatur sic. Omne quod est, se habet necessario ad omne ad quod comparatur, sicut ad illud quod est idem sibi identitate conuertibili cum ente, vel quod est, aliud eo, ita quod sit non est idem secum, sed distinctum. Sed omne aliud diuersum est ab eo respectu cuius est aliud, ergo omne quod est, cuiuscumque enti comparatum, vel est idem cum eo, vel diuersum ab eo, ita quod non datur medium.

Quantum ad quartum, aduerte, quod mens philosophi fuit



DECIMI METAPHY.

idem quod est passio vnus transcendentis, & diuersum quod est passio multitudinis siue pluralitatis transcendentis, se habere ad ens, sicut vnum & multa, sed vt patet in 4. metaph. tex. 4. vnum & multa sufficienter diuidunt ens, ita quod quicquid est, aut vnum aut multa est, ergo similiter intentio philosophi fuit, quod idem & diuersum sufficienter diuidit ens, sed inter membra sufficienter diuidentia aliquod commune implicat contradictionem dare medium, ergo Scotus in hoc non sequitur mentem philosophi, nec obstat quod dicit Scotus, quod licet inter idem identitate se extendere ad absolutam & relatiuam & diuersum non detur medium, tamen inter idem identitate absoluta, & diuersum datur medium, illud, scilicet quod est idem identitate relatiua, & non est idem identitate absoluta, nec diuersum, sicut inquit Scotus de passione & subiecto. Hoc non valet, quoniam vt determinatum est in questio, precedenti, illae duae identitates non distinguuntur nisi ratione, & cum sint vna realiter, non potest dari medium, inter idem & diuersum.

Quantum ad quintum aduerte, quod contra determinationem factam insurgit dubium. Nam sumo Sortem & Platone de quibus constat, quod sunt diuersi, cum sint distincti realiter. Tunc sic. Sortes est diuersitate diuersus a Platone. & Plato est diuersitate diuersus a Sorte, quero de istis diuersitatibus, aut sunt eadem diuersitas, aut diuersae, non eadem, quia sicut vnum quodq; est ens & vnum entitate & vnitate sibi intrinseca sic est diuersum & distinctum ab alio diuersitate & distinctione sibi intrinseca, ergo Sortes est diuersus a Platone diuersitate sua propria, & similiter Plato, non ergo sunt eadem diuersitas, non sunt diuersae, quia si sunt diuersae, ergo diuersitatibus sunt diuersae, quero de illis diuersitatibus, sicut de primis, aut sunt eadem diuersitas aut diuersae, non eadem, ea ratione qua supra non diuersae, quia diuersitatibus essent diuersae, & quaram de illis, sicut de precedentibus, ex consequenti esset processus in infinitum quod non admittitur ex 2. lib. metaph. ergo falsum est, quod opponitur comparatum omni, sic idem aut diuersum.

Ad hoc dicitur, quod omne ens comparatum enti vel est idem cum eo, vel diuersum ab eo, vel est id quo aliquid est idem vel quo est diuersum. Ad arg. ergo. dico quod diuersitas Sortis non est diuersitas Platonis nec sunt diuersae, ne procedamus in infinitum sed sunt quo Sortes est diuersus a Platone, & quo Plato

QVAESTIO IX.

est diuersus a Sorte. & hoc est quod alij dicunt, scilicet ad saluandum determinationem factam quod omne comparatum omni sic idem aut diuersum, aut sic identitas aut diuersitas, & sic non cogimur ponere medium. Haec de praesenti quaesito dicta sint.

Questio 9. in quo differt oppositio relatiua ab aliis oppositionibus.

Quoniam autem differre contingit abinuicem. Tex. 13.

Philosophus in hoc lib. 10. tangit de generibus oppositionum, vt patet, praecipue in tex. 15. & ideo ad plenioram notitiam considerabimus principia quaesita, quae solent facere difficultatem in omni genere oppositionum.

In hac quoque aduerte, quod tota eius resolutio stat in doctrina qua tradit b. Tho. in q. de potentia Dei. q. 7. art. 8. ad quartum, & resolutio stat in hoc, oppositio relatiua in vno conuenit cum aliis generibus oppositionum, & differt in duobus. Conuenit quidem in eo quod vnum correlatiuum includit negationem alterius respectu eiusdem, & ideo non se compatiuntur simul in eodem, respectu eiusdem vt quoniam in ratione dominij includitur negotio seruitutis, ideo respectu eiusdem non se compatiuntur, seruus & dominus, nec pater & filius, nec causa & effectus, nec magister & discipulus. & haec conditio est communis omni generi oppositionis. Quodlibet enim oppositum includit negationem alterius oppositi, vt magis constabit, quando agemus de oppositione contradictoria, & hac de causa in nullo genere oppositionum duo opposita se compatiuntur respectu eiusdem.

Primum autem in quo differt, est hoc. Quaecunque opposita priuatiue contrarie vel contradictorie ita se habent, quod vnum remouet & destruit reliquum, vt patet. Quae autem sunt opposita relatiue, ita se habent quod vnum ponit reliquum, & vnum sequitur ad alterum. Nam posita se ponunt, & perempta se perimunt. secundum est hoc. Quae opponuntur priuatiue contrarie vel contradictorie, ita se habent, quod vnum est perfectum, alterum imperfectum, in respectu ad alterum, & id patet in oppositione priuatiua, in qua habitus est quid perfectum, & priuatio quid imperfectum. Idem patet in contrarietate, in qua vnum contrarium est vt priuatio alterius, vt igno-

DECIMI METAPHY.

rauita respectu scientiar, & amaritudo respectu dulcedinis. In contradictione clarum est, quoniam alterum extremum, vt de clarabitur infra, verificatur etiam de non ente. Quæ autem opponuntur relatiue, non inconuenit esse æquo perfecta, vt duo similia in gradibus æqualibus. Causa vniuoca & effectus vniuocus, Generans & genitum in eadem natura. Ex quibus sequitur correlarie, quod in prima causa nulla potest esse oppositio, nisi relatiua, quæ secum non trahit aliquam perfectionem. Hic nõ cadit alia difficultas. Ideo hæc sufficiant pro presenti quaestione. Nam quæ circa relationem & modos relatiuorum consideranda sunt, iam resoluiimus in libro 5.

Quæstio 10. Quomodo se habet priuatio ad cognoscibilitatem & ad esse extra animam.

In hac q. aduerte, quod interio nostra est inuestigare. Primo, si priuatio est cognoscibilis per propriam speciem, vel tantum per speciem habitus, & quoniam priuatio est negatio, ideo determinationem quam facimus de priuatione, tu etiam intelliges de negatione. Deinde inuestigabimus, si priuatio habet esse extra animam, vel solum per opus intellectus.

Quantum ad primam partem tria agenda sunt. Primo ponetur conclusio responsiua. Secundo declarabitur modus, quo intellectus per speciem habitus cognoscit priuationem. Tertio declarabitur, si intellectus eodẽ vel distinctio actu cognoscit habitum & priuationem.

Quantum ad primum sit hæc conclusio responsiua. Intellectus nõ cognoscit priuationem per propriam speciem, sed per speciem habitus, probatur. Quod est cognoscibile per speciem propriam, est primo & per se motiuum intellectus, quoniam species constituit intellectum in actu primo. Sed priuatio non est motiua primo & per se intellectus, quoniam cum sit nõ ens vt probabitur infra, nõ potest habere rationem motiui primo & per se. Sicut enim esse mobile supponit esse, sic esse motiuum, quod & dignitas est supponit aliquo modo esse. Cum igitur intellectus apprehendat & concipiat priuationem, & nõ per speciem propriam, sequitur quod per speciem sui oppositi, qui est habitus. Nam vnumquodq; est cognoscibile secundum quod est. Sed priuatio est negatio habitus, ergo est cognoscibilis per habitum, vnde per speciem soni cognoscimus silentium, per speciem lucis, cognoscimus tenebras, per speciem recti cognoscimus obliquum.

QVAESTIO X.

284

Quantum ad secundum aduerte, quod sicut intellectus per ens cognoscit non ens, & distinctionem à non ente, vt innuitur b. Tho. in hoc 10. in lec. 4. & hoc quidem quodam discursu, sic arguendo. Hoc est ens, ergo non est non ens, sic per speciem habitus, habita cognitione de habitu, quodam discursu procedit ad cognitionem priuationis. v.g. Intellectus per speciem boni intelligit bonum, & concipit, quod est appetibile & perfectiuum appetentis, & tunc facit hæc consequentiam, ergo quod est nõ appetibile & imperfectum illud cui inest, est malum. Sic patet, quod eadem species est principium cognoscendi habitum & priuationem, sed differenter, nam respectu habitus est principium primo representatiuum, respectu autem priuationis est principium non representatiuum, sed illatiuum, si autem queratur, an hoc proueniat ex sola specie habitus, vel ex solo intellectu. Dico, quod partim est ex vtroque. Ex specie quidem, quia hoc est commune cuiuslibet opposito, vt per illud quod habet rationem perfectioris, cognoscatur reliquum imperfectius, sicut ex sano cognoscimus infirmum, ex sciente ignorantem, ex intellectu vero, quia cum intellectus noster nõ solum apprehendat simpliciter, sed etiam discurrat, ex vno affirmato potest inferre negationem alterius, vt cognito quod homo est videns, inferret, ergo non est cæcus. Patet ergo, quod intellectus per speciem habitus cognoscit priuationem & quomodo.

Quantum ad tertium præpono distinctionem de habitu & de priuatione. Aduerte igitur, quod habitus potest dupliciter considerari, primo vt habitus est, secundo vt ponitur in definitione priuationis, similiter priuatio potest considerari vt priuatio, secundo vt dissoluitur per habitum, si considerentur primo modo, sic dico, quod intelligi possunt distincto actu, nam possum concipere quid sit lux, & quid bonum, & quid rectum, nihil apprehendendo de priuationibus oppositis, vt vnusquisq; in se experiri potest, si considerentur secundo modo, dico, quod vno actu apprehenduntur, quoniam impossibile est, vt apprehendantur priuationem diffiniri per habitum, & non apprehendantur habitum, vt diffinientem, ergo sub ratione diffiniti & diffinientis vno actu apprehenduntur. Contra hæc determinationem, non formantur argumenta alicuius difficultatis, ideo pertransisco.

Quantum ad secundam partem quaeritur, tria consideranda sunt. Primo si priuatio habet esse reale extra animam. Secundo posito quod non, quomodo distinguitur à subiecto. Deinde soluentur duo dubia,

DECIMI METAPHY.

Quantum ad primum inuenio duas vias, prima attribuitur Alberto, qui videtur tenere, quod priuatio est forma generanda preexistens in materia sub esse imperfecto coagens generandi ad generationem rei, & quidem secundum hanc viam patet, quod priuatio esset ens reale, omnis enim forma naturalis sub quocumque esse existens, est ens extra animam, verum hanc viam iam recitauimus & reprobauimus in 7. li. in q. 13. vt videre poteris, quoniam deuiat à doctrina b. Tho. & Commen. ideo relinquitur eam, vt autem te resoluas in via b. Tho. & Commen. quæ ponimus pro secunda, sic procedendum est. priuatio dupliciter sumitur, primo quantum ad id quod est, secundo quantum ad id per quod distinguitur à simplici negatione, si primo modo, sic non est ens actu extra animam nec ens reale, quoniam priuatio formaliter non est nisi negatio, vt patet per philosophum & Commen. in 7. metaph. ca. de priuatione, vbi declarat omnes modos priuationis, per non habere id quod natum est haberi. Constat autem quod negatio nullum esse dicit, imo negat esse, ergo &c. Si 2. modo sic dicit aliquid reale, nam in sui ratione, vt distinguitur à simplici negatione includit aptitudinem subiecti ad formam, quam non habet. Constat autem, quod sicut subiectum habet potentiam ad recipiendum formam sibi inuibilem, sic habet aptitudinem ad eandem formam. Verum quia huiusmodi aptitudo non est de quidditate priuationis, ideo essentialiter loquendo, & non ex connotato, priuatio nullum esse reale importat.

Quantum ad secundum, constat per Arist. in 1. phys. tex. 60. quod distinguitur à subiecto, quod in generatione substantiali est materia prima, in generatione autem accidentali est ens actu, & ratio philosophi est, quia materia sive subiectum est principium per se, ex quo res fit, priuatio autem est principium per accidens, & subiectum permanet in re producta, priuatio autem non permanet, aliter forma introducta in subiecto, simul esset cum sui priuatione in eodem, quod implicat contradictionem. Manifestum est ergo, quod distinguitur à subiecto. Modus autem quo distinguitur, est iste. Non distinguitur sicut substantia à substantia, nec sicut accidens ab accidente, nec sicut accidens à subiecto, quoniam in omnibus his modis, vtrumque extremum distinctionis est ens reale, conclusum est autem, priuationem sumptam essentialiter, sive quo ad suum formale, non esse ens reale. Sed distinguitur distinctione qua distinguitur ens à non ente. Quod enim non est non ens, est distinctum à non ente, eū

QUESTIO X.

185

igitur subiectum sit ens, & priuatio non ens, distinguitur ab ea vt ens à non ente, & aduerte, quod hæc distinctio non est proprie reatio, sed potius negatio, nam quando distinctio est reatio, requiritur quod vtrumque extremum sit ens, & hoc non sit illud, quando autem est negatio, sufficit hanc esse veram, hoc non est illud, siue hoc sit ens, & illud non ens, vt Sortes non est chimera, sive vtrumque sit non ens, vt cecitas non est surditas. Patet igitur, quod priuatio distinguitur à subiecto, & modus quo distinguitur. Aduerte & quod licet priuatio sit distincta à subiecto, non tamen potest dici diuersa à subiecto, sed non eadem, siue non idem, cuius declarationem videre poteris in questione octaua huius libri.

Vltimo aduerte, quod contra determinationem factam insurgunt duo dubia. Primum est cetera determinationem factam de natura priuationis, qua dictum est, quod non est ens reale, quo ad suum formale, contra quod sic arguitur. Nullo intellectu considerante, vere negatio visus est in oculo, ergo non est priuatio ens rationis, quia ens rationis est illud, quod habet esse per opus intellectus, ergo vel est ens reale, vel nullo modo est ens, sed non potes dicere, quod nullo modo sit ens, quoniam philosophus in 4. lib. metaph. tex. 2. connumerat corruptiones & priuationes inter modos, quibus dicitur ens, ergo videtur esse ens reale à sufficienti diuisione.

Ad hoc dicitur secundum doctrinam b. Tho. quod priuatio cum sit negatio, non est ens, nisi in ratione, id est, visus in apprehensione rationis, sive intellectus, vnde b. Tho. exponens tex. 2. in 4. metaph. inquit, est quoddam ens tantum in ratione, scilicet negatio & priuatio, qua dicimus in ratione esse, quia ratio de his negociatur, quasi de quibusdam entibus dum de eis aliquid affirmat vel negat, hæc ille, ex quibus elicitur, quod licet priuatio sit non ens, prout ly non ens opponitur enti reali, tamen quia de priuatione intellectus format hanc propositionem affirmatiua, cecitas est in oculo, silentium est in camera, apprehendit eam veluti quoddam ens, quæ tamen non est vere ens, quoniam talis propositio affirmatiua æquipollet huic negatiua, visus non est in oculo apto habere visum. Ad argumentum ergo dico, quod est ens rationis, nec est necesse omne ens rationis fabricatum esse ab intellectu, hoc enim proprie verificatur de intentionibus secundis, qualis est intentio speciei & generis &c. Sed sicut hæc disiuunctiuam esse veram. Omne quod est ens rationis,

DECIMI METAPHY.

vel est fabricatum per opus intellectus, vel quia nō alio modo est ens, nisi quia apprehenditur ab intellectu, & circa ipsum negocatur. Nec valet dicere, quod est ens reale, quia nullo intellectu considerante, negatio visus est in oculo, ista enim propositio equipollet negatiua, vt dictum est, ideo subiectum nullū esse reale ponit, sed negat.

Secundum dubium insurgit contra dictum de priuatione quod distinguitur à subiecto siue à materia. Cōtra hoc videtur esse philosoph. in 1. phys. tex. 60. illic tenet, subiectam materiam esse vnum numero cum priuatione patet autem, quod ea quae sunt vnum numero, non distinguuntur ab invicem, ergo &c.

Ad hoc dicitur q̄ philosophus in 1. phy. tex. 79. contra Platonem tenet materia & priuationem distingui. Inquit enim, nos quidem enim materiam & priuationem alteram dicimus, eo quod materia est non ens per accidens, priuatio autem est non ens per se, & materia est de substantia rei, priuatio autē nequaquam. Ne autē videretur philosophus sibi contradicere, aduerte, quod in istis verbis subiectum est vnum numero cum priuatione, sic debet exponi, subiectum nō ponit in numero cum priuatione, quae enim ponunt in numero vtriusque est ens, cum hoc tamen stat, quod distinguatur, vt diximus supra, sicut distinguitur ens à non ente, quia verum est dicere, ens non est non ens. Hae de praesenti quaesito dicta sint.

Quaestio 11. Si oppositio contradictoria est prima & maxima, & si potest habere medium.

Horum autem primum contradictio. Contradictionis autem non est medium. Tex. 15.

In hac q̄. Primo pertractabis, quod oppositio contradictoria sit prima & maxima. Secundo quod non habet medium. Quantum ad primum pouo duas conclusiones. Deinde solutam quoddam dubium.

Prima conclusio. Contradictio est prima oppositio. probatur. Quod est causa eorum quae sunt vnius generis, est primum in tali genere. Hec manifestata est supra, vbi locuti sumus de mensura, & in 2. li. tex. 4. Sed oppositio cōtradietoria est causa aliorum oppositiōis, scilicet priuatiuae contrarietatis, & relatiuae, quae continentur in hoc genere, quod est oppositio, ergo est prima. Minor probatur. Quaeque opponuntur, ideo opponuntur, quia nō possunt simul existere. Ideo nō possunt simul existere, quia vnum oppositū includit negationē alterius. Nam vidēs, &

QVAESTIO XL.

286

caecus opponuntur, quia caecus est nō videns, dulce & amarum opponuntur, quia amariū est non dulce, pater & filius opponuntur, quia filius est non pater. Reliqua igitur opposita ideo sunt opposita, quia includunt affirmationem & negationē. Sed contradictio est affirmatio & c. ergo quod sint opposita, habent à cōtradietione, quam includunt, patet ergo, quod est causa aliorum oppositiōum, ex consequenti est prima.

Secunda conclusio. Cōtradietoria oppositio est maxima; probatur. De ratione oppositiōis est repugnantia, vbi ergo est maxima repugnantia, ibi est maxima oppositio, sed inter duo cōtradietoria est maxima repugnantia, quoniam in nullo possunt cōuenire, cum nō possint habere mediū, vt probauimus infra. Item diuidunt ens vniuersaliter, quoniam vt probatū est in 4. de quolibet ente est affirmatio vel negatio vera. Item nō conueniunt in veritate nec in falsitate, sicut enim non possunt esse simul vera, sic nō possunt esse simul falsa. Item maxime distāt, quoniam alterum est vt ens alterum vt non ens, non potest autē imaginari maior distantia, quā ea quae est inter ens & non ens. Huiusmodi autē cōditiones non verificatur de aliis oppositiōibus, nam priuatiue opposita possunt habere mediū, vt lapis nec caecus nec videns, similiter cōtraria, vt lapis nec sanus nec eger, similiter relatiue opposita, vt lapis nec pater nec filius, & quoniam possunt habere mediū nō diuidūt ens vniuersaliter, nec diuidūt verū & falsum. Nam de lapide vtraque harum est falsa lapis est videns, lapis est caecus, & vtraque istarū lapis est sanus, lapis est eger, & vtraque istarum lapis est pater, lapis est filius. Patet ergo, quod contradictio est maxima oppositio.

Sed cōtra illud quod dictum est, quod contradictoria maxime distāt, arguit sic Ant. And. in 4. lib. q. vlt. Quantumcumque aliqua parum distent potest esse contradictio inter ea, quia de quolibet est verū, alterū contradictoriōrū, ergo non requiritur nec est necessaria maxima distantia, sed minima sufficit, & maxima permittitur, ita quod cōtradietio seruetur in quacunque extremorum distantia, siue magna siue parua.

Ad hoc dicitur, quod oppositio contradictoria potest sumi dupliciter. Primo quo ad substrata, de quibus formantur duae propositiones contradictoriae, & sic conceditur, quod inter illa substrata nō requiritur maxima distantia, imo minima sufficit, quoniam de quolibet cōparatum cuiuslibet, siue multū siue parua distanti ab eo, verificatur alterū contradictoriōrū. Nō sumpto

DECIMI METAPHY.

motu comparato ad mouens, verum est dicere, quod est actio, & falsum est dicere, quod non est actio, eadē autem comparatio ad mobile, verum est dicere, quod est passio, & falsum est dicere, quod non est passio, & tamen est idem motus. Patet ergo, quod quantum ad subtracta minima distantia sufficit, quoniam in via nostra sufficit distinctio rationis ex parte rei, quā Seco. appellat distinctioem ex natura rei. Secundo potest sumi quantum ad illud, quod importatur per affirmatiuā & negatiuā contradi-
 ctorias, & sic dico, quod significat maximā distantiā. Nā affirmatiua significat esse, negatiua significat non esse, patet autē, quod magis distat esse & non esse, quā quęcumque duo esse. Nam quęcumque duo esse in aliquo conueniunt, saltē in ente, esse autem & non esse in nullo conueniūt, & quoniam in aliis oppositionibus utraque propositio est affirmatiua, ut huc Sortes est videns. Sortes est cæcus. Sortes est albus. Sortes est niger. Sortes est pater. Sortes est filius, ideo dicitur, quod in eis non requiritur tanta distantia quanta in contradictione. Ad argumētum ergo dico, quod concludit quo ad subtracta, quod & nos concedimus, sed non quo ad importatum per affirmatiuam & negatiuam contradi-
 ctorias, in quo sensu nos loquimur.

Quantū ad secundū principale, tria agenda sunt. Primo ponuntur quedam distinctiones de medio. Secundo ponuntur duę conclusiones responsiue. Tertio soluentur quedam dubia.

Quantum ad primū sit hæc prima distinctio. Medium inter aliqua potest esse dupliciter. Primo secundū formā, est autem huiusmodi mediū, quādo inter duas formas datur media forma, que neutra est earū, sed sapit naturā earum, ut tepiditas est mediū secundū formam inter calorem & frigiditatem, & tale mediū est inter omnia cōtraria mediata, de quo loquimur infra, quando queremus si mediā cōtrariōrū cōponuntur ex extremis cōtrariis. Secundo secundū subiectū, & est illud de quo neutrum prædicatum oppositū verificatur, v.g. quia de lapide nō verificatur priuatiue opposita, ut cœcus & videns, lapis dicitur esse mediū secundum subiectum in priuatiue oppositis.

Secunda distinctio. Mediū potest esse inter aliqua dupliciter. Primo positiue, & est illud, quod est eiusdē generis cum extremis, ut lignetur lignea diuisa in tres partes A, B, C, D, pars B, C, est mediū positiue, & est eiusdē generis cum A, B, & cum C, D. Sic mediū colores, sunt mediū positiue inter extremos colores. Secundo negatiue, & est illud quod accipitur per abnegationē

QVAESTIO XI.

287

utriusque extremi, ut quod nec est sanum nec ægrum, sed est corpus neutrum secundum medicos, qui inter sanitatē & egritudinem ponunt neutralitatem, vapore dispositionem quę nec est sanitas nec ægritudo.

Tertia distinctio. Mediū in quo aliqua conueniunt, potest signari termino secundę intentionis, & termino primę intentionis. v.g. si dicatur quod homo & alius cōueniūt in genere, ly genus est mediū secundę intentionis, si autem dicatur, quod cōueniūt in gradu sensitio, erit mediū primę intentionis.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio. Contradictoria habent mediū secundę intentionis, probatur, quoniam ut cōtradietoria cōueniunt in genere oppositionis, nam oppositio est genus, cuius partes subiectiue sunt oppositio cōtradietoria primatiua cōtraria relatiua & quoniam oppositio est relatio possunt dici, quod cōueniūt in genere relationis, & quoniam cōtradietoria diffiniunt, possunt dici quod conueniunt in esse diffinibili &c. & de hac conclusione nullus dubitat.

Secunda conclusio. Contradietoria non possunt habere mediū primę intentionis, neque secundū formā, neque secundum subiectū neque positiue, neque negatiue, probatur. Inter esse & non esse, nullū potest esse huiusmodi mediū, quia nihil est cōmune reali enti & nō enti in quo cōueniant. Sed omnia vere & formaliter cōtradietoria significat esse & non esse respectu eiusdē &c. Præterea, ideo in aliis oppositionibus datur mediū in aliquibus secundum formā, ut in cōtrariis mediatis. In aliquibus secundū subiectum, ut in priuatiue & relatiue oppositis, in aliquibus positiue, ut in cōtrariis mediatis, in aliquibus negatiue, ut in aliquibus cōtrariis immediatis, ut exēplauimus de sanitatē & ægritudine, & neutralitate, quia non quolibet ente verificatur alterum oppositorum, ut patet. Sed omnia cōtradietorie opposita, ita se habent quod de quolibet ente, nulla exceptione facta, alterū verificatur ergo &c. Maior nota. Minor probatur, quoniam ut defensauimus cōtra antiquos in quarto libro, de quolibet ente est vera affirmatio vel negatio.

Præterea. Quod conuenit alicui per se & secundū se, eius oppositū nullo modo potest ei conuenire nec per se nec per accidens, nam quia habere tres per se & secundū se cōuenit trigono, eius oppositū nullo modo ei conuenire potest, immo si cōuenit alteri, in quantum participat ipsum, & habere tres, conuenit isocheli, quia in eo seruatur natura trianguli. Sed non ha-

DECIMI METAPHY.

habere mediū secundum formā nec secundum subiectū nec positīue, nec negatiue conuenit per se, & secundū se cōtradictoriū, ergo &c. Maior nota, minor autem est philosoph. in 1. poste. vbi inquit, cōtradictio est oppositio, cuius non est dare mediū secundū se. Et si dicas, quod ista diffinitio conuenit oppositio cōtrariā respectu cōtrariōrū immediatōrū, ergo non solum cōtradictoriis. Respondetur quod ly non est dare mediū secundū se intelligitur de medio nullo modo, & sic conuenit solis cōtradictoriis. Nam licet cōtrariā immediata non habeāt mediū secundum formam & positīue, habent tamen mediū secundum subiectū & negatiue, vt declarauimus supra.

Quantum ad tertium aduerte, quod multa dubia insurgunt contra determinationē factam, quæ facile soluetur in assignatione conditionū, quæ requiruntur ad verā cōtradictionem. Tu igitur aduerte, quod prima conditio est, vt cōtradictio sit inter esse & non esse, sicut contrarietas est inter formas cōtrarias, sumēdo ly esse in tota sua latitudine, id est, pro eo quod quocunque modo est eius, & ly non esse, pro eo quod nullo modo est eius, & per hanc conditionem euacuat argumentum, quo solet sic argui, esse & non esse sunt cōtradictoria. Sed inter esse & non esse mediat generatio, quoniam est processus à non esse ad esse, ergo datur mediū inter cōtradictoria. Nam minor est falsa, quoniam generatio non mediat inter esse & non esse, modo exposito, sed inter esse in potentia, quod dicitur non esse, prout materia stat sub priuatione, & esse actu, & sic debet intelligi diffinitio de generatione, qua dicitur, generatio est processus à non esse actu, quod tamen est esse in potentia, ad esse actu, & si queras, si generatio nō mediat inter esse vniuersaliter sumptum, & non esse sub quo extremo continetur, Dico quod sub esse, nam philosophus in 4. metaphysic. in tex. 2. ponit generationem & corruptionem sub ente in quantum sunt vix, & cetera.

Secunda conditio, quod cuilibet insit alterum extremū & propter hanc cōditionem euacuat argumentū de cōtrariis immediatis, quæ cum sint immediata, non possunt habere mediū, & sic non videtur esse propriū cōtradictionis non habere mediū. Ad quod dicitur, quod licet sint immediata secundum formam, non tamen secundum subiectū, quoniam non est necesse alterum eorū verificari de quolibet ente, sicut est necesse in cōtradictoriis.

QVAESTIO XII.

288

Tertia conditio, quod duo cōtradictoria sumantur secundum idem & propter hoc nō cōtradiciunt iste dūc punctus in medio lineæ est finis, respectu A. punctus in medio lineæ non est finis respectu B, & ex hoc soluitur argumentum de scuto, cuius vna medietas est alba, & alia est ngra. Nam de hoc est verum dicere, quod est album, & quod non est album. Ad quod dicitur, quod licet sit verum dicere est album, & nō album, nō tamen secundum eandem partem.

Quarta conditio, quod sumantur respectu eiusdem, secundum numerum, & hac de causa dux propositiones vniuersales affirmatiue formatæ de prædicatis cōtradictoriis, non opponuntur cōtradictorie, vt hic omnis homo est albus, omnis homo est non albus, quia ly albus, & non albus, possunt sumi pro distinctis suppositis, & vni inerit album, & alteri non album, ideo non cōtradiciunt.

Aduerte vltimo, quod licet alterum cōtradictoriōrū verificetur de quolibet ente, non tamē cum reduplicatione, nam si sumantur cum reduplicatione contingeret quod vtraque propositio sit falsa, vbi, omnis homo in quantum homo est albus, omnis homo in quantum homo est non albus, & quidem quod vtraque sit falsa, patet, quoniam de necessitate omnis homo esset albus vel nullus homo esset albus, quod enim conuenit alteri tali in quantum tale, conuenit omni tali, & quod negatur ab aliquo in quantum tale, negatur ab omni tali. Hæc de præseni quaesito dicta sunt.

Quæstio 12. si contrarietas est maxima differentia vel distantia.

Quia vero maxima est differentia, palam ex inductione. Text. 13.

Postquam disensa sunt quaerita circa oppositionem relatiuam & priuatiuam & cōtradictoriā, immorandum est circa cōtrariā, de qua multa mouentur dubia, vt patebit infra, & primo queritur, quomodo contrarietas est maxima distantia.

IN hac q. si attenditur sensus philosophi, non est magna difficultas. Tu igitur sic procedes. Primo præpones duo notabilia. Secundo conclusionem responsiuam. Tertio solues quedam argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam.

Quantum ad primum, notabile primum sit hoc. Maxima

DECIMI METAPHY.

distancia potest sumi dupliciter. Primo absolute. Secundo comparabiliter. Absolute quidem est inter ea que maxime distant secundum essentiam suam, ut Deus & creatura substantia & accidens, Actus purus & pura potentia. Comparabiliter autem est inter ea tantum, quae sunt adinuicem comparabilia, ut diuersorum generum non sunt adinuicem comparabilia, ut declaratum est in 7. phys. Quando ergo quaeritur si contrarietas est maxima distantia, intelligendum est comparabiliter & non absolute. Constat enim quod absolute magis distant quantitas & qualitas, quae in nullo genere conueniunt, quam duae qualitates contrariae, quae non solum in genere generalissimo, sed & subalterno conueniunt, ut dulce & amarum sub sapore.

Secundum notabile sit hoc. Contraria ideo sunt eiusdem generis, quoniam adinuicem transmutantur, ex 1. & 5. phys. Inter ea autem quae sunt diuersorum generum, non est transmutatio per se, non enim transmutatur calidum in coloratum, sed in frigidum, & propterea inquit philosophus in 1. physic. tex. 43. accipiendum est igitur primum, quod omnium quae sunt nihil neque facere aptum natum est, neque pari contingens & contingenti, neque sit quodlibet ex quolibet, nisi aliquis accipiat secundum accidentia. Qualiter enim fieri album ex nigro, nisi accidens sit albo &c.

Quantum ad secundum sit haec conclusio responsiua. Inter contraria est maxima distantia non absolute, sed sub eodem genere. Prima pars patet ex primo notabili. Secunda autem sic deducitur ad mentem philosophi in tex. praeposito. Transmutatio est inter contraria ultima, quoniam dicitur quod sit inter media, ut inter croceum & rubrum, vel inter medium & extremum, quod dicitur ultimum, ut inter croceum & nigrum. Adhuc est progressus ad extremum. Cum autem fuerit inter extrema, non potest ulterius procedere, ergo contraria extrema quae sunt unius generis, & inter quae est ultimata transmutatio, maxime distant. Antecedens manifestum est, consequentia vero probatur, quoniam magis distant extrema contraria adinuicem, quam media adinuicem, & quam medium & extremum, & non potest imaginari maior sub eodem genere, quam distantia duorum extremorum, ergo illa est maxima.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta contra determinationem factam. Primum est, contrarietas est differentia in eodem genere, quoniam contraria sunt eiusdem generis, ut patet

QVAESTIO XIII.

189

patet in hoc 10. in tex. 13. Sed maxima distantia non est in eodem genere, quoniam magis distant, quae sunt diuersorum generum, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod mens philosophi est contrarietatem esse maximam distantiam comparabiliter & non absolute. Argumentum autem procedit de maxima distantia absolute, quare &c.

Secundum est, inter album & nigrum est contrarietas, & tamen inter ea non est maxima distantia, quod probatur, quia magis distat albius & nigrius, quam album & nigrum, ergo albiissimum & nigerrimum maxime distant, non ergo album & nigrum, quae tamen sunt vere contraria secundum philosophum.

Ad hoc dicitur, quod maxima distantia sub eodem genere, quae requiritur ad contrarietatem debet attendi, quo ad naturam contrariorum, & non quo ad excessum. Arg. autem procedit quo ad excessum & ideo non est contra determinationem factam. Sufficit enim, quod inter species coloris album & nigrum ex natura sui maxime distent. Sed nec albiissimum & nigerrimum habent ex natura sui, quod sint contraria, nisi quia includit album & nigrum. Haec de praesenti quaestione dicta sunt.

Quaestio 13. Si contraria habent fieri circa idem subiectum, & ita se comparantur in eodem in gradibus saltem remissis.

Et in eodem susceptiuo plurimum differentia. Text. 14.

In hac quaestione aduerte, quod prima pars non multam continet difficultatem, secunda autem admodum difficilis est, propter solennes opiniones oppositas. Primam resolues duabus conclusionibus.

Primo conclusio, contraria habent fieri circa idem subiectum probatur, quae transmutatur adinuicem, requirunt idem subiectum, in quo quando vnum expellitur, alterum introducit, aliter non transmutarentur adinuicem, nisi per successionem vnius ad alterum in eodem. Sed contraria transmutantur adinuicem, omnis enim transmutatio est inter terminos, aut priuatiue aut contrarie oppositos, ex 5. physic. tex. 7. ergo habent fieri circa idem. Et hoc intellige quantum sit ex natura contrariorum. Quod dico propter contrarium, quod naturaliter & inseparabiliter alicui inest, ut calor in igne, nigredo in coruo,



DECIMI METAPHY.

Nam quod alterum contrarium non possit successiue inesse, non est ex natura contrarij, sed ex subiecto determinante bi à natura alterum contrarij m.

Secunda conclusio, licet sit idem subiectum receptiuum contrariorum successiue, tamen necesse est aliter & aliter esse dispositum, secundum quod diuersa contraria recipit, probatur, ex 2. de anima, tex. 26. vniuscuiusque actus aptus est fieri in propria & determinata materia, quod quidem licet principaliter intel ligatur de forma substantialitamen verificatur etiam de accidentali. Nam vt declarauimus in 2. de anima & in lib. de sensu & sensato, ad hoc quod recipiatur dulcedo, necesse est predominari humiditas, cum calido temperate decoquente, respectu autem amaritudinis, predominari siccitas, cum calido adurere, ergo &c.

Et aduerte quod ista conclusio, plene tibi certificata erit, postquam in lib. 12. determinauerimus, quod in subiecto est aliqua potentia, qua est receptiuum talis vel talis accidentis, ita quod sicut multiplicatur & diuersificatur accidentia receptibilia, sic multiplicatur & diuersificatur huiusmodi potentia, quae non sunt partes accidentium, sed dispositiones agentes ad receptionem eorum.

Quorum ad secundam partem aduerte, quod difficile est ad resolendum, propter solennes opiniones oppositas, nam Grego. in 1. sen. di. 17. q. 3. art. 2. tenet, quod nec pro gradibus intensis, nec pro gradibus remissis, villo modo se comparantur. Capr. autem in 1. sen. di. 17. q. 2. ad argumenta contra secundam conclusionem tenet partem affirmatiuam pro gradibus remissis, & arbitratur se loqui ad mentem b. Th. Quid autem circa hoc senserit Commentator, non constat, quoniam pro vtraque parte allegatur eius dicta, sed quilibet ad sensum suum trahit.

Tu igitur aduerte, quod si eligis tenere partem negatiuam, vt tenet Grego. fundamentum tuum erit hoc, quod contraria non possunt simul esse ex natura sua, eo quod ex sui natura habent repugnantiam simul essendi, & non solum pro tanto vel tanto gradu. Sed accinge te ad defendendum rationes Grego. Nam omnes soluit Capr. in 1. di. 17. q. 2. ad argumenta in primo loco inducta contra secundam conclusionem, sed nec Paulus Sone. in 10. lib. q. 22. qui tenet partem negatiuam cum Grego. eas defendat, sed nouas format, non satis firmas & efficaces, quas ego solum in se. Si autem elegeris sequi partem affirmatiuam vt Capr. fidelissimus defensor viz Thomisticae, fundamentum tuum erit hoc, quod

QVAESTIO XIII.

190

contraria non repugnant similiter existere, nisi pro tanto gradu. Nec ex positione duorum contrariorum in eodem subiecto sequitur contradictoria de eodem verificari, eo quod contraria non denominat subiectum, nisi sint vltra medietatem graduum, verum non habebis rationes efficaces contra Grego. fortiores enim ipsemet format contra se & soluit: ego autem vt deferam Capr. quem intendo sequi, volo sustinere partem affirmatiuam, & sicut ipse Capr. soluit rationes Grego. vbi supra, ita ego intendendo soluere rationes Pau. Sone. ex quibus septem sunt ad probandum conclusionem negatiuam, & tres format contra Caprazolum.

Prima ratio si contraria sunt simul in eodem pro quocumque gradu, contradictoria sunt simul vera, consequens est impossibile, vt probatum est in 4. metaph. consequentia probatur, si idem est album & nigrum, ergo est album & non album, quia cum in nigro sit priuatio albi, ergo est non album, & confirmatur, quia omnis oppositio alia à contradictione includit contradictionem, vt dicitur in primo priorum, ergo si contraria verificantur simul de eodem, sequitur quod etiam contradictoria verificantur.

Ad hoc dicitur, quod fundat se in falso, supponit enim quod contraria remissa, puta album vt 5. & nigrum vt 5. denominet subiectum simul album & nigrum, & cum nigrum sit non album; ideo denominet ipsum subiectum album & non album. Sed id non concedit Capr. quoniam tenet, quod contraria non denominant nisi vltra medietatem graduum. Ad argu. ergo negatur consequentia, ad probationem dico, quod subiectum non erit album & nigrum, ex consequenti non erit album & non album, ad confirmationem dicitur eodem modo, & aduerte, quod si album sit vt 8. & nigrum vt 3. subiectum denominabitur album, & non denominabitur nigrum, & ideo non verificabuntur contradictoria de eodem.

Secunda ratio. Moneatur corpus calidum summa caliditate quae est vt 10. ad caliditatem vt 9. & cum qua stat frigiditas, vt vnum, quae non stat cum maiori. Tunc sic, certum est, quod in vno instanti est sub caliditate vt 10. & in alio instanti sub caliditate vt 9. & cum inter hec duo instantia sit tempus medium, quare in hoc tempore inter medio, aut est sub caliditate vt 10. vel non, non vt 10. quia sic dum moueretur adhuc esset in termino à quo, si non, ergo in tempore inter medio est sub cali-

DECIMI METAPHY.

ditate remissa, & non est vt 9. quia non nisi in instanti terminat tempus medium est sub caliditate vt 9. ergo est sub maiori quam sit 9. Sed sub maiori nullus stat gradus frigiditatis, ergo datur caliditas remissa cum qua nullus stat gradus frigiditatis ex consequenti datur vnum contrarium remissum, cui pro nullo gradu admiscetur alterum contrarium.

Ad hoc dicitur, quod in tempore intermedio est sub caliditate, vt 10. & cum instatur, quia esset adhuc in termino a quo negatur consequentia. Licet enim in tempore intermedio sit sub eodem gradu, sub quo erat in primo instanti, non tamen est omnino in eandem dispositione, immo sub dispositione quae disponitur pro instanti sequenti, ad calidum vt 9. & frigidum vt vnum, vnde aduertit, ad hoc quod aliquid actu moueatur, non est necesse, quod essentialiter recesserit a termino, & participet essentialiter de termino ad quem, sed sufficit, quod recesserit & participet dispositione preter quam in motu locali propter continuitatem spacij.

Tertia ratio, rubedo & viriditas non possunt simul esse in eodem in gradu intenso, ergo nec albedo & nigredo in gradibus remissis. Antecedens communiter conceditur, consequentia probatur. Albedo & nigredo remissa plus repugnant, quam media intense, quia primae sunt perfecte contrariae, eo quod maxime distant sub eodem genere, mediae autem non: ergo si mediae se non compatiuntur, nec primae.

Ad hoc dicitur, quod mediae minus sint contrariae, eo quod non maxime distant sub eodem genere, & quia continent extrema saltem virtualiter, tamen quo ad coexistenciam pro gradu intenso, magis, repugnant quam albedo & nigredo pro gradu remisso. Nam vtraque qualitas media cum gradu intenso denominaret subiectum, & sic verificarentur contradictoriae, quod non faciunt extrema pro gradibus remissis, vt diximus ad primam.

Quarta ratio, si formae contrariae se compatiuntur, aut hoc est in gradibus aequalibus, aut inaequalibus, non primum, quia si aliquid habet albedinem vt 6. & nigredinem vt 6. sequitur, esse & album & nigrum, vel nec album nec nigrum, quae sunt impossibilia, quoniam sequuntur contradictoria, si est album, & nigrum, aut nullo est colore coloratum, cum ibi non sit nisi albedo & nigredo per casum datum. Non secundum, quia si albedo vt 6. non compatiatur nigredinem vt 6. multo magis albe-

QVAESTIO XIII.

291

do intensior quam vt 6. expellet nigredinem vt 6. quia albedo intensior est fortior, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod se compati possunt in gradibus aequalibus circa mediam latitudinem, & vt sic componunt colorem vnum medium, puta palidum, quo denominatur subiectum coloratum, ita quod non denominatur album, nec nigrum, nec est album nisi secundum quid, nec nigrum nisi secundum quid ultra mediam latitudinem se compati possunt gradibus inaequalibus, puta calor vt 8. frigidum vt duo, & subiectum denominabitur simpliciter a calido, & non a frigido, quia vt diximus supra, qualitas intensibilis non denominat nisi ultra mediam latitudinem, & quando probatur, quod si albedo vt sex, non compatitur nigredinem vt sex, multo magis &c. negatur consequentia, quoniam quantum ad coexistentiam magis repugnat vt sex, vtraque enim denominat et subiectum, & sic sequeretur contradictoria, quam si vna sit vt 8. altera vt duo, nec valet quod sit intensior, quoniam non agit in contraria, nisi pro gradu pro quo non compatiatur eam, vnde si calor vt 8. debet expellere frigidum vt 2. necesse est vt calor intendatur, puta fiat vt 9. & tunc erit frigidum vt vnum, si autem intendatur vsque ad 10. frigidum totaliter corrumpitur.

Quinta ratio, si formae contrariae possunt esse similiter, ergo & motus contrarij, quod est falsum, consequentia probatur, quoniam ex 7. physico, non est contrarietas in motibus, nisi propter contrarietatem formarum & terminorum, ad quos sunt, ergo si formae contrariae se compatiuntur, possibile etiam erit, quod idem moueatur contrariis motibus, puta quod calefiat & frigeat, ex quo calidum & frigidum se compatiuntur, falsitas autem consequentis probatur, quoniam non est minor contrarietas inter duos motus contrarios, quam inter motum & quietem, sed impossibile est idem simul moueri ad formam & quiescere sub illa, ergo multo minus possibile est, idem similiter moueri motibus contrariis.

Ad hoc dicitur, quod motus contrarij possunt esse duobus modis. Primo quod vterque sit acquisitiuus, puta quod per vnum acquiratur caliditas & per alterum frigiditas, & concedo falsitatem consequentis. Secundo quod vnus sit acquisitiuus, & alter deperditiuus, puta dum calor intenditur in aqua, deperditur frigiditas, & vt sic nego falsitatem consequentis, & concedo consequentiam. Argumen. autem procedit de motibus

DECIMI METAPHY.

contrariis primo modo, nos autem tenemus, quod dum vnum contrarium intenditur & alterum remittitur, sint motus contrarii secundo modo, quod non est inconueniens.

Sexta ratio. Hoc est de mente Commen. qui in 4. metaph. sic maleum philosopho in tex. & comen. 27. concludit, qd impossibile est, vt contraria sint simul in eodem, sed quandoq; hoc, & quandoq; hoc. Itē in 1. phy. comen. 56. dicit, qd qualitates medice inter contrarias sunt alio modo in potentia ad eas quam subiectum, quia subiectum est in pura potentia ad vtrunq; extremum, medice autē non sunt in pura potentia ad extremas, hęc Comen. Quero igitur quomodo subiectū est in pura potentia ad vtrunq; extremū, aut enim hoc est quia subiectum non est vtrunq; extremū, sed potest esse, & hoc est falsum, quonia impossibile est lapidem fieri albedinem, aut hoc est, quia subiectum nunquam habet vtrunq; extremum simul, sed modo hoc modo illud, medium autem habet aliquo modo vtrunq; extremum simul, scilicet virtualiter, & hic est verus sensus.

Ad hoc dicitur, quod Comen. intendit, subiectum esse in pura potentia ad vtrunq; extremum, quonia & natura sua neutrum habet, loquendo de formis, que contingenter insunt, vt albedo & nigredo in pariete &c. medium autem non est in pura potentia, quonia medium vt medium ex ratione sua continet vtrunq; extremum, non solum virtualiter, sed & formaliter, vt determinabitur infra, non ergo ex dicto Comen. potest concludere propositum suum, & cum adducit philosophum & Comen. in 4. metaph. dico, vt etiam tenet Capr. quod semper intendit de contrariis pro tanto gradu, pro quanto sunt denominantia subiectum. Sic enim sunt impossibilia, & non aliter.

Septima ratio. Hoc est de mente b. Tho. qui in 3. sen. di. 14. dicit, in minus albo non est aliqua nigredo, sed albedo minus intensa, ergo albedo que non est summa, non habet aliquem gradum nigredinis.

Ad hoc dicitur quod b. Tho. intendit in minus albo, non esse aliquam nigredinem, que scilicet denominet subiectū nigrū.

Octava ratio, & hanc format contra Capr. in corpus habens minimū frigus, & approximetur ei corpus calidū, potēs ipsum ultra infrigidare. Quero verum sit possibile in hoc corpore successiue acquiri calorem, dato quod frigus non intendatur, si dicitur quod non, ergo ageas naturale debite approximatū

QVAESTIO XIII

193

passo, & non impedirum, non ager in ipsum, quod est manifeste falsum: sic, ergo cum prius acquirantur omnes gradus caloris, circa nonum, quam ipse nonus, sequitur quod illa minima frigiditas potest stare non solum cum calore vt nouem, sed etiam cum calore vt 4. vt 5. vt 6. & sic de omnibus aliis citta uem. Cuius oppositum dicit ipse Capr.

Ad hoc negatur calūs, qd scilicet possit dari corpus habens minimū frigus cum remotione omnis gradus caloris. Nā sicut ipse reputat inconueniens, qd detur corpus non coloratum, sic reputo inconueniens, quod detur corpus habens frigiditatem vt vnum, & nullam caliditatem, tunc enim nec calidū nec frigeret, nec tepidum, quonia in tepido est admixtus calor; ipse autem supponit, quod nullum gradum caloris habeat: Ratio igitur sua fundata super casum inconcessum, nihil concludit.

Nona ratio, & est contra Capr. suppono, qd forma non potest esse sine effectu formali, nec e contra, suppono etiam, quod esse frigidum est effectus formalis frigoris, tunc sic. In calido vt 9. est frigidum vt vnum, ergo dat ei esse frigidum; ergo illud corpus recipit esse frigidum & ultra, ergo est frigidum. Patet prima consequentia, quia cuiuslibet danti correspondet aliquod recipiens, secunda etiam consequentia patet, quia idem sunt habere esse frigidum & esse frigidum, ergo in calido vt 9. est esse calidum & esse frigidum, ex consequenti est calidum & frigidum, quod est impossibile, aliter sequuntur contradictoria, vt argumentatum est supra.

Ad hoc dicitur, quod primum suppositum est falsum, loquendo absolute, nam esse album vel denominari album, non consequitur albedinē absolute sed pro tanto gradu, puta ultra medietatem latitudinis graduum, & ideo nō inconuenit dari formam sub gradu adeo remisso, quod non habebit effectum sui formalem. Ad argumentum ergo, nego primam consequentiā que fuit hęc. In calido vt 9. est frigidum vt vnum, ergo dat ei esse frigidum, & sic nō sequitur, quod illud corpus sit simul calidum & frigidum.

Decima ratio, & est contra Capr. in hoc distinguuntur res permanentes a successiuis, quod successiua non sunt, nisi dum sūt; permanentia vero non sunt quando sūt, sed postquam facta sunt. Tunc sic, in toto dealbationis tempore, albedo est in fieri, ergo albedo non est, patet consequentia, quā albedo est res permanentis, ergo in dealbatione nō est albedo admixta nigredini

DECIMI METAPHY.

Ad hoc dicitur, quod rerum permanentium, quædam sunt accidentia ut esse album, quædam substantiæ, ut esse hominem. Quæ sunt substantiæ in hoc differunt à successiuis, quod dum sũt, nullo modo sunt actu, nec secundum partem, nec secundum totum, nec secundum esse imperfectum, nec secundum esse perfectum, eo quod eorũ generatio est indiuisibilis. Quæ autem sunt accidentia recipientia magis & minus, in hoc differunt à successiuis, quod successiua habent totum suum esse sibi debitum dum sũnt, & non aliter, ita quod terminato fieri desinit totaliter eorũ esse. Hæc autem dum sũnt, puta dum intèditur calor, aut corpus dealbatur, habent quidẽ esse sed imperfecte, completo vero fieri habent esse perfectum, nihil ergo prohibet, quod in toto dealbationis tempore in quo albedo est in fieri, habeat esse, non quidem perfectum, & ut sic potest secum compati nigredinem remissam. Ad arg. ergo, nego consequentiam, ad probationem dico, quod licet albedo sit res permanens, tamen suum esse non stat in indiuisibili, quare &c. Hæc de præsentis quæsto dicta sũnt. De quo scito esse problema neutri apud philosoph. & Cõmen. & b. Tho. ideo, utraq; pars sustentabilis est. Ego autem volui defensare partem affirmatiuam pro reuerẽtia Capreoli.

Quæstio 14. Si tantum vnum vni est contrarium.

His enim entibus palam, quod non contingit vni plura contraria esse. Text. 14.

In hac q. aduerte, quod si sensus philosoph. attendatur, parua cõsurgit difficultas. Nam propositum tex. inducit corollarie, ex eo quod dixerat contrarietatem esse maximam & perfectam distantiam duorum sub eodem genere, & sic patet, quod ibi loquitur de perfectissima cõtrarietate extremorum. De medijs autem nondum mentionem fecerat. Loquendo ergo de hac perfecta contrarietate, constat, quod tantum vnum vni est contrarium. Cuius ratio est, quoniam maxima distantia sub vno genere, nõ potest esse nisi inter duas species. Nõ enim possunt duæ species eiusdem generis esse æqualis gradus, cum se habeant ut numeri, ut visum est in 8. lib. Verum quia solet fieri instantia, quod plura media contrariantur extremis, ut omnes medijs colores extremis coloribus, & plura extrema vni medio, ut in moralibus prodigalitas & auaritia liberalitati, ideo ad vniuersalem resolutionem propositi quæsti sic procedes. Primo ponetur distinctio de contrarietate. Secundo ponentur duæ conclusiones responsiue. Tertio ponetur quoddam notabile.

QVAESTIO XIII.

293

Quantum ad primũ aduerte, quod contrarietas est duplex, scilicet perfecta & imperfecta. Perfecta dicitur maximã distantiam inter duas formas in eodem genere, inter quas est motus per se, & sunt successiue acquisibiles. Imperfecta non requirit maximam distantiam, sed quod sint duæ formæ sub eodem genere inter quas sit motus, & sint successiue acquisibiles.

Quantum ad secundum sic hæc prima conclusio, secundum contrarietatem perfectam, tantum vnum vni est cõtrarij, probatur ratione philosophi in præposito tex. quæ stat in hoc. Perfecta contrarietas dicitur maximam distantiam formatũ in eodẽ genere. Hæc enim est ratio perfectæ contrarietatis. Sed maxima distantia in eodem genere non potest esse nisi inter duo extrema & vltima, quia vltimo non est aliquid vltterius, ergo contrarietate perfecta, tantum vnum vni est contrarium.

Secunda conclusio, secundum cõtrarietatem imperfectam, possunt plura contrariari vni, & econuerso, probatur. Ea inter quæ est motus per se sunt contraria ex 1. & 5. phy. Sed inter media & extremũ, est motus per se. Patet enim quod aliquid potest moueri ab albo ad rubeum, & croceum & alurum, & viride, sicut ab albo ad nigrum, ergo inter album & omnes medios colores est contrarietas, non quidem perfecta, cum non seruetur inter eos maxima distantia, ergo nõ inconuenit, contrarietate imperfecta plura contrariari vni & econuerso.

Quantum ad tertium aduerte, quod si vis sustinere vniuersaliter, quod tantum vnum vni est contrarium, fundabis te in hoc, quod media non contrariantur extremo, nisi ut gerunt vicem alterius extremi, puta rubeum, viride &c. gerunt vicem nigri, similiter in moralibus, duo extrema non contrariantur vni medio, nisi in quantum duo extrema conueniunt in ratione mali aut vitij, & illud medium in ratione virtutis, & sic prodigalitas & auaritia in quantum sunt vitium, contrariantur liberalitati, in quantum est virtus, similiter maius & minus contrariantur æquali, in quantum conueniunt in ratione in æqualis, & sic patet, quod vniuersaliter potest sustineri tantum vnum vni esse contrarium, quia vel vnum, vel plura reducta ad vnum. Tu tamen aduerte, quod inter æquale & magnum & paruum magis seruetur oppositio priuatiua quàm contraria, ut patet in hoc lib. in tex. 17.

Pro hac q. non laborabis in pluribus inuestigandis: quoniam nec alij quid egregium dicunt. Nec Pau. Sonc. nisi quod immo-

moratur ad assignandum, quo modo genus immediate diuiditur duabus differentiis constitutivis duarum specierum specialissimarum, vel subalternarum, vel quarum una est subalterna, & altera est specialissima, vide tu eum ad placitum. Hæc de præsentibus quæstio dicta sunt.

Quæstio 15. Si multitudo est genus ad numerum, ita quod sit quid magis commune quàm numerus.

Multitudo autem quasi genus numeri. Text. 21.

In hac q. sic procedes. Primo distinguetur de numero. Secundo ponentur conclusiones responsivæ. Tertio soluetur quoddam dubium, in quo videtur Iasdu. insurgere contra b. Tho.

Quantum ad primum adverte, q. numerus dupliciter considerari potest. Primo vniuersalissime sumptus, vt prædicatur de numero formali siue essentiali, qui reperitur tam in abstractis quàm in rebus materialibus, nam sicut dux intelligentiæ conveniunt in numero binario essentiali, sic dux quidditates materiales, vt humanitas & equinitas constituunt binarium essentialem. Secundo potest sumi pro numero quætitativo, qui causatur ex divisione continui, & reperitur secundum viam nostram in solis materialibus, vt determinauimus in libro octauo contra Gregorium.

Quantum ad secundum sit prima conclusio, numerus primo modo sumptus non est in minus quàm multitudo, immo est conuertibilis cum multitudine, probatur. Cum non detur multitudo infinita actu, sicut numerus vniuersalissime sumptus, mensuratur unitate, & constituitur aggregatione unitatum, sic etiam omnis multitudo siue transcendens siue numeralis, vnde vt docuimus in lib. 8. q. 11. proprietates numerales vt peritas imperitas, esse tot & tot, ita attribui possunt multitudini transcendenti, & numero essentiali sicut multitudini & numero quætitativo, & hoc non negaret philosoph. & quando dixit multitudinem esse quasi genus numeri, non intellexit de multitudine & numero transcendenti, quem appellamus numerum essentialem.

Secunda conclusio. Numerus 2. modo sumptus est in minus quàm multitudo, & ipsa est quasi genus numeri, probatur. Sicut se habet vnum transcendens ad vnum numerale, sic multitudo transcendens ad numerum quætitativum, quoniam sicut principium ad principium, sic principium ad principium. Sed constat quod vnum transcendens, est in plus & magis commune quàm vnum numerale, illud. n. conuertitur cū ente,

& circūdar omne prædicamentū, & verificatur de qualibet essentia tã abstracta quàm materiali, vñ vero numeraria & tatur reductiue ad prædicamentū quætitatis, ergo & multitudo transcendens, est in plus quàm numerus quætitativus. Illa enim sicut vnum transcendens circūdat omne prædicamentū, & verificatur in abstractis & materialibus. Numerus vero quætitativus restringitur ad prædicamentū quætitatis, cum sit quantitas discretiva, & non verificatur nisi de rebus quantis. Quoniam igitur est in plus in sensu dicto, ideo philosoph. dicit, quod est quasi genus numeri, omne enim magis commune, potest dici largo modo esse genus, & notiter dixit quasi genus, quoniam sicut ens non est genus, vt declaratum est in lib. 3. sic nec vñ transcendens, nec multitudo transcendens, aliter prima causa esset in genere.

Quantum ad tertium adverte, quod b. Tho. in x. lib. in lec. 8. declarat quomodo multitudo est quasi genus numeri inquit. Sciendum vero est, quod pluralitas siue multitudo absoluta, quæ opponitur vni, quod conuertitur cum ente, est quasi genus numeri, quia numerus nihil aliud est, quàm pluralitas & multitudo mensurabilis vno. Sic igitur vñ secundum quod simpliciter dicitur ens indiuisibile, conuertitur cum ente, secundum autem quod accipit rationem mensuræ, sic determinatur ad aliquod genus quætitatis, in qua proprie inuenitur ratio mensuræ, & similiter pluralitas vel multitudo, secundum quod signat entia diuisa, non determinatur ad aliquod genus, secundum autem quod signat aliquod mensuratum, determinatur ad aliquod genus quætitatis, cuius species est numerus. Hæc b. Tho.

Tu igitur adverte, quod Iasdu. in lib. x. in q. 15. reprobat dictum b. Tho. in hoc loco, pro quæto dicit, quod vñ vt accipit rationem mensuræ, & multitudo vt signat mensuratum, determinatur ad genus quantitatis. Contra hoc igitur sic arguit. Vnum & multa, vt habent rationem mensuræ & mensurati sunt in prædicamento relationis, ergo non determinatur vt sic ad genus quætitatis, consequentia patet, quoniam cum prædicamenta sunt impermixta, idem sub eadem ratione non potest esse in duobus prædicamentis. Antecedens vero probatur. Quia differentia relationis non trahit aliquid, cui adiungitur extra prædicamentum relationis, nam differentia est in eodem prædicamento cum eo cui adiungitur, sicut rationale & animal determinatum per rationale, sunt in prædicamento substantiæ. Sed mensura & mensuratum sunt differentia relationis. Constituunt enim tertium modum rela-

DECIMI METAPHY.

tuorum, ut visum est in 5. libro ergo vnum & multa ut sunt sub ratione mensuræ & mensurati, non determinantur ad aliud genus, quam ad genus relationis.

Ad hoc dicitur, quod Iand. non penetravit sensum b. Tho. Patet enim in tota doctrina sua, ubicunque inuestigat de oppositione inter vnum & multa quod tenet vnum ut mensuram, multa ut mensurata opponi relative, ex consequenti ut sic sunt in predicamento relationis, prout scilicet sunt sub tali respectu, & quod hæc sit mensura, patet in 1. sen. dist. 24. q. 1. art. 3. ad quartum, ut videre poteris. Si igitur b. Tho. hic intruderet, quod vnum ut stat formaliter sub respectu mensuræ, & multa sub respectu mensurati, non essent in predicamento relationis sed quantitatis, sibi contradiceret, quod non est credendum a vero Tho. Dico igitur, quod dictum b. Tho. contra quod Iand. arguit, intelligendum est quo ad fundamentum, & non quo ad sumum formale. Nam illud quod est vnum cui attribuitur ratio mensuræ, est res de genere quantitatis, similiter illud quod est multa, cui attribuitur ratio mensurati, est res de genere quantitatis, cum quo tamen stat quod in respectu mensuræ & mensurati sunt in genere relationis. Sicut pater & filius, quantum ad id quod sunt, sunt in genere substantiæ. In respectu autem paternitatis & filiationis sunt in genere secundo relatiuorum. Hæc de presenti quaesito dicta sunt.

Questio 16. si omnia media sunt eiusdem generis cum extremis.

Omnia namque media in eodem genere sunt cum extremis. Tex. 22.

IN hac quæstione procedes. Primo ponetur distinctio de medio secundum conclusiones responsive. Tercio soluetur quedam dubia. Quantum ad primum aduerte, quod medium inter aliqua extrema, potest esse multipliciter. Primo pure negative, ut inter habitum & priuationem datur negatio, ut inter viuum & mortuum datur non viuum. Secundo priuatiue, licet hoc sit difficile inuenire. Tercio entitatiue, ut inter ens actu, & nullo modo ens, datur ens in potentia, ut materia prima. Quarto moraliter, ut inter timores & audacias datur fortitudo. Quinto formaliter sine secundum formam, ut inter album & nigrum datur palidum, inter calidum & frigidum datur tepidum. Et hoc est propriissime medium, quia continet in se naturam extremorum participa-

QVAESTIO XVI.

295

tiue, vtrum autem virtualiter & formaliter, dicemus infra, & quoniam necesse est prius ad ipsum esse transmutatio quam ad extremum. Impossibile est enim frigidum calefieri, nisi prius fiat tepidum.

Quantum ad secundum, sic hæc prima conclusio. Medium 1. 2. modo, non est eiusdem generis cum extremis. Quod primo modo patet, quia negatio est purum non ens, habitus est ens, priuatio licet quo ad formale sit non ens, tamen ratione connotati, quod est subiectum potest dici aliquo modo ens, constat autem quod purum non ens, non est in eodem genere, cum ente, & aliquo modo ente. Nullo enim modo participat altero, nec utroque extremo. Quod 2. modo patet, quoniam si priuatio esset medium inter duo extrema positiua, cum sit formaliter non ens se haberet ad extrema sicut non ens ad ens. Constat autem, quod ens & non ens non sunt eiusdem generis. Quod 3. modo patet, quoniam si ens in potentia ut materia prima sit medium inter ens actu, & nullo modo ens, patet quod comparatum enti actu, non est in eodem genere cum eo, actus enim & potentia distinguuntur genere. Magis autem constat, quod ens in potentia & nullo modo ens, non sunt eiusdem generis.

Secunda conclusio. Medium 4. & 5. modo est in eodem genere cum extremis. Quod quarto modo patet, quoniam tam passionibus quam virtutibus circa tales passionibus sunt in predicamento qualitatibus, & secundum aliquos in primo genere. Quod autem 5. modo probatur. Illud ad quod prius peruenitur in permutatione, quæ est ab extremo ad extremum antequam perueniatur ad alterum extremum, est in eodem genere cum extremis, hæc patet, quoniam inquit philosophus in hoc 10. in tex. 22. permurari non est ab vno genere in aliud genus, nisi per accidens, ut à colore ad figuram. Sed constat, quod quando quid permuratur ab vna forma ad aliam, inter quas est medium 5. modo, prius & per se, & de necessitate peruenit ad medium quam ad extremum, ut quod debet calefieri, prius tepidatur, & quod dealbatur, prius subalbatur, ergo &c.

Et aduerte quod licet ad maiorem doctrinam posuerimus de medio distinctionem quintimembre, tamen intentio philosophi fuit in hoc 10. loqui de medio solum 5. modo, quod vere & simpliciter est medium.

Quantum ad tertium aduerte dubium, quod insurgit contra secundum modum primæ conclusionis. Dictum est enim

DECIMI METAPHY.

quod medium priuatiue, non est in eodem genere cum extremis. Contra, secundum philosophum in 10. tex. 19. æquale est medium inter magnum & paruum, sumendo magnum cum excessu, & paruum cum defectu, prout idem sunt quod maius & minus, & in eodem tex. determinat philosophus, quod opponitur eis priuatiue, æquale est enim quod non est maius nec minus, & tamen aptum natum est esse, ergo æquale est medium priuatiue, & tamen est in eodẽ genere scilicet quantitatis cum magno & paruo, ergo falsum est, quod medium priuatiue non sit in eodem genere cum extremis.

Ad hoc dicitur, quod secundus modus primæ conclusionis debet intelligi de medio, quæ sit mera priuatio, vt cecitas. Nō autem de medio, quod est quid positivum reale, includens tamen negationem extremis. Aliter cum medijs colores possint dici hoc modo priuatiua media respectu extremorum, non essent in eodem genere cum extremis. Ad argumentum ergo, concedo quod æquale est medium priuatiue secundo modo, sed non primo modo, de quo solo intelligi debet secundus modus primæ conclusionis.

Alia dubia non insurgunt, quæ sint alicuius difficultatis, quæ non possint solui, per probationes primæ conclusionis, ideo nolo immorari. Hæc de præsentis quæstio dicta sunt.

Quæstio 17. si media contrariorum componuntur ex extremis virtualiter vel formaliter.

Si vero sunt in eodem genere media vt ostensum est, & media contrariorum, necesse est componi ex extremis contrariis. Tex. 23.

IN hac q. aduerte, quod pendet ex q. 13. huius 10. de gradibus, quibus se compatiuntur contraria in eodem & quoniam vt dixi in eadem quæstione, vtraque pars sustentabilis est, licet sustinerem partem affirmatiuam propter Cap. si tamen elegeris sustinere partem negatiuam, quam sustinet Greg. & Paulus Sonei pro præsentis quæstio, negabis cõpositionem realem & formalem mediorum ex extremis, & tenebis solam cõpositionem virtualem, & quoniam philosophus in tex. 23. & Commēt. & b. Tho. videntur absolute tenere, quod media cõponantur ex extremis, dices sicut Ant. And. in 10. q. 5. quod philosophus accipit cõpositionem pro conuenientia, eo quod medium comparatum vni extremo retinet virtualiter naturam illius extremi, & magis

QVAESTIO XVII.

296

conuenit cum eo, quàm cum altero extremo, sicut tepidum magis sapit naturam frigidum, quàm naturam calidum. Eodem modo exponit Paul. Sonei omnia dicta Cõment. & philosophi, vt patet in lib. 10. q. 21. respondens ad secundum. Greg. autem in 1. dist. 17. q. 3. art. 2. post responsum ad x. dicit, quod philosophus & Cõmentent. loquuntur de cõpositione mediorum secundum apparentiam & non secundum veritatem, & aduerte quod totum fundamentum eorum est, quoniam timent, si concedunt extrema cõtraria actu & formaliter in gradibus quibuscunque in medio, quod fuit contra philosophum in 4. metaphysic. text. 27. & ex consequenti. quod sint coacti concedere contradictoria verificari de eodem. Sed ad id iam responsum est in q. 13. huius ad primum Paul. de mente Cap. Item timent, ne concedant duas species constituere tertiam, & quod media contrariorum sint cõposita ex duobus entibus in actu. Sed ad hoc respondendum infra.

Et quoniam in quæstio. 13. tenui partem affirmatiuam cum Cap. intendo & nunc decidere præsentis quæstionem pro parte affirmatiua, & sic procedam. Primo ponetur conclusio affirmatiua, & probabitur. Secundo solutam rationes Paul. & Ant. And. qui tenent partem negatiuam. Tertio mouebo dubium contra conclusionem in se, & soluam.

Quantum ad primum, sic hæc conclusio responsiua. Media contrariorum vt tepidum, & calidum componuntur non solè virtualiter, sed etiam formaliter ex extremis, ita quod extrema sunt actu & formaliter in medio, non quidem secundum excellentias suas, sed vt remittuntur, secunda pars huius conclusionis iam patet per determinationem quæstio. 13. huius libri, vbi determinauimus, quod contraria secundum gradus intensos non se compatiuntur, aliter inenitabiliter contradictoria verificarentur de eodem.

Prima autem pars sic probatur. Quod comparatur ad duo extrema, & respectu vnius est vt magis, respectu alterius est vt minus, componitur realiter & formaliter ex illis, nam magis & minus inesse, supponit inesse, sed medium ita se habet, quod comparatum vni extremo, se habet vt magis, & respectu alterius vt minus, tepidum enim est magis frigidum & minus calidum, ergo &c. Præterea. In quolibet genere prima & simplicia sunt cõpositiua aliorum eiusdem generis, quæ cõparantur ad illa, vt cõposita & posteriora. Sed extrema ad media, se habent vt simplicia & priora, ad cõposita & po-

DECIMI METAPHY.

steriora, vt patet de tepido comparato calido & frigido, ergo, & cetera.

Quantum ad secundum aduerte, quod Paulus Sonc. in 10. q. 21. conatur defendere partem negatiuam dictis Commentatoris & b. Tho. deinde rationibus.

Allegat tria dicta Commen. primo dicit in 4. metaph. commento. 27. Duo contraria habentia medium sunt in medio in potentia, sicut albedo & nigredo inueniuntur in calore, sed nō in actu, & in 10. metaphy. coment. 7. inquit. Non debet aliquis dicere, quod colores componantur ex duobus, scilicet albo & nigro, & in comen. 23. in composito inuenitur ex altero contrariorum magis, & ex altero minus, non simpliciter sed aliquo modo, id est, in potentia.

Ad hæc responderetur simul, quod Comment. intendit per potentiam, non potentiam puram, sed potentiam admixtam & cui imperfecto, & prout omnis forma existens sub gradu imperfecto, est velut potentia comparata formæ in gradu perfectiori, & quod hæc fuerit mens sua, patet in 1. physic. in comen. 56. vbi formaliter sic dicit. Medium est extremum vtrunque non pura potentia, sed aliqua potentia, in medio enim est vtrunque extremum in actu, sed tamen non in vltima perfectione. Est igitur in potentia vtrunque extremum quodam modo, & in actu alio modo, hæc Comen. ex quibus patet, quod declarat se, quomodo sumat potentiam, quando dicit, sed aliquo modo, id est, in potentia, & quando dicit in 4. metaphysic. sed non in actu, id est, non in vltima perfectione.

Allegat dictum b. Tho. in 3. sent. quod iam declarauimus in 9. 13. huius libri.

Prima ratio Pauli est hæc. Tertia species non potest constitui ex duabus naturis specie distinctis, vnde philosophus in 5. metaphy. dicit, quod quinque non sunt duo & tria, quia tres & duo sunt numeri specie distincti, sed medius color, & extremi colores communiter tenentur specie distincti, ergo &c. Et aduerte, quod hæc ratio fuit etiam præcipua apud Greg. cuius opinionem adduximus in 9. 13. huius libri.

Ad hoc responderetur, quod maior non est vera, nisi de speciebus quarum esse stat in indiuisibili, sicut sunt species numeri, & species figurarum, & species substantiæ perfectæ. Potest etiam dici (sicut dictum est supra) de vno constituyente multitudinem quod sumptum cum præcisione non constituit eam, sed opponitur

QVAESTIO XVII.

297

nitur disparate, sicut species distincta, sumptum autem sine præcisione, non habet rationem speciei, sed rationem materiæ & vt sic non opponitur multitudini, sed etiam confluit. Sic in proposito, extrema contraria sumpta cum præcisione sunt species distinctæ contra mediū, & oppositæ disparate, & vt sic non componunt medium, sempta autem sine præcisione, sunt vt materia ex qua componitur medium, & non vt species distinctæ, & huic responsioni adhæreo, ex qua patet, quod argumentum non concludit.

Secunda ratio Pauli est hæc. Formæ oppositæ in quantum sunt oppositæ, non possunt simul concurrere in eadem natura, quia de ratione oppositorum in quantum sunt opposita est, qd simul stare non possunt. Sed formæ contrariæ sunt etiam contrariæ in gradibus remissis, cuius ratio est, quia philosophus in 10. metaph. text. 13. & 14. dicit, quod contrarietas est oppositio secundum formam, natura autem albedinis & nigredinis saluatur in gradibus remissis, ergo vt sic sunt contrariæ, ex consequenti non se comparantur in medio.

Hanc rationem iam soluimus in 9. 13. huius, vbi de mente Capr. diximus, quod repugnantia simultatis existendi in eodē non consequitur contraria præcise ex natura sua, sed ex natura sua pro tanto gradu, pro quo denominant & actuant subiectū, puta vltra mediū latitudinis. Ad arg. ergo, nego maiorem. Ad probationem, nego similiter, quod sit de ratione oppositorum præcise in quantum opposita, quod non possint stare simul, nisi adiungatur pro tanto vel tanto gradu, &c.

Tertia ratio Pauli, Philosophus dicit in 4. de celo, quod aer est grauis & leuis, aut ergo intelligit, quod in aere sint due qualitates distinctæ in actu perfecto, quæ sunt contrariæ, scilicet grauitas & leuitas, & hoc non, quia formæ contrariæ & maxime in actu perfecto non se comparantur in eodem, aut quod est tantum vna qualitas composita ex grauitate & leuitate, & hoc non, quia in elementis non sunt qualitates compositæ, sed tantū qualitates primæ. Aut est vna continens virtualiter vtraque, & sic habetur propositum.

Ad hoc dicitur, quod qualitas illa est vna, sed non est proprie media, quia non componitur intrinsece ex leuitate & grauitate, sicut componitur tepidum ex calido & frigido. Potest autē dici media extrinsece, id est comparative, quoniam per comparisonem ad aquam est principium ascensus, & per compa-

DECIMI METAPHY.

rationem ad ignem est principium descensus. Ad argu. ergo di-
co, q. philoso. intelligit aerem esse grauem & leuem, non per
duas qualitates, non per vnam compositam formaliter, nec vir-
tualiter, sed per vnam simplicem, que respectu diuersorum est
principium contrariorum motuum, ideo per eam respectiue
& non intrinsece dicitur aer grauis & leuis. Paulus autem de-
cipitur in hoc, quod extimat illam qualitatem esse vere media,
sicut est medius color.

Quarta ratio Paoli Comen. dicit in 1. phys. comen. 56. quod
colores extremi sunt in colore medio, non in actu puro, nec in
potentia pura, sed medio modo inter potentiam & actum. Sed
albedo remissa est actu albedo, similiter nigredo remissa, ali-
ter nullum corpus esset actu album vel nigrum, nisi esset albe-
do vel nigredo in summo, quod est manifeste falsum, ergo al-
bedo remissa similiter nigredo non est actu in medio colore,
sed tantum virtualiter.

Ad hoc dicitur, quod non adducit dictum Commen. vt stat.
nam Commenta. in illo loco expresse dicit, quod in medio est
vtrunque extremum in actu, sed tamen non in vltima perfe-
ctione, ex quibus verbis constat, quod intendit extrema esse
in medio, in actu tamen remisso, nam idem est extremum esse
intense, & esse in actu remisso.

Ant. And. in 10. metaph. q. 5. tenet, q. forme medie non sunt
vere compositae ex extremis, ita q. extrema non concurrunt par-
tialiter ad compositionem eius, & arguit sic. Omne compositum
compositione partiali, vel est quantitas vel habens quantitatem
sed forme medie non sunt huiusmodi, quia quantitati nihil est
contrarium, ergo forme medie non componuntur quacumque
compositione partiali.

Ad hoc dicitur, quod maior non habet veritatem, nisi quan-
do componentia partialia sunt quantitates, vel per se quanta, co-
stat autem, q. qualitates extremae contrariae non sunt quanta
nec per se quanta, vnde illa compositio magis debet dici ef-
fentialis, quam quantitativa, quoniam extremum componens
praedominans, se habet ad extremum aliud, vt actus ad poten-
tiam, puta in tepido frigidum est vt actus, & calidum, vt poten-
tia. Cuius signum est, quod si debet denominari tepidum a ca-
lido vel a frigido, dicitur frigidum, ergo frigidum est vt for-
ma respectu calidi.

QVAESTIO XVIII.

298

Quantum ad tertium aduerte, q. si media componitur for-
maliter ex extremis, difficile erit seruare quomodo haec quali-
tas media sit vnum per se. Nam omne compositum per se vnum
est ex partibus, quarum vtraque est in potentia, vt linea bicubi-
ta ex duabus medietatibus, vel vna est in potentia altera est a-
ctus, vt materia prima & forma substantialis, non potest autem
vtraque esse actu, ex 7. metaphys. text. 49. Sed secundum deter-
minationem factam, duo extrema non sunt in medio solum
in potentia, nec vnum in potentia, alterum in actu, quoniam
cum vtrunque sit in medio in gradu remisso, non est maior ra-
tio de vno, quam de alio, ergo vtrunque est actu, sed ex duo-
bus entibus in actu non sit vnum per se, ex septimo, meta-
phys. text. 49. ex consequenti medium non erit vnum per se,
sed per accidens.

Ad hoc dicitur quod vnum extremum est vt potentia, alte-
rum vt actus, nam illud quod seruatur in medio cum pluribus
gradibus, habet rationem actus, reliquum autem quod est sub
minori gradu, habet rationem potentiae. Et dato casu, quod ef-
fer imperfectius secundum naturam suam, puta frigidum re-
spectu calidi, tamen in quantum magis inexistit, vt sic reputa-
tur perfectius, ex consequenti vt actus. Ad argu. ergo nego
quin vnum sit in potentia alterum in actu. Ad probationem di-
co, quod est maior ratio de vno quod sit actus, quia est cum plu-
ribus gradibus, & de alio quod sit potentia, quia est in minori
gradu. Et aduerte, quod hoc consonat Commen. in 10. metaph.
comm. 23 vbi inquit. Impossibile est quod in composito ex con-
trariis sint duae partes aequales, sed altera debet esse dominans,
cui attribuitur forma, haec Commen. ex quibus sequitur, quod
si contrario denominanti attribuitur forma, alteri denomina-
to attribuitur materia & potentia. Haec de praesenti quaesito
dicta sint. Quod tamen reputo problema neutrum, sicut & q.
11. huius 10. sed volui sustinere partem affirmatiuam in fau-
rem Cap. Tu vero exerce ingenium vt placuerit, nam & ego
aliquando declinaui ac partem negatiuam, vt patet in epiro-
mate in 2. de generatione, in tract. 2. in cap. 3.

Quaestio 18. Si inter species cuiuscumque generis
est vera contrarietas, praecipue in praedi-
camento substantiae, similiter
inter differentias.

DECIMI METAPHY.

Dico enim differentiam generis diuersitatem, quæ diuersum facit hoc ipsum. Contrarietas igitur erit hæc. Text. 24.

In hac quaestione sic procedes. Primo ponetur distinctio de contrarietate. Secundo duæ conclusiones responsiue. Tertio soluetur quoddam dubium.

Quantum ad primum aduerte, quod iuxta doctrinã b. Tho. in 5. phys. super tex. 10. contrarietas est duplex, quedam imperfecta, & est inter quæ seruatur communis radix contrarietatis. Hæc autem radix dicitur excellentia & defectus. nam quæcumque contraria ita se habent quod unum est perfectius altero, quod autem est perfectius excellentius est, alterum autem deficientius. Quedam autem perfecta, & hæc ultra communem radicem contrarietatis requirit duas conditiones. Primo, quod sint duæ formæ maxime distantes sub eodẽ genere, inter quas cadunt omnia quæ sunt illius generis. Secundo quod sint acquiribiles per motum a præ in esse successiue eidem subiecto existenti in actu. Aliqui addunt, quod sint actiue & passiuæ adiuicem, ita quod se mutuo expellant, sed hæc cõditio non verificatur simpliciter, nisi in 4. primis qualitatib. quæ dicuntur actiue & passiuæ, vt declarauimus in epitomate nostro, super libros de generatione & corruptione.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, species & differentia generis substantiæ non opponuntur nisi contrariæ, & probatur, primo quod opponantur, quoniam sunt diuisione generis, omnis autem diuisio est per opposita, hæc est enim prima conditio primæ diuisionis. Quod autem opponantur contrariæ, sic probatur ad mentem philosophi. Nõ opponuntur cõtradictoriæ, quoniã alterũ contradictoriõũ verificatur, tã de ente, quã de non ente. Non ens autem nullius est differentia, nec species, nec genus, nec pars priuatiue, quoniam priuatio cum sit negatio, est formaliter non ens, differentia autẽ & species generis substantiæ & cuiuscunque alterius generis non sunt non ens, nec relatiuæ, quoniam sunt multa genera absoluta tam animata quã inanimata, tam simplicia vt elementa, quã elementata, quæ non diuiduntur per relatiua, ergo a sufficienti diuisione opponuntur contrariæ.

Secunda conclusio. Licet opponantur contrariæ, non tamen contrarietate perfecta, sed in perfecta, quod imperfecta patet,

QVAESTIO XVIII.

quoniam communis radix contrarietatis seruatur in eis, nam quæcumque duæ differentia diuisiue vnius generis & duæ species, præcipue in prædicamento substantiæ, se habent vt excellens & deficient, sicut patet de corporea & incorporea, animata inanimata, sentiuiua non sentiuiua, rationalis non rationalis. Quod autem non perfecta, patet ex defectu conditionum, quas assignauimus in contrarietate perfecta, nam posito quod in prædicamento substantiæ essent assignabiles duæ species maxime distantes, puta suprema intelligentia producta & elementum terræ, inter quas gradualiter continentur naturæ rerum intermediæ, tamen non sunt acquiribiles per motum, nec intensibiles & remissibiles, vt determinatum est in 8. lib. ergo &c.

Præterea differentia & formæ substantiales non habent pro subiecto ens actu, sed materiam primam, quoniam cum producantur generatione substantiali, vt determinatum est in 5. Physic. eius subiectum est tantum ens in potentia, aliter generatio esset motus, quod negat philosophus in 5. physic. text. 8. Patet ergo, quod inter differentias & species generis substantiæ non non datur perfecta contrarietas. Et aduerte quod eandem conclusionem tenet Anto. Andr. in 10. metaphy. quaestione penult. vbi determinat, quod inter formas substantiales non est contrarietas strictè, sed largo modo accepta.

Quantum ad tertium aduerte, quod Aristo. in diuersis locis videtur sibi contrarius, in hoc proposito, nam in prædicamento manifeste ponit, quod substantiæ nihil est contrarium, & in 5. physic. tex. 10. dicit. Secundum substantiam, nullus est motus propter nullum entium substantiæ esse contrarium. In 1. autem phys. tex. 56. dicit, quod in genere substantiæ datur vna prima contrarietas, ad quam omnes alia reducuntur. Et in 2. de generatione tex. 49. dicit, quod aer & ignis contraria sunt aquæ & terræ. Terra quidem aeri, igni vero aqua contraria est. Et in hoc 10. in text. 24. probat, differentiam secundum speciem esse differentiam contrarietatis. Quapropter videtur philosophus in hoc semper fuisse dubius, & modo tenuisse partem negatiuam modo partem affirmatiuam.

Ad hoc dubium secundum viã Commen. quæ habes, expressam in 1. physic. commen. 72. & confirmatam per Alex. dicendum est, quod philosophus negat contrarietatem in substantia secundum subiectum siue materiã, nõ autẽ secundum formã, nõ accidẽtia cũ sint

DECIMI METAPHY.

entia simplicia, si contrariantur, secundum totam suam entitatem contrariantur, substantiæ autem sensibiles & præcipue corruptiles, cum non sint entia simplicia, componuntur enim ex materia & forma, non contrariantur secundum totam suam entitatem, sed solum secundum formam, nam materia cum sit receptiva contrariorum, nulli contrariatur, secundum igitur Comment. philosophus negans in prædicamentis & in 1. phys. contrarietatem in substantia, non negavit absolute, aliter sibi contradiceret in locis aliis allegatis, sed negavit, quod sit talis, qualis inuenitur in accidentibus, scilicet secundum totum, & non tantum secundum formam. Item dicit Comment. in 1. phys. comment. 52. quod quando philosophus negat contrarietatem à substantia, intendit solum de substantiis compositis, non autem de elementis, aliter sibi contradiceret in 2. de generatione text. 49. Et id pro tanto tenet, quia extimat formas elementorum esse intensibiles & remissibiles, ex consequenti contrarias & actiuas ac passiuas adinuicem. Sed ut Thomista non sequeris hanc viam, quam reprobauimus, in lib. 8. pertractantes si plures forme substantiales se compatiuntur in eodem.

Igitur secundum viam b. Tho. respondendum est, philosophum non esse sibi contrarium, quoniam ubi negat contrarietatem in substantia, intendit secundum sensum secundæ conclusionis, ubi autem concedit, intendit secundum primam conclusionem, & secundum primam partem secundæ conclusionis. Cuius signum est, quod in 2. de generatione text. 49. postquam dixerat igni vero aqua contraria est, statim subiungit, ut contingit substantiam substantiæ contrariæ esse. q. d. licet substantia non contrarietur substantiæ, ut substantia, tamē potest contrariari ratione qualitarum contrariarum, & hoc modo contrariantur elementa adinuicē. Hæc de præsentibus quæstio dicta sunt.

Quæstio 19. Si genus & species generis sunt eadem aut diuersa genere, vel eadem aut diuersa specie.

Quare palam quia ad id quod vocatur genus, nec idem nec diuersum specie. Text. 24.

IN hac q. sic procedendum est. Primo ponentur duæ conclusiones responsivæ cum probationibus suis. Secundo soluentur duo dubia.

Quantum ad primum sit hæc prima conclusio. Genus comparatum sitæ speciei, ut animal homini, non est idem specie nec

QUÆSTIO XIX.

360

diuersam specie ab homine, probatur, quod non est idem, ea sunt idem specie quæ conueniunt in vna differentia constitutiva, sicut Plato & Sortes sunt idem specie, quia conueniunt in rationali, ut constitutiuo hominis. Sed genus & species non conueniunt in aliqua vna differentia constitutiva vtriusque, aliter genus esset species, nec genus esset magis commune quàm species. Probatur autem quod non sunt diuersa specie. Quæ sunt diuersa specie habent oppositas differentias quibus constituuntur, sed differentia à qua constituitur genus, puta sensitiuus, & qua constituitur species, non opponuntur, nam rationales identice est sensitiuus, sicut & homo est animal. Præterea, quæ distinguuntur specie vnum non prædicatur de altero, cum habeant oppositionem disparatam adinuicem. Constat autem, quod genus prædicatur de specie, ergo non sunt diuersa specie.

Secunda conclusio. Genus comparatum speciei non est idem genere cum specie, nec diuersum genere à specie. Quod non sit idem, patet, ea sunt idem genere, quæ sunt duæ species conuenientes in genere, ut homo & leo in animali. Sed genus & species sua non sunt duæ species, quoniam genus ut genus non est species, ergo &c. Quod non sit diuersum genere, patet, quoniam quæ sunt diuersa genere, ita se habent, quod vtrumque est genus, sicut de animato & inanimato, ut planta & lapide. Constat autem, quod species ut species non est genus, ergo &c. Et aduerte, quod intentio philosophi est loqui de specie specialissima, comparata suo generi, sumendo genus in suo proprio significato, prout est vnum ex quinque vniuersalibus.

Quantum ad secundum aduerte duo dubia, quæ insurgunt contra determinationem factam. Primum probat, quod genus & species sunt idem specie sic. Quæ dicunt eandem essentiam & eandem formam sunt idem specie. Sed genus & species dicunt eandem essentiam & formam, ut determinatum est in libro octavo in quæstione quarta, ubi determinauimus, quod non multiplicantur forme in eodem secundum prædicata quidditatiua, ergo sunt idem specie.

Pro solutione huius aduerte, quod sand. in 10. lib. in q. 20. concedit, quod si genus & species dicunt eandem essentiam & formam inueniuntur sequitur, quod sint idem specie. Nescit autem aliter soluere argumentum, nisi negando minorem, quoniam tenet genus dicere formam generalem, & speciem formam specificam, ut distinctas realiter. Sed id iam reprobauimus.

mus in 2. lib. & in 8. Respondendo ergo secundum viam nostrā quæ tenet unitatem formæ in composito, negatur maior. Nam quod aliqua sint idem specie, non sufficit identitas essentia & formæ, sed q̄ conueniant in vna differētia formaliter. Quamuis autem forma, diue natura generis & speciei sit vna realiter, ab ea tamen possunt sumi distinctæ differentia, quarum vna sit generica, prout dat esse genericum, alia sit specifica, prout dat esse specificum. Sicut ab anima intellectiua, vt dat esse sensitiuum, sumitur differētia generica, & genus quod est animal, & prout dat esse intellectiuum, sumitur differentia specifica, vt rationale, & species vt homo, & sic patet, quod inter genus & speciem sufficit distinctio rationis ex parte rei, vel ex natura rei, vt placet Scoti.

Secundum dubium insurgit directe contra determinationē factam & arguitur sic. Dicit philosophus in hoc x. in text. 11. & 12. quod omne ens comparatum alteri enti, est idem vel diuersum ab eo, ergo genus comparatum suæ speciei, vel est idem vel diuersum ab ea.

Ad hoc dico, quod aliud est dicere, Genus est idem vel diuersum à sua specie, & dicere, genus est idem vel diuersum specie à sua specie. Nam in ratione entitatis suæ, concedo quod sunt idem, quoniam dicunt eandem naturam distinctam solum ratione ex parte rei. In ratione autem generis aut speciei, dico quod non sunt idē nec diuersa specie ea enim sunt idem specie in ratione formali ipsius speciei, quæ conueniunt in vna differētia formali specifica, & differunt solum numero, vt duo indiuidua, similiter ea sunt diuersa specie formaliter, quæ distinguuntur differentiis specificis formalibus oppositis, quarū vna non predicatur de alia. Modo ex determinatione facta, constat quod istæ conditiones non seruantur inter genus & speciem. Ad argumētum ergo dico, q̄ sensus philosophi est iste. Omne ens comparatum alteri enti est idem vel diuersum, est verum quo ad entitatem suam. Non tamen est verum, quo ad intentiones secundas, vt est genus & species. Vnde hæc consequentia nō valet. Genus comparatum speciei, quo ad entitatem suam est idem vel diuersum ab ea, ergo comparatum quo ad intentionem generis vel speciei, est idem vel diuersum specie ab ea. Hæc de præsentī quæstio dicta sunt.

Quæstio xx. Si omnis contrarietas facit diuersitatem in specie.

Dubitabit utique aliquis, quare femina à viro non specie differt. Text. xxv.

In hac q̄ sic procedendum est. Primo ponentur distinctiones de contrarietate. Secundo conclusiones responsiua. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio. Contrarietas est duplex, quædam ex forma, quædam ex materia, nō quidem ex materia vt materia, quoniam materia præcise considerata est indifferens ad omnes formas, sed ex diuersa dispositione materiarum, propter quam respicit contrarias condiciones indiuiduorum, vt masculinum & femininum, sicut declarabimus infra.

Secundas distinctio. Contrarietas ex forma est duplex, quædam est ex formis substantialibus disparatis, sicut cōtrarietas inter ignem & aquam, de qua diximus in q. 18. huius lib. quod licet non sit perfecta, est tamen contrarietas, & illic est assignata causa. Quædam est ex formis accidentalibus, sicut Socrates albus, & Plato niger sunt contrarij, ex qualitatibus contrariis.

Tertia distinctio. Contrarietas ex formis accidentalibus ad duo potest comparari. Primo ad ipsas formas accidentales, vt sunt diuisiua sui generis, puta comparando albedinem & nigredinem ad colorem, masculinum & femininum ad sexum quæ diuidunt. Secundo ad subiecta quibus insunt, vt albedo ad Socratem, nigredo ad Platonem, similiter masculinum & femininum ad animalia quibus insunt.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio responsiua. Contrarietas sumpta ex formis substantialibus demonstrat distinctionem & diuersitatem in specie inter illas formas, & inter ea quibus tales formæ insunt, probatur. Tales formæ substantiales inter quas est contrarietas saltem imperfecta, vt declarauimus in q. 18. huius lib. puta forma equi & forma leonis dicunt ex natura sua distinctas quidditates, & ab eis sumuntur distinctæ differentie specificæ, ergo differunt specie, & ea quibus insunt, antecedens patet, & consequentia probatur, quia distincte quidditates faciunt distinctionem in specie, propter distinctas differentias sumptas ab eis & constitutiuas distinctarum specierum. Si igitur tales formæ, & ea quibus insunt differunt specie, ergo contrarietas inter eas demonstrat diuersitatem specificam.

DECIMI METAPHY.

Secunda conclusio. Contrarietas sumpta ex diuersa dispositione materiae & ex formis accidentalibus, non facit differre specie ea quibus insunt. Secunda pars manifesta est: nullus enim dicit, quod albedo quae inest Sorti, & nigredo quae inest Platoni faciunt differre specie Sortem & Platonem, & ratio apud Porphyrium est, quia istae sunt differentiae accidentales, quae faciunt tantum alterum, & non aliud. Prima pars vero sic probatur, si contrarietas sumpta ex diuersa dispositione materiae, facit differre specie, ergo idem agens specificum producit distincta specie, quod est impossibile, quoniam nullum agens vniuersum de quo hic intendimus, agit ultra speciem suam, alioquin potentia naturalis non esset determinata ad vnam cum per te possit in opposita, distincta specie, consequentia probatur, quoniam videmus idem sperma & menstruum specificum fieri, modo masculinum modo femininum, secundum quod diuersimode agit in ipsum calor & virtus formatiua, nam si calor fortis est ad expellendum dispositiones, quae sunt pro femina, producit masculinum, si autem sit debilis, adeo quod virtus formatiua non sufficit pro masculino, sic femina. Constat ergo, quod idem agens specificum producit femininam & masculinam. Si igitur masculus & femina quae sunt contrariae ex diuersa dispositione materiae differunt specie, idem agens specificum producit diuersa specie.

Tertia conclusio, licet formae accidentales contrariae non faciant distinctionem specificam inter ea, quibus insunt, ut declaratum est in conclusione precedenti, tamen ad se invicem comparatae, & ad genus, quod diuidunt, differunt specie. Haec conclusio clara est, sumptis duabus formis accidentalibus, quae contingenter insunt duobus indiuiduis eiusdem speciei, v. g. sit albedo in Sorte, & nigredo in Platone, probatur, quod albedo & nigredo ad se invicem comparatae, & quantum diuidunt colorem differunt specie, nam maxime distant sub colore, & constituuntur differentiis formalibus, scilicet generis coloris, scilicet congregatio & segregatio, quae & si non sint differentiae essentiales, sumuntur tamen loco differentiarum, ergo &c. Et aduerte, quod haec est mens philosophi in libr. x. in text. 23. ubi inquit, differentiae priores contrariae erunt facientes species contrarias, ut generis, ex genere enim & differentiis species, ut si album & nigrum contrariae est autem hic quidem segregatiuus, ille vero congregatiuus color. Haec philosophus,

QVAESTIO XXI.

302

ubi Comment. expresse ponit album & nigrum species contrarias constitutas ex genere & differentiis contrariis, ergo sunt distinctae species.

Quantum ad tertium aduerte, quod aliqui fundantes se super quaedam verba Comen. in x. lib. in comment. 23. tenent, quod extrema contraria ut album & nigrum adiuuicem comparata non differunt specie, sed secundum magis & minus, aut secundum intensum & remissum, puta quod nigredo est remississima albedo, verba autem Comment. sunt haec. Transmutatio ergo de contrario erit ad illud, quod est medium, antequam veniat ad secundum contrariam, & si essent alterius naturae, tunc transmutatio de contraria in contrarium mediantibus illis esset per accidens, haec Comment. ex quibus patet, quod secundum ipsum, & extrema contraria & media sunt vnius naturae, si vnius naturae, ergo non differunt specie.

Sed non nihil concludit, quoniam ad hoc quod inter aliqua sit motus per se, sufficit vnitatis naturae genericae, in diuersis autem genere, non est motus, nisi per accidens, vnde inquit philosophus in x. text. 22. permutari vero ex alio genere in aliud genus, non est nisi secundum accidens, ut ex colore in figuram. Necesse est ergo media & quorum sunt media in eodem genere esse. Dico ergo, quod Commentator intendit extrema & media esse vnius naturae genericae, aliter non concordaret cum philosopho. Cum vnitatis autem genericae sit diuersitas specifica. Haec de praesenti quaesito dicta sunt.

Quaestio 21. Si corruptibile & incorruptibile differunt genere.

Necesse esse diuersum genere corruptibile & incorruptibile. Text. 26.

In hac q. sunt duae opiniones, quae licet concordent, quod corruptibile & incorruptibile differunt genere discordant tamen de genere, quoniam vna opinio tenet, quod philosophus intendit de genere physico, & non logico, alia intendit de genere logico, & non physico, & quoniam b. Tho. & Anr. And. tenet primam. Iam autem secundam, ideo sic procedes. Primo declarandum est, quid sit conuenire aut differre genere physico, & genere logico. Secundo ponentur conclusiones responsive. Tertio soluentur rationes Iam tenentes sententiam contra b. Tho.

Quantum ad primum aduerte, quod apud physicum genus

DECIMI METAPHY.

sumitur pro materia suae subiecto receptiuo formarū naturalium, ita quod, quaecunque possunt adinvicem transmutari, conueniunt in genere physico, vt omnia elementa quae ex se inuicem generantur & corrumpuntur, ex 2. de generatione, & omnia elementata, quae ex illis constant & in illa resoluuntur.

Quaecunque autem non sunt transmutabilia adinvice, differunt genere physico, quia non habent materiam vnam communem. Apud logicum autem sumitur genus, iuxta doctrinam porphyrij, pro eo quod praedicatur de pluribus differentibus specie in quid, ita quod, ea conueniunt in genere logico, quae conueniunt in aliquo communi praedicabili de pluribus &c. vt in eo quod corpus, quod planta, quod lapis, quod animal. Quae autem non conueniunt in tali communi, distinguuntur genere vt albedo, & dulcedo. Et aduerte, quod quaecunque conueniunt in genere physico, conueniunt in aliquo genere logico. Reperibile est enim aliquod commune praedicatum de eis, vt differunt specie in quid. Pura omnia elementa & elementata conueniunt in hoc, quod corpus, quod compositum, quod corruptibile, quod mobile &c. Non tamen sequitur e conuerso. Nam stat, quod intelligentia & homo conueniant in substantia, & in hoc quod est esse intellectuale, & felicitabile, & tamen non conueniunt in genere physico, cum sit intelligentia immaterialis.

Quantum ad secundum sit haec prima conclusio. Corruptibile & incorruptibile differunt genere physico, probatur ex praenotatis sic. Non habent communem materiam, secundum quam possint adinvicem transmutari, ergo &c. consequentia patet ex declaratione facta de genere physico, & conuenientia in eodem. Antecedens autem probatur, corruptibilia habent materiam subiectam priuationi. Incorruptibilia vel non habent materiam, vt abstracta, vel non habent quae sit subiecta priuationi, sed est alterius rationis, vt determinauimus in lib. 2. qualia sunt corpora caelestia. Et aduerte, quod Egidius tenens materiam superiorum & inferiorum esse eiusdem naturae, non potest saluare, quia caelum sit corruptibile ex principio intrinseco, vt declarauimus in lib. 8. in q. 13. ex consequenti non potest subterfigere quin corruptibile & incorruptibile conueniant in genere physico & logico quod est contra philosophum.

Secunda conclusio. Corruptibile & incorruptibile non differunt genere logico, probatur. Conueniunt in aliquo communi praedicabili de eis inquit, ergo &c. consequentia nota ex supra

QVAESTIO XXII.

303

declaratis. Antecedens patet, quoniam substantio corpus, compositum, praedicantur de inferioribus & caelestibus naturis, & aduerte, quod hic intendimus de corruptibili & incorruptibili limitata natura, vt excludam primam causam, quae ex sua infinitate & perfectionali non concluditur genere.

Quantum ad tertium aduerte, quod Iandunus in 10. lib. in q. vltima, dicit philosophum intelligere, quod differunt genere logico, & id probat ex duobus. Primo, quia si philosophus intelligeret de genere naturali, ratio sua nihil concluderet contra Platonem. Nam Plato concederet, quod idea hominis & homo singularis differunt genere naturali, quia secundum Platonem per se homo non habet materiam, & homo singularis habet materiam. Vnde in hoc non debuit laborare philosophus ad probandum. Concesso autem à Platone, quod differant genere physico, non sequitur in via Platonis, quod differant specie nec plusquam specie. Diceret enim Plato, quod haec duo stant simul, idea hominis & hic homo differunt genere physico, & tamen sunt eiusdem speciei logice. Et ideo vt ratio philosophi concludat contra Platonem, sic est formanda. Corruptibile & incorruptibile differunt genere logico, ergo specie & plusquam specie logica, quoniam distinctio generica est plusquam specifica. Sed idea hominis secundum Plato est incorruptibilis, & hic homo corruptibilis, ergo differunt specie logica & plusquam specie, cuius oppositum dicebat Plato.

Ad hoc dicitur quod, Iandunus supponit falsum, scilicet Platonem concedere, quod idea hominis & hic homo differant genere naturali immo vult, quod sint eiusdem generis & eiusdem speciei naturalis, & hoc expresse dicit Comment. in 10. libro in comment. 26. vbi inquit, formae separatae ponuntur eadem cum singularibus in natura, ita quod nomen homo dicatur de separato & sensibili vninoce & non xquiuoce, & dixit hoc, quia iste sermo est ponentium formas, haec Comen. in quibus nota, quod dicit apud Platonem forma separata & singulare sunt eodem in natura, & non dicit eadem ratione vel diffinitione. Nam si in natura sunt eadem, sunt eiusdem generis & speciei naturalis, si autem intenderet de genere logico & specie, non dicere in natura, sed in ratione diffinitione, aut in modo praedicandi. Et contra hunc sensum Platonis procedit ratio philosophi, quae sic formanda est. Quae in vna natura omnino non conueniunt, distant genere sumpto à natura, quod est genus physicum. Sed

DECIMI METAPHY.

corruptibile & incorruptibile in vna natura omnino non conueniunt, ergo distant genere sumpto à natura. Cum ergo per se homo sit incorruptibilis, & hic homo corruptibilis, non solum fuit eiusdem speciei naturali, sed nec generis, cuius oppositum dicebat Plato.

Secundo dicit Iand. hanc esse mentem Comment. quoniam secundum ipsum, in genere non reponitur nisi substantia corruptibilis, vt patet in 2. cœli in comment. 59. & in 10. metaphy. comment. vlt. dicit, quod cum corruptibile & incorruptibile sint duæ differentie contrarie, illud quod congregat illa, est nomen æquiuocum, vnde corpus quod dicitur de illis, est æquiuocum.

Ad hoc dicitur, quod illa fuit mens mens Comment. negatur à vero Thomista, quoniam in via nostra omne ens reale per se finitum est in prædicamēto, & non eximitur nisi prima causa ex sua infinitate. Ad dictum autem eiusdem in 10. metaphy. respondetur, quod si accipit æquiuocum physicum conceditur, quoniam hoc confirmat propositum nostrum, quo tenemus corruptibile & incorruptibile distingui genere physico. Si autem accipit æquiuocum logicum, negatur dictum suum, quoniam est contra secundam conclusionem nostram. Hæc de præsentibus quaestio dicta sunt, & aduerte quod in dicta quaestione Iand. duntaxat pertractat de mente Comment. contra Auc. quod omnia corpora cœlestia sunt eiusdem speciei, verum quia b. Tho. in 2. cœli exponens tex. 49. est contra Cōment. & illic formauit quaestionem, ac determinauit contra Comment. ideo nolo hic illud propositum inuoluere, sed tu videbis in quaestionibus nostris in secundo cœli.

Quaestio 22. Si materia est principium distinctionis secundum genus.

In hac q. aduerte, quod si loquimur de distinctione secundum genus nō vniuersaliter, sed penes corruptibile & incorruptibile, constat quod materia est principium talis distinctionis, ex determinatione facta in q. precedenti, si autē volueris habere resolutionem vniuersalem de causa & principio distinctionis generice, sic procedendum est. Primo ponentur quædam distinctiones, de distinctione generice & de materia. Secundo ponentur conclusiones responsiuas.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio, Distinctio generica potest considerari dupliciter, primo in prædicamento

QVAESTIO XXII.

304

substantie, vt querere causam, quare homo & lapis, distinguuntur genere, secundo in prædicamento accidentiū, vt quare color & sapor distinguuntur genere.

Secunda distinctio generica, vel artēditur penes genera generalissima, vel penes genera subalterna & subordinata.

Tertia materia sumitur dupliciter, vel pro materia prima, vel pro quolibet potenciali. primo suseptino, quod habet modum materiz, sicut dicimus, quod humidum est materia saporis, & superficies materia coloris.

Quarta, materia prima dupliciter consideratur, primo secundum se & precise, secundo vt respicit formas secundū eundem vel diuersum modum actuandi ipsam materiam, & prout vna forma comparata alteri formæ sequenti se habet ad sequentem, sicut potentiale ad actuale, iuxta quem modum vegetatiuum comparatum sensitiuum, dicitur materia sensitiui, eo quod sensitiuum fundatur in vegetatiuum, & addit gradum perfectionis super vegetati.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Distinctio generica iuxta generalissimam, est formaliter & immediate à diuersis modis prædicandi de prima substantia. Hanc iam de terminauimus in 5. lib. in q. 16. vbi defendimus b. Tho. contra Ant. And. & Herueum, vide tu illic.

Secunda cōclusio, distinctio generica in prædicamēto substantie quantum ad generata subalterna, vt inter corporeū & vegetatiuum & sensitiuum, sumitur à materia considerata iuxta secundum modum quare distinctionis prepositæ, probatur sic, Talis distinctio vel sumitur à materia prima secundum se considerata, vel vt respicit ordinate diuersas formas, quarum præcedens comparatur ad sequentem, vt potentiale ad actuale, ita quod materia vt stat sub forma præcedēti habet rationem perfectibilis, vt autem stat sub forma subsequenti, habet rationem perfecti, non potest dici primo modo, quoniam cum materia precise sumpta sit eiusdem rationis in omnibus inferioribus, nō potest ab ea sumi, vt sit aliqua distinctio, ergo secundo modo, & ideo rationabiliter distinguitur genere elementa & elementata, prout materia primo respicit formam elementari, deinde formam elementari, & forma elementari longe imperfectior est, quam forma elementari. Idem considera de materia vt respicit formam corporeitatis, deinde formam animati, deinde formam sensitiui. Et hæc est doctrina beati Thomæ in 7.

DECIMI METAPHY.

metaph. super tex. 33. ubi declarans, quomodo genus sumitur à materia dicit. Animal est, quod habet naturam sensitivam, natura autem sensitiva est, ut materia respectu naturæ sequentis.

Tertia conclusio. Distinctio generica generum subaltero- rum in prædicamentis accidentium nõ sumitur à materia prima. Sed à primo susceptivo, probatur prima pars, quia acciden- tia non componuntur intrinsece ex materia, nec inhaerent im- mediate materiæ primæ, ut determinatum est in lib. 8. ubi do- cuimus, nullam formam accidentalem prius actuare materiã, quàm formam substantialem, ergo à materia prima non reci- piunt distinctionem, secunda pars sic probatur. Accidentia ha- bent esse à subiecto, ergo & distinctionem. Idem enim est prin- cipium essendi & distinguendi, si habent esse à subiecto, ergo maxime à primo, ergo & primam distinctionem. Sed prima distinctio est generica, ergo distinguuntur genere per primum subiectum, quod est primum susceptivum. Hac de causa distin- guitur genere sapor à colore, quoniam primum susceptivum coloris est superficies, saporis autem est humor, sine humidum, ut declaravimus in libro de sensu & sensato.

Quarta conclusio. Distinctio generica inter corruptibile & incorruptibile sumitur à materia prima propter diversum modum actuandi, quo actuatur à forma rei corruptibilis, & à forma rei incorruptibilis, nam quia res incorruptibilis corporea de qua nunc proprie intendimus, ut cælum habet mate- riam omnino perfectam ex forma cæli, ita quod non remanet in ea potentia ad aliam formam, Corruptibilia autem infe- riora habent materiam, quæ per nullam formamquam reci- pit omnino perficitur, ideo corruptibile & incorruptibile di- stinguuntur genere physico, ut conclusimus etiam in qua- stione præcedenti.

Hæc de præfenti quaesito dicta sint, in quo fateor animum meum non quiescere. Ideo & tu exerce ingenium tuum,

Expliciunt q̄ super 10. metaphy. Fr. Chryf. Iauelli
Canapi. ordi. prædic. philosophiæ & sacræ
Theologiæ professoris.

Quaestio

Quæstiones frat. Chrysof. Iauel. Canap.
ordi. præd. super lib. 12. metaphy.

In libr. 12. determinabuntur infra-
scripta quaesita.

- 1 Si metaphysicus habet considerare de substantia.
- 2 Quomodo philosophus intendit ens in quantum ens esse quoddam totum.
- 3 Si ad metaphysicum spectat considerare de abstractis, an ad physicum.
- 4 Si omnes substantie separate sunt penitus immobiles.
- 5 Si datur creatio secundum philosophum & Commentatorem.
- 6 Si ex tex. 16. potest concludi animam intellectuam esse formam dantem esse homini, & esse incorruptibile.
- 7 Si omnium rerum sunt eadem principia.
- 8 Si omne repositum in prædicamento, siue sit substantia siue accidens, est compositum intrinsece ex propria potentia, & proprio actu, tanquam duobus essentialibus.
- 9 Si est necesse dare aliquam substantiam æternam secundum philosophum & secundum veritatem.
- 10 Si substantia æterna est semper actu mouens, & de necessitate nature.
- 11 Si substantia æterna mouens, ita est actu quod nullo modo est in potentia.
- 12 Si substantie mouentes abstracte sunt sine materia.
- 13 Si cælum agit in hæc inferiora, & quomodo.
- 14 Si Arist. demonstravit mundum esse æternum.
- 15 Si primum mouens mouet cælum ut finis amatus.
- 16 Si cælum est animatum & quomodo.
- 17 Si intelligentia mouens cælum, potest esse forma vera dans esse cælo.

Q

DVODECIMI METAPHY.

- 18 Si in primo principio est delectatio & uita modo excel-
lentissimo.
- 19 Si dispositiones Dei, quas dicimus perfectiones diuinas,
distinguantur realiter uel solum ratione.
- 20 Si primum principium est uigoris infiniti & entitatis
infinitæ.
- 21 Si philosophus opinatus est omnes intelligentias esse uigo-
ris infiniti.
- 22 Si in intelligentijs est ordo nobilitatis iuxta ordinem suo-
rum mobilium secundum situm.
- 23 Si est necesse ponere eccentricos & epicyclos.
- 24 Si in separatis possunt esse plura indiuidua sub eadem
specie.
- 25 Si Deus de mente philosophi intelligit tantum seipsum,
an aliquid extra, & quid in hoc sentiat Com-
mentator.
- 26 Si in abstractis sunt idem intellectus, intellectio & res
intellecta.
- 27 Si omnia sunt ordinata & prouisa à primo prin-
cipio.
- 28 Si primum principium est causa effectiua omnium
entium.
- 29 Si est tantum unus Deus, ita quod non possunt esse
plures.
- 30 Si solum primum principium est ens necessarium, ita
quod omne ens productum sit ens contingens.

QV AESTIO PRIMA.

Si metaphysicus Habet considerare
de substantia.

De substantia Quidem Theoria est, nam
substantiarum principia & causa
quaruntur. Tex. 1.



N HAC. quest. in qua nō inuenio ma-
gnam difficultatem, te resolues dupli-
ci conclusione, & vno notabili.

Prima conclusio. Metaphysicus ha-
bet considerare de substantia, & maxi-
me. Hanc cōclusionem probabis eisdē
rationibus, quas formauimus in epito-
mate nostro in 7. metaph. trac. vnico,

cap. 1. & in 10. metaph. tract. vnico, ca. 1. In his duobus locis in-
uenies resolute probationem propositæ conclusionis, quæ non
est hic inutiliter repetenda.

Secunda conclusio. Metaphysicus considerans sustātiā de-
bet considerare principia & causas substantiæ. probatur. Om-
nis scientia considerat principia & causas sui subiecti, substan-
tia licet non sit subiectum adæquatum huius scientiæ, est tamē
principale subiectum. ergo &c. Maiorem huius inuenies for-
maliter & resolute probatam in epitomate nostro in 6. lib. me-
taph. ca. 1. Minorem inuenies probatam in epitomate in lib. 7.
cap. 1. Quare &c.

Quantum ad secundum notandum est, quod cum diximus
metaphysicum debere considerare principia & causas substan-
tiæ, non intendimus per principia, & causas, causam materialē:
quonia substantia ut substantia non habet materiam, nec po-
tentiam passiuam, aliter omnis substantia haberet materiam
& potentiam passiuā, cuius oppositum declarabitur infra, agē-
tes de substantiis abstractis. Nec intendimus causam efficiētē
nec finalē, quonia non omnis substantia est producta, nec ordina-
ta ad alteram, ut probauimus infra de prima causa. Sed inten-
dimus de principio & causa formali, nō q̄ omnis substantia ha-
bet formā. Sed quia de omni substantia consideranda à metaph.
quarendus est proprius conceptus, qui apud nos habet rationē

DUODECIMI METAPHY.

principii formalis, eo q̄ per talem conceptū probatur proprie-
tates substantiæ de substantia, & id cōuenit omni substantiæ vt
substantia est, etiam includendo primam causam vt cadit sub
cognitione nostra, & aduerte, quod hanc declarationem diffi-
sius inuenies in 1. q. lib. 6. Vide tu ad placitū. & quoniā hinc non
cadit maior difficultas, ideo pro præsentī quæstio dicta sint.

Quæstio 2. Quomodo philoso. intendit ens in quantum
ens esse quoddam totum.

Et enim si totum quoddam omne, substantia
est prima pars. Tex. 2.

IN hac q. aduerte antequā deueniamus ad decisionem, quæ
to exponit ly totū sicut Themistius, cuius expositionē recitat
Commē. in 12. lib. in cōm. 2. lbi. Themistius autē exponit sic di-
cendo &c. Cōment. autē exponit sicut Alex. licet non acceptet
eius expositionem secundū se totam. Deinde Cōmen. vt patet
in eodem cōm. arguit cōtra Themistium, & quoniā b. Tho. se-
quitur Them. ex cōsequenti Cōmen. arguit contra B. Tho. &
non defendens seipsum, nec Themistium defendit. Tu ergo vt
defendas b. Tho. & Themistium, sic procede. Primo declaran-
dum est triplex totū, in quo inuenitur vna pars prima, & aliæ
subsequentes. Secundo ponetur conclusio philo. & formabitur
ratio pro ea ad mentem b. Tho. & Themistij. Tertio ponetur
expositio Cōm. Quarto ponentur obiectiones Commen. con-
trā b. Tho. & Themist. & soluentur.

Quātum ad primū aduerte, q̄ totum in quo vna pars est
prima, & aliæ subsequuntur, est triplex, vt videre poteris apud
Cōmen. in lib. 12. in cōm. 2. & est distinctio Themistij. Prīmū
est in quo partes adunantur per continuationem, vt in corpore
humano, in quo prima pars est cor vel caput, & in plāta, in qua
prima pars est radix. Secundum est in quo partes adunantur nō
per continuationem, sed per contactum, vt in domo, cuius pars
prima est fundamentum, & in nauī cuius pars prima est cari-
na. Tertium est in quo partes non adunantur per continuatio-
nē nec per contactum, sed secundū ordinē cōsequēter se habē-
tes, ita q̄ sunt omnes segregatæ ab inuicē, sunt tamē omnes or-
dinatæ, sicut numerus, & ciuitas, & exercitus in quibus omnes
partes respiciunt vnā primam, vt in numero vnū, deinde duo

QVAESTIO II.

307

deinde tria in figuris triangulis, deinde quadratū, deinde pen-
tagonū. In ciuitate rectores, deinde nobiles, deinde ciues. In ex-
ercitu equites, deinde pedites, &c.

Quantum ad secundum ponitur hæc conclusio, substantia
est prima pars entis, & formatur sic ratio philosophi ad mentē
b. Tho. & Themistij. Si ens est quoddam totū per cōtinationē
partium, vel per contactū partū, vel per ordinē partium, eius
erit vna prima pars, quæ est substantia, quoniā in omnibus præ-
dictis modis (vt declaratum est) datur pars prior & posterior.

Sed ens est sicut quoddā totum, vel per continuationem vel
per contactum partū, & si hoc non est verum, quia partes entis
subiectiue nō continguntur, nec se tangunt, saltem est sicut to-
tum per ordinem partium, quæ cōsequenter se habent, & hoc
est verum, quoniam ens est analogum, in quo datur prius &
posterior, ergo siue assimilatur toti 1. modo, siue 2. siue 3. modo,
datur prima pars entis, quæ est substantia, deinde quantitas de-
inde qualitas, &c. Hæc fuit ratio philoso. ad mentem b. Tho. &
Themistij, quā intendo sustinere, soluēdo obiectiones. Cōmen.

Quantum ad tertium aduerte, q̄ Cōmen. intendit probare cō-
clusionem præpositam hoc modo, si totū ad est ens cōmune in-
quantū in se concludit omnes gradus entis, pura substantiæ &
accidentia, esset quasi vniuersum, id est genus, & si esset cō-
sequenter, id est de numero eorum quæ dicuntur secundum
prius & posterius, qualis est natura analogi, substantia est pri-
ma pars entis. Sed constat, quod ens cōmune est genus vel ana-
logum, & hæc secunda pars est vera, ergo substantia est prima
pars entis. Hæc quidem expositio non reprobatur à b. Tho. vt
falsa, sed quia videtur declinare à plano sensu literæ. Potes er-
go veranque sustinere esse veram, sed eam quæ est b. Thom. &
Themistij esse magis propriam.

Quantū ad quartum aduerte, q̄ Cōmē. reprobatur expositionē
b. Tho. quæ fuit etiā Themistij vt falsam duabus rationibus.

Prima ratio. Nullus existimat nec in mente eius potest ca-
dere, q̄ partes subiectiue entis quæ sunt 10. prædicamenta sint
continue, nec se tangunt, nec separantur loco, vt partes exerci-
tus, ergo male exponens ens esse quoddam totum continuum,
vel per contactum, vel secundum ordinem partium.

Ad hoc dicitur, quod nec Themist. nec b. Thomas dicunt
ens commune esse quoddam totum cōtinuum &c. Sed loquun-
tur per similitudinem, & conditionaliter sic, si ens est sicut

DVODECIMI METAPHY.

totum continuum vel per contractum vel per ordinem partium substantia est prima pars entis, & ideo bene stat, quod ens non sit realiter totum continuum, nec per contactum, nec per ordinem partium separatarum loco, vt in exercitu, & tamen quod assimilatur illis totis in hoc, quod est habere partem primam deinde secundam, deinde tertiam, &c.

Secunda ratio. Prioritas in numeris & in figuris sunt in eodem genere, nam binarius qui est prior ternario est in eodem genere cum ternario, & trigonum quod est prius quadrato est in eodem genere cum quadrato, sed prioritas substantia comparata alijs predicamentis, non est in eodem genere cum predicamento, non enim conueniunt in genere, sed est sicut prioritas rei ad res, quae attribuantur ei, id est, prioritas primi analogati ad alia analogata, quae dicuntur per ordinem ad ipsum, ergo ens non est aliquod totum, cuius partes consequenter se habent, vt in exercitu, in numeris, in figuris.

Ad hoc dicitur, quod ens comparatum toti sumpto 3. modo, cuius forma est ordo, vt in numero, & exercitu, est simile & dissimile. Dissimile quidem, quia tale totum est vere genus, & partes suae subiectivae sunt in eodem genere, quod non verificatur nec de ente, nec de partibus eius subiectivis, quae sunt 10. predicamenta, simile autem est in hoc, quod in tali toto datur prioritatem tantum intendit Themistius & b. Thom. de mente philosophi assimilare ens praedicto toti, & non quantum ad hoc, quod ens sit vere genus, & partes sint in eodem genere. Haec de praesenti quaesito dicta sunt.

Quaestio 3. Si ad metaphysicum spectat probare substantias separatas esse, an ad physicum.

Sempiterna autem, cuius principia & elementa necesse est accipere. Text. 5.

Super hunc tex. dicit b. Tho. Hoc inquiret, considerando de substantiis separatis, quae sunt principia mouentia & fines corporum caelestium. Vnde dicitur ergo secundum b. Thom. ad metaphysicum spectare, quod querat & probet substantias separatas esse.

In hac quaestione inuenio tres vias, duas extremas, & tertiam mediam. Primam extremam tenet Comment. & qui sequuntur eum. Hic tenet, quod ad solum physicum spectat probare substantias

QVAESTIO III.

308

separatas esse, vt patet in 1. phys. in comen. vlt. loquens contra Auic. & lib. 12. metaphysic. comment. 5. loquens contra Alex. & totum suum fundamentum est. Quia ad probandum abstractas substantias manu ducimur sufficienter ex motu, vt patet in 8. phy. & omnis alia via insufficientis est, immo non concludit ex necessitate, vnde in lib. 12. metaph. in comen. sic ait, & ideo impossibile est declarare aliquod abstractorum esse, nisi ex motu, & omnes aliae viae quae reputantur esse ducentes ad motum primum esse praeter viam motus, qualiter sunt sufficientes? qd. non sunt sufficientes. Secundam extremam tenet Auic. quae est opposita viae Comment. & cum eo tenet Alex. & d. Alber. Et Sco. in 1. sen. respondens ad secundum argumentum secundum prologi declinat ad sententiam Auic. fundat autem se Scot. super hoc. Quoniam cum principalior pars metaph. sit de separatis, si metaphysicus sumeret a physico probationem existentiae substantiarum, ergo metaphysica quo ad nobilioris partem suam subalternaretur physica, & sic non metaphysica sed physica esset nobilior, quod est contra philosophum in proemio 1. libri. Et aduerte, quod omnes qui tenent hanc viam, mouentur contra Comment. vt seruent dignitatem metaphys. & ne supponant eam physicae.

Tertiam viam quae est media, tenet b. Tho. qui in aliquibus concordat cum Comment. & in aliquibus discordat, & similiter facit cum Auic. ad cuius euidenciam, & pro resolutione praesentis quaestio secundum viam Tho. sic procedendum est: Primo praeponentur quaedam distinctiones. Secundo conclusiones respondent. Tertio declarabitur quomodo b. Tho. concordat cum Comment. & quomodo non, similiter cum Auic. Quarto soluetur ratio Scoti, in quantum discordat a via nostra.

Prima distinctio. De separatis loqui possumus dupliciter: Primo in genere, id est, indistincte, prout omnia separata in hoc conueniunt, quod est esse ens abstractum, secundo in specie, id est, pro tali substantia separata, puta pro primo principio, quod dicitur Deus, vel pro aliis intelligentiis applicatis orbibus, secundo primo principio.

Secunda distinctio. Separata tam in genere, quam in specie possunt considerari, vel quo ad hoc predicatum, quod est existere. Prout haec est vera, substantia separata est existens in rebus, & non solum habet esse per apprehensionem intellectus. Vel quo ad predicata inretrinsicca essentialia & quidditativa, pu-

DUODECIMI METAPHY.

ta, substantia separata est æterna immaterialis, sine potentia passiva, actus simplex intellectualis perfectissima &c.

Ex his distinctionibus pono tres conclusiones ad mentem b. Tho. Prima. Probare substantias separatas in genere quo ad hoc prædicatum, quod est existere, est officium solius physici, probatur. Quod existant in rerum natura, non est deprehensum nisi motu, ut patet in 8. phy. & eodem medio processit philosophus in 12. metaphys. text. 29. ubi ex motu æterno concludit mouens æternum. Constat autem quod via motus est via solius physici, ergo &c.

Secunda. Probare substantiam separatam in specie, puta primam causam vel primo primum mouens penitus immobile existere, non est officium physici, sed metaphysici. Hæc conclusio est de mente b. Tho. qui in primo contra gent. capit. 13. tenet, quod philosophus in 8. phys. non deuenit nisi ad primum mouens seipsum, quod distinguitur in partem mouentem & in partem motam, quod est aggregatum ex cælo & intelligentia applicata, & sententia b. Tho. ibidem est talis formaliter. Sed quia Deus non est pars alicuius mouentis seipsum, vltimus Arist. in sua metaph. inuestigat ex hoc motore, qui est pars mouentis seipsum alium motorem separatam omnino, qui est Deus. Cui enim omne mouens seipsum, moueatur per appetitum, oportet quod motor qui est pars mouentis seipsum, moueat propter appetitum alicuius appetibilis, quod est eo superius in mouebile autem est mouens omnino non motum. Oportet igitur esse primum motorem separatam omnino immobilem, qui Deus est. Hæc b. Tho. & quod hoc sit ad mentem philosophi, declaratur infra in tex. 36. ubi non per motum physic. sed metaphys. qui est intelligere, & appetere, probat primum mouens omnino immobile, & si dicis, quod philosophus in 8. phys. probauit motorem infiniti vigoris existere in rerum natura ex motu infinito, hunc autem constat esse primum motorem omnino immobilem, ergo physicus probat existentiam primi motoris. Ad hoc dubium respondebitur in fine questionis.

Tertia conclusio. Spectat ad metaphysicum & non ad phys. probare de substantiis abstractis, tam in genere quam in specie, prædicata intrinseca essentialia, puta quod sunt actus simplices, quod immateriales, quod intellectuales. Quod primum est prima forma, primus finis, primum agens, quod sunt plu-

QVAESTIO III.

309

res, quod primum est tantum unum ad quod ordinantur omnia. Hæc contra est expresse de mente philosophi, qui in hoc libro 12. incipiens à text. 30. vsque ad 40. plura prædicata intrinseca inuestigat, ut quod sunt actus, & intellectuales & sine materia, & quod primum est primum, intelligibile & primum appetibile, ex consequenti optimum, ut videre poteris in epitoma nostro in lib. 12. eadem conclusio est ad mentem Commentatorum in hoc non discordat à b. Thom. nam in lib. 12. in comment. 5. dicit, quod Aristot. considerauit de abstractis consideratione propria, id est, metaphysicali, & non physica. v. g. quod est substantia prima & forma, & quod est principium & finis. Deinde considerat de hac substantia immobili, utrum sit vna aut plures, & si plures, utrum reducantur ad vnum, & quomodo ordinantur ab eo. Sic igitur intelligenda est communicatio istarum duarum scientiarum, scilicet physice & metaph. in consideratione de principiis substantiarum. Hæc Commentator. Et etiam hæc conclusio probari potest, ratione sic, scientia in qua substantia abstractæ, licet non sint adæquatam subiectum, sunt tamen principale consideratum, habet probare prædicata intrinseca earum. Sed metaphysica est talis scientia, ut declaratum est in proæmio primi lib. & in lib. 6. ubi in tex. 2. philosophus nominat eam theologiam, ergo &c. Maior est de intentione philosophi in primo poster. ubi vult, quod in scientia probandæ sunt passionibus de subiecto, & si eius non sint proprie passionibus, saltim prædicata, quæ habent modum passionibus, aliter de primo nulla haberetur scientia, & quod dicitur de subiecto, intelligendum est etiam de principali considerato, quod est principale subiectum, nam sicut phys. habet probare propria prædicata de ente mobili, sic de cælo & de elementis &c.

Positis & probatis his conclusionibus declarandum est, quomodo concordat vel discordat b. Tho. cum Comment. & Auic. & aliis sequentibus Auic. Aduerte igitur, quod si b. Tho. concederet de mente philosophi, primum mouens, id est, Deum mouere cælum immediate, ut applicatum cælo, sicut intelligentia Saturni mouet orbem suum, in nullo discordaret ab eo. Concederet enim quod solus physicus habet viam sufficientem, probandi existentiam separatorum, tam in genere, quam in specie, quæ via est solus motus physicus.

Sed quoniam ut determinabimus infra, quando queremus, quomodo primum mouens mouet cælum, secundum b. Tho.



DVODECIMI METAPHY.

Deus non applicatur color nec mouet per se ipsum, sed per intelligentiam mediam ideo b. Tho. tenet, quod solus metaphysicus probat Deum esse, & in hoc discordat à Commentatore, scilicet in secunda conclusione. In prima autem & in tertia concordat cum eo, & discordat ab Auic. & ab Alexand. in prima & etiam à Scoto, quoniam concedunt non esse officium physici probare existentiam abstractarum substantiarum, nec in genere, nec in specie.

Nunc autem soluendum est argumentum Scoti pro quanto declinat à via b. Tho. Dico igitur, quod non sequitur metaphysicam subalternari physica, eo quod non subiicitur physica, ut nobilior, sed utitur physica ut sibi desertienti, quoniam versatur circa motum, quæ est vnica via ad probandum ex sensatis existentiam separatorum in genere, & est fundamentum ad probandum Deum esse, quoniam ex motu physico ascendimus ad motum metaphysicum, ut patet in hoc 12. in text. 36. & ex motu metaphysico concludimus Deum esse, ut manifestabimus infra, quando quaeremus qua via procedendum est ad probandum Deum esse. Et aduerte quod Paulus Sonc. soluit argumentum Scoti in lib. 12. in questione prima.

Sed non tenebis eius solutionem, quoniam concedit esse officium solius physici, probare Deum esse, & sic negat secundam conclusionem, quam docuimus esse ad mentem b. Tho. in primo contra gent. si autem solutio sua applicetur ad separatam in genere & non plus, bona erit, & tu sustinebis eam, quoniam deseruit primæ conclusioni.

Ad dubium motum de 8. phy. contra secundam conclusionem, Dico quod philosophus illic posuit tantum fundamentum inuestigandi infinitatem primi motoris, quod quidem fundamentum est motus æternus siue mouere tempore infinito, quis autem sic hic primus motor non explicauit, nec vltimate conclusit, nisi in metaphy. Conclussit autem motu metaphysico, vnde aduerte quod philosophus, in 8. phy. posuit hanc maiorem. In rerum natura datur motus virtutis infinite, quoniam mouet tempore infinito. In metaphy. autem ponit hanc minorem. Motor virtutis infinite est Deus, qui est primus motor penitus immobilis motu physico & motu metaphysico.

Nec obstat quod b. Thom. in 8. phy. terminans expositionem suam dicit. Et sic terminat &c. Et infra. Qui est Deus benedictus in secula. Nam hoc subiunxit non ut explicat in phy.

QVAESTIO IIIII.

310

sica, sed in metaph. sic mihi occurrit dicendum, si quis autem melius inuenit, libentissime cedam. Et aduerte, quod socius meus Reuerendus magister Franciscus Ferraricus exponens capi. 13. in primo contra gen. soluit hoc dubium alia via, quam videre poteris, & comparare solutioni nostræ. Hæc de præsentis questione dicta sint.

Questio 4. si omnes substantiæ separate sunt penitus immobiles.

Alia vero immobilis, hanc dicunt quidam separabilem. Text. 5.

In hac q. sic procedendum est. Primo inuestigandum est, quid circa hoc senserit philosophus & Comment. Secundo quid veritas habeat. Quantum ad mentem philosophi & Comment. aduerte, quod non formatur præsens questio de prima causa, quoniam De eius omnimoda immobilitate quaeremus infra, sed ad præsens quaerimus de subiectis abstractis tanquam de vno genere. Ut ergo id resoluitur iuxta ea quæ inuenimus in doctrina philosophi & Comment. preponetur quedam distinctio, iuxta quam formabitur conclusiones responsiue cum probationibus suis.

Distinctio est hæc. Aliquid potest esse mobile siue mutabile dupliciter. Primo secundum esse substantiale, sicut omne generabile & corruptibile, quod tendit à non esse ad esse & e conuerso. Secundo secundum esse accidentale, & hoc quidem multipliciter, primo secundum locum, eo quod motu locali acquiritur nouum vbi, secundo secundum qualitatem sensibilem, ut aqua mutatur à calido ad frigidum & e conuerso, aut secundum qualitatem immaterialem, quam de nouo recipit, ut intellectus acquirit nouam speciem, nouum habitum &c. Tertio secundum actionem, eo quod potest mutari à potentia agens ad actum agens, vel desinere ab vna actione & incipere aliam, ut intellectus desinit intelligere A, & incipere intelligere B.

Prima conclusio, secundum philosophum & Comment. intelligentiæ non sunt mutabiles secundum esse substantiale, quoniam omne sic mutabile habet materiam, quæ est principium generationis & corruptionis, & non solum habet materiam, sed etiam annexam priuationi, ut determinatum est in lib. 9. Sed intelligentiæ sunt immateriales, ut patet in lib. 12. in text. 30. vbi inquit philosophus, tales oportet esse substantias, siue materia, sempiternas enim oportet esse. Poteris etiam hanc con-

DVODECIMI METAPHY.

clusionem probare eisdem rationibus, quibus probauit cœli esse incorruptibile, quas videbis resulas in epitomate nostro super libros de cœlo.

Secunda conclusio, secundum philosophū & Cōment. intelligentiæ non sunt mobiles motu locali intrinsece, nec per se, nec per accidens. Hæc probatur ex principiis philosophi in 8. phys. nam q̄ non sunt mobiles per se, patet ex 6. phys. vbi probatur quod omne per se mobile est diuisibile, & quantum sed intelligentiæ indiuisibiles sunt, & sine magnitudine secundū philosophū in 12. in tex. 43. vbi inquit, palam itaque, quod tot substantias esse necesse est natura sempiternas & immobiles, secundū se, & sine magnitudine. Quod autem non moueantur localiter per accidens intrinsece, fundamentū probationis habemus in 3. phys. in tex. 52. vbi philosoph. assignat differentiam motus per accidens in intelligentiis planetarū, & in anima quæ dat esse animali, nam de intelligentiis verum est dicere, quod mouentur per accidens extrinsece, id est, ratione sui orbis, vt rapitur à primo mobili, non autem ratione sui, quia non est vt forma sui orbis. Anima autem est forma animalis & vnita secundum esse, & ideo mouetur per accidens localiter intrinsece, id est, ratione sui ad motum animalis. Arguitur igitur sic, si intelligentiæ mouerentur localiter intrinsece per accidens, hoc ideo esset, quia vniuntur vt formæ suis mobilibus, quod est falsum, consequentia patet, quoniam non alia ratione anima mouetur localiter intrinsece per accidens, nisi quia vnitur animali vt forma, cū igitur hæc ratio cesset in intelligentiis, sequitur quod non mouentur &c. falsitas autem consequentis apparebit infra, quando quaeremus si intelligentiæ potest esse forma cœli dans esse.

Tertia conclusio, secundum philosophum & Cōment. intelligentiæ non mouentur secundum aliquam qualitatem, quam de nouo recipiant vel deperdat, nec secundum aliquam actionem, nec transiunt ab vna ad aliam. Antequam probetur hæc conclusio aduerte, quod philosoph. in lib. 12. videtur pro maiori parte loqui de separatis tãquam de vno genere, parum discernens inter ea, & hæc prædicata quæ veniunt de eis, puta quod sint sine potentia, & sua substantia sit actus, & sine materia, & sine magnitudine, & quod in eis sint ipsi intelligere intellectus & res intellecta, ex consequenti, quod actio sua quæ est intelligere & velle, sit substantia sua, videtur attribuere omnibus,

QVAESTIO IIII. 311

tanquam vno generi & quidem quod esse sine potentia scilicet passiuæ, esse simplicem actum & sine materia attribuat omnibus, patet ex tex. 29. & 30. & sua ratio est, quia contingeret motum non esse continuū & æternum. Cum ergo secundū philosophum omnes intelligentiæ moueantur motu continuo & æterno, sequitur, quod illa prædicata omnibus sint cōmunia. Quod autem identitatem intellectus & rei intellectæ, & ipsius intelligere attribuat omnibus, patet ex tex. 51. vbi non altero igitur existente eo quod intelligitur & intellectu quæcunque nō materiam habent &c. Vbi & b. Tho. sic exponit. Cum igitur intellectus in actu & intellectum non sit alterum in his, quæ materiam non habent. Comment. autem expresse sic ait, super prædictum textum. In eis autem quæ sunt non in materia contingit vt intellectum, & intellectus, & actio intellectus, sint idem, stantibus his sic probatur conclusio, si aliqua qualitas de nouo inesset vel desineret in intelligentiis in genere, similiter & actio, cum in eis non sit actio nisi intelligere & velle. (Nam dicemus infra, quod suo velle mouent cœlum) sequitur substantiam suam esse mutabilem secundum esse substantiale, quod non stat cum incorruptibilitate, consequentia quidem, sic probatur, nam ex præmissis & adductis de mente philosophi & Comment. intelligentiæ in genere sunt actio sua, & per substantiam suam operantur & non per qualitates, aut potentias medias, aliter non essent simplices actus, quod est contra philosophum in libro 12. in tex. 30. ergo si mutantur secundum qualitatem aut actionem mutantur secundum substantiam suam, & ne credas me in hac tertia conclusione confisum fuisse in propria imaginatione, scito quod Herue. in 2. sentent. in dist. 14. q. 1. art. 3. est eiusdem opinionis, & sic attribuit philosopho, vt videre poteris.

Quantum ad secundum principale, scilicet quid tenendum secundum veritatem, dico tria. Primo quod omnes intelligentiæ quo ad substantiā sunt immutabiles per potentiam intrinsecam, quoniam carent materia, quæ est principium generationis & corruptionis intrinsecū, vt determinatum est in lib. 8. Cum hoc tamen stat, quod possunt mutari per potentiam extrinsecam primi agentis. Annihilabiles enim sunt, vt pote si nō manu tenerentur à primo, Cui videtur Comment. assentire in libro destructionū contra Algazelem, disput. 4. vbi tener, quod secundum philosophos mundus habet agens, cuius actio si per

DVODECIMI METAPHY.

momentū cessaret, totus mūdus destrueretur, quoniā est agens & conseruans. Dico secūdo, quod mutabiles sunt secundum locum, non quod occupēt locum, cum sint sine magnitudine, sed quia virtutē suam diuersis locis applicare possunt, verum quia hic motus non est physicus, ideo non est presentis negocij, sed relinquitur Theologo. Dico 3. quod sunt mutabiles secundum qualitatem immaterialē, & secundum actiones intellectuales, eo quod excepto primo actio sua non est substantia sua, aliter essent purissimi actus, ex consequēti illimitati omnino, & infiniti secundū perfectionem. Repugnat autem dari plura infinita secundū virtutē. Sed & hoc relinquitur Theologo, nunc enim solum intendimus manifestare, quid possimus dicere in presenti quæstio secundum ea quæ inuenimus in doctrina Arist. & Commentatoris. Hæc de presenti quæstio dicta sint.

Quæstio 5. si datur creatio secundum philosophum & Commentatorem.

Dubitabit autem aliquis ex quali non ente sit aliquid. Textu 11.

In hac q. antequā deueniamus ad decisionem aduerte, quod tota difficultas pendet ex hoc. An philosophus & Comment. concedant Deum esse causam non solum finalem, sed & productiuam omnium entium absolute. Nam si sic, tunc est causa productiuā intelligentiarum & cæli, & cum intelligentiæ non sint producibiles ex materia, quoniam sunt immateriales, vt tenet philosoph. in lib. 12. in tex. 30. sequitur quod producantur ex nullo supposito, quod est creare, suppones ergo pro nunc sicut secūdū Arist. quod Deus est causa productiuā omnium. Nā infra formabitur de hoc particularis quæstio, & determinabitur secundum philosophum pro parte affirmatiua, in presenti ergo quæstio sic procedes. Primo pones distinctionem de creatione. Secundo conclusionēs responsiuas ad mentē philosophi. Tertio considerabitur in hoc via Cōmentatoris. Nam verus Thomista in hoc habet tenere, quod non cōcordat via Commentatoris cum via philosophi. Quarto soluentur duo dubia.

Quantū ad primū aduerte, quod cum creatio sit productio rei ex nihilo, ly ex potest dici ordinem ad nihil dupliciter, primo positiuē, vt sit sensus. Res producitur ex nihilo, vt ex materia, ita ly nihil subiicitur productioni, sicut in factioe domus lapides subiicitur ædificationi. Secūdo negatiuē, vt sit sensus. Res producitur ex nihilo, id est, nullo sui præsupposito,

QVAESTIO V.

312

in primo sensu nullus dicit dari creationem, quia repugnat ly nihil esse materiā, vt patet, in 2. sensu nō apparet aliqua repugnātia ex parte rei, modo detur agēs in cuius virtute sit producere totam rei producibilis entitatem. Sed aduerte, quo in 2. sensu ly ex, iterum potest accipi dupliciter. Primo quod ita res producatur ex nihilo, quod prius duratione habuit non esse, & tunc dicitur, creatio cum nouitate essendi, quale ponit dicētes mundam creatum in tēpore. Secūdo, quod ita res producatur ex nihilo, quod solum prius natura & nō duratione habuit nō esse, & dicitur creatio sine nouitate essendi, quale ponunt dicētes mundum creatum ab æterno, vt Auicenna.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio. Arist. ponit creationem secundo modo, id est, sine nouitate essendi. Probatio huius conclusionis pōdet ex hoc, quod Arist. ponat primum produxisse cælum & intelligentias ab æterno, de quo formabimus infra talem quæstionem, vt rum Deus sit causa productiuā omnium, & determinabimus ex doctrina Arist. pro parte affirmatiua. Et ex determinatione illa constabit tibi probatio huius conclusionis. Nam conclusio quod Deus produxerit intelligentiam, bene sequitur, ergo creauit, quoniam cum sit sine materia, producta est nullo sui præsupposito, & cū sit æterna, vt probauit in 12. metaphysic. in tex. 29. sequitur quod sit creata sine nouitate essendi.

Secunda conclusio. Arist. Concedit creationem, id est, modo, id est, cum nouitate essendi. Hæc cōclusio supponit duas determinationes in doctrina Arist. Primo, quod anima intellectiua sit incorruptibilis, & hoc determinauimus in quæstionibus nostris in 3. de anima. Secundo, quod sit forma hominis secundum esse & dans esse homini formaliter, & hoc determinabimus infra de mente philosophi, mouentes quæstionem super tex. 16. qui incipit. Mouentes quidem & c. stantibus his determinationibus probatur sic conclusio. Anima humana de nouo producitur, puta anima Socratis, quoniam cum sit forma dans esse Socrati, non procedit id cuius est forma, ex tex. 16. huius 12. & non producitur de potentia materiæ, quoniā omnis formaeducta de potentia materiæ pendet secundum esse à materia, ex consequenti est corruptibilis. Sed anima humana non est corruptibilis, vt determinauimus in libro 1. de anima in q. nostris, ergo creatur de nouo, & sic secundū philosophū datur creatio sine nouitate, & cum nouitate essendi.

DVODECIMI METAPHY.

Quantum ad tertium aduerte, quod magna est ambiguitas inter doctores, quid in hoc sentiat Comen. & maxime circa primam conclusionem. Nam de secunda constare potest ex doctrina sua, quod negaret eam, quoniam non concedit animam intellectuam esse formam informantem materiam. De prima autem sunt oppositæ opiniones. Nam qui tenent Comen. negare entia incorruptibilia, vt cælum & intelligentias habere causam productiuam, dicunt Comen. negare creationem absolute & vniuersaliter, inter hos est Greg. de Arim. in 2. sen. di. 1. Cuius imaginationem dicemus in q. 1. in qua quaeremus, si primum est causa productiua omnium, laudamus etiam idem arbitratur in 2. metaphys. 4. q. Qui vero tenent Comen. concedere Deum esse causam productiuam omnium, dicunt Comen. concedere primam conclusionem, inter quos est Hierueus in 4. quolib. q. 9. & Paulus Soncinas in 12. metaphy. q. 15. & 101. Capr. in 1. sent. dist. 3. q. 1. Sed isti non concordant cum b. Thom. Nam in 8. phys. lect. 2. recitat ex proposito opinionem Comen. qui in 8. phys. in comen. 4. tenet, impossibile esse aliquid fieri ex nullo præsupposito, quoniam omnis mutatio subiectum supponit & deridet vulgum, credens creationem, & b. Tho. illic arguit contra eum, vt pote negantem absolute creationem nulla facta distinctione cum nouitate, vel sine nouitate essendi. Dico igitur inhaerens doctrinæ b. Tho. quod Auerrres non admittit conclusionem primam, & quoniam Paulus Sonc. tenet oppositum ideo in hoc declinat à via Thomistica. Quod autem Comen. non concedat secundam conclusionem, nulli est dubium exercitato in doctrina sua.

Quantum ad quartum aduerte, quod contra determinationem factam insurgunt duo dubia, primum est contra primam conclusionem, nam philosophus in tota doctrina sua non est locutus de creatione, nec potest trahi ex principiis suis, nam in 1. phys. & in 8. metaphys. & vbiq. supponit materiam, ideo negauit materiam posse generari, quia non habet materiam ex qua, & in 7. metaphy. & in 12. in tex. 12. negauit formam generari per se, quia non habet materiam ex qua, ergo hæc conclusio non est ad mentem Arist.

Respondeo, licet hæc conclusio non sit expressa ab Arist. potest tamen trahi ex sua philosophia, & præcipue ex 1. phy. text. 76. ibi, si autem aliquid debet fieri animal non secundum accidens ex non animali erit, vbi inquit Comen. si generatio esset possibilis

QVAESTIO V.

513

possibilis animalis simpliciter, tunc esset necesse, vt ex non animali simpliciter generaretur, ex quo sequitur proportionaliter, q. si fieret ens simpliciter, fieret ex non ente simpliciter, & sic ex nihilo, quia non ens simpliciter, & nihil, idem sunt. Sed vt probabimus infra, philosophus concedit fieri ens simpliciter, prout totum quod est ens producitur à Deo, & producitur secundum se totum, id est secundum totam essentiam suam, & non solum quo ad formam sicut producit agens naturale, ergo philosophus non negaret creationem, que est productio ex non ente simpliciter, & hoc fundamentum tractum ex 1. phys. adducit b. Tho. in 8. phys. in lect. 2. probans Auerrroem dicentem contra id quod tenemus de creatione, vbi & nominat Sarracenos tenentes legem Mahumeth, qui in hoc non discrepant ab Hebræis, nec à Christianis, nam istæ tres leges conueniunt in creatione mundi à Deo.

Secundum dubium est contra secundam conclusionem. Nam vt manifestabimus infra, Deus secundum Arist. quicquid producit, de necessitate naturæ producit, ergo ab æterno producit quia quocunq. instanti intelligit rem producibilem, & vult eam producere, statim producit, aliter à volitione antiqua produceret effectus nouus, sine mutatione ipsius agentis, quod non concederet philosophus ex 8. phys. à tex. 6. vsque ad tex. 13. si ergo Deus creat animam, sequitur q. ab æterno creat & non de nouo, quod est contra secundam conclusionem, vanum autem est dicere, quod creat eam ab æterno, quoniam non esset forma hominis secundum esse, nam vt manifestabimus infra in tex. 16. forma non præcedit id cuius est forma, & sic tu cades in errore Comenæ.

Respondetur. Admissio quod Deus agat secundum philosophum de necessitate naturæ, adhuc non est necesse, quod creet animam ab æterno, nam quedam producuntur à Deo immediate, non cooperante causa secunda, & talia secundum philosophum producuntur ab æterno, vt intelligentiæ, cælum, & elementa, hæc enim sunt principales partes mundi, ex primo cæli, vnde si Arist. ponit mundum æternum, ex consequenti ponit prædicta æterna, quedam autem sunt à Deo secundum substantiam immediate, cooperante tamen causa secunda, & non aliter.

Non q. causa secunda ex actione sua attingat substantiam illius producti, sed quia est illud, sine quo Deus talem naturam non produceret, quia non producitur gratia sui, sed vt aliud in-

DVODECIMI METAPHY.

tegram produceretur, & talis est anima intellectiua, quæ licet à solo Deo produceretur, tamen non produceretur sine naturali agente cooperante ad vnionem animæ cum materia siue cum corpore. Nam cū anima sit forma, non produceretur nisi in habitudine ad suum informabile, & talia producta non est necesse esse æterna, quia nec à Deo sunt voluta producibilia ab æterno sed eo tempore quo agens naturale cooperabitur, sic igitur respondendum est de mente b. Tho. & omnium qui tenent viam suam. Commen. autem, quia tenet quod non est forma dans esse, concederet quod si est producta, producta est ab æterno. Hæc de præsentibus quæ sita dicta sunt.

Quæstio 6. si ex tex. 16. potest concludi animam intellectiuam esse formam dantem esse homini, & esse incorruptibilem.

Mouentes quidem igitur causæ veluti prius existentes. Tex. 16.

In hac quæstio, aduerte, quod tria potes pertractare. Primo, si ex hoc tex. potest concludi philosophum sensisse animam nostram esse vere formam dantem esse homini. Secundo, si ex hoc potest concludi animam nostram esse incorruptibilem, etiam quod sit forma dans esse. Tertio si posito quod sit forma & incorruptibilis, possumus sustinere quod homo generat hominem.

Quantum ad primum dico, quod absolute potest concludi contra Commen. ex hoc text. animam intellectiuam esse vere formam dantem esse, nam philosophus in tex. 16. ponens differentiam inter causam agentem & causam formalem dicit quod causa agens præcedit id, cuius est causa, nulla autem causa formalis præcedit id cuius est, causa formalis, sed est simul cū eo, nam vt inquit philosophus, quando sanatur homo, tunc est eius sanitas & non ante, & figura æreæ spheræ est simul & non ante cum æreæ spheræ, & Commen. etiam illic exponendo inquit, Causa agens differt à formali, quia agens & moues præcedit illud quod agitur & mouetur ab eo, formalis autem est simul cum generatione. Post quæ autem philosophus posuit differentiam inter causam agentem & formalem quo ad præcedentiam, mouet dubium de causa formali, quo ad remanentiam post illud cuius est causa formalis, vtum scilicet sit necesse omnem causam formalem desinere esse ac diffinitionem eius, cuius est causa formalis, vel si potest remanere & respondens philosophus inquit, Si autem posterius aliquid manet, persequendum est. In qui-

QVAESTIO VI.

314

busdam enim nihil prohibet, vt si est anima tale, scilicet remanens post definitionem compositi. Non omnis, sed intellectus, omne nanque impossibile totum. Ex his igitur patet, quod philosophus sensit animam intellectiuam esse causam formalem hominis, aliter non esset dubium, vtum aliqua causa formalis remaneat post. Nam si teneret animam non esse causam formalem, determinaret vniuersaliter, quod sicut nulla causa formalis præcedit suum compositum, sic nec remanet post, ex hoc autem quod potuit animam esse causam formalem, conuenienter dubitat considerata natura animæ de remanentia post. Primo enim aspectu videtur supergredi materiam, ex consequenti videtur potest remanere post. Si autem est causa formalis, ergo est forma dans esse homini. Hic enim accipit philosophus causam formalem pro vera forma dante esse, vnde exemplificat de sanitate, quæ dat esse sano, & de figura quæ dat esse æreæ spheræ, & confirmatur expositione Commen. in dicto tex. Inquit enim, Causæ autem per quas res fit ens & vnum, sunt cum eo, quod per eas fit totum in simul, cum talis dispositionem habeant in cōgregato, sicut partes in toto. Et aduerte, quod hunc tex. philo. non potest sine Comen. euadere, nisi destruendo tex. immo laud. in lib. 12. metaph. in q. 4. in principio responsionis dicit, quod ex hoc tex. capiuntur duæ veritates. Prima, quod anima intellectiua est forma substantialis corporis humani, licet hoc non dicat Commen. Secunda veritas est, quod anima intellectiua manet corrupto corpore. Hæc laud.

Quantum ad secundum dico, quod cum non esset hic locus pertractandi de incorruptibilitate animæ, id enim spectat ad librum de anima, ideo philosophus non curauit hic determinare simpliciter de remanentia post compositum, sed per terminum dubitatum, & per conditionalem locutus est, sufficit autem, quod determinauit in 3. de anima, in tex. 20. & nostram quæstionem determinariam super hoc videre poteris in 3. de anima. Concludo igitur, quod ex tex. præsentibus non potest haberi determinata intentio philosophi de remanentia animæ nostræ post compositum, sed solum negatio præcedentiæ, & quod est forma dans esse homini, vt pars sua substantialis.

Quantum ad tertium aduerte, quod ex quo in via Thomistica tenemus tantum vniam formam in homine, quæ non est nisi anima intellectiua, & hæc non educitur de potentia materiz, cū sit incorruptibilis, vt determinauimus de mente philo. in 3.

DUODECIMI METAPHY.

de anima difficile est, saluare, q̄ homo generet hominē. Cū terminus formalis generationis sit forma substantialis acquisibilis per generationē. Et quidē si teneremus errorē Cōmē. de intellectu, nulla esset in hoc difficultas. Diceretur enī homo generare hominē, quia de potentia materie educit animā sentiuiam, cuius nobilior potentia est cogitativa, & hæc anima secundū Cōmē. est forma specifica dās esse homini. Sed corrūpitur ad corruptionē cōpositi, cū sit organica. Nos autē teneamus, animā intellectuā esse vere formā hominis, & nullā aliā formā substantialē esse in homine, vt determinauimus in lib. 8. meta. & tamen hoc nō obstante, tenemus hāc esse verā, homo generat hominē, licet homo generans nō producat nec sit causa esse & iua substantiæ animæ intellectuæ, nec producat aliam formā que simul remaneat in homine genito. cū anima intellectuā, & hoc quidem propositū, sic probare possumus. Si homo nō generat hominem, sequitur q̄ sit inferioris conditionis ex se quo ad actum generandi & continuandi suam speciem, quā cetera animalia perfecta, quod est irrationabile, quia in rebus perfectis, natura nō deficit in necessariis, & quia ex 2. de anima, tex. 45. nutritiua in homine est nobilior, quā in aliis anim. libus, ergo & potentia generatiua est nobilior. Constat autē q̄ cetera animalia producūt sibi simile in specie, vt determinauimus supra in lib. 7. ergo multo magis homo, aliter vt dictum est, esset homo in nobiliori sua actione naturali imperfectior ceteris animalib. Verū quia homo nō producit generādo animā intellectuā, quæ est sola forma in homine genito, & terminus generationis est forma substantialis ideo videtur impossibile saluare, quod homo generet hominem. Tu igitur aduerte, q̄ 7. reg. in 2. distinctio 16. & 17. quæstione secunda, ad sextum locum contra secundam conclusionem, respondens huic dubio dicit, ideo homo generat hominem, quia producit animā sentiuiam, quæ non remanet in aduentu animæ intellectuæ, facta vteriori dispositione ab homine generāte ad animā intellectuam. Ita quod secundum ipsum, homo generat hominem, quia licet nō producat substantiā animæ intellectuæ, cū causas in materia sufficētes dispositiones pro aīa intellectuā. Sed hoc nō videt sufficere, quia cū tales dispoēs sint accidentia gñario hominis actiua terminaret ad accidentia, & sic nō esset generatio substantialis. Dicēdū est ergo, ideo hominē generare hominē, quia licet hō generās nō attingat p̄ductiue animā in-

QVAESTIO VII.

315

tellectiua, quo ad substantiā suā, tamē sua actione deducit hominē genitū ad cōsequendā formā similem forme hominis generantis, & hoc est quod dicitur aliqui. Ideo homo generat hominē, quia licet non attingat animā intellectuā secundū substantiam, attingit tamē secundū vniōē, & hoc sufficit ad saluandū generationē vniuocā substantialē, quia de ratione generātis in viuētib. non est, quod generans producat formā genitū, sed actione sua agere, q̄ genitū participet formā generantis, & si nō eandē numero, eandē saltē in specie, siue sit p̄ducta à generāte, siue à primo agente. Hæc de præsentī quæstio dicta sint. Quod si plura videre volueris in hoc proposito, inuenies in Cap. in 2. dist. 17. q. 1. in replicis factis contra solutionem sexti argumenti facti contra primam conclusionem.

Quæstio 7. Si omnium rerum sunt eadem principia.

Causæ autē & principia alia aliorum. Text. 19.

In hac q. ne te confundas ex obscuritate textus Arist. à text. 19. vsq. ad tex. 29. exclusiue sic procedes. Primo ponēs duas distinctiones. Secundo quinque conclusiones respōsuas. Quantū ad primum sit hæc prima distinctio. Principia rerum sunt duplicia, quedam intrinseca, vt forma & materia, quedā extrinseca, vt efficiēs & finis, & hæc oīa iterū sunt duplicia. scilicet proxima & remota. Vt materia proxima statūz terra, forma proxima figura Mercurij. Materia remota statūz terra, forma remota figura, que est vt forma gñalis, licet non distincta realiter à forma specifica, vt opinatur Iand. cuius positionē reprobauimus in li. 8. similiter efficiētū & finū, quidā proximus, vt hoīs efficiēs proximus, hō generās, remotus autē est sol & finis proximus est intelligēre, remotus autē est felicitas, siue perfectio vniuersi.

Secunda distinctio, idēitas est duplex, quedā simpliciter, que dicitur secundum quid, simpliciter est conuenientia in aliquo vniuoco genere vel specie, vel numero, secundū quid est conuenientia secundū proportionē vel analogiā. Sicut omnia prædicamenta sunt idē in ente idēitate analogiæ secundū viam nostram. Tu tamē aduerte, q̄ hæc proportio siue analogiæ potest esse duplex, vna est similis habitudo diuersorum ad diuersa, vt serenitas in aere, & tranquillitas in mari habent similem habitudinem, quia & serenitas & tranquillitas significant quietem. Alia est habitudo diuersorum ad vnum. Vt nouem prædicamenta accidentium habent diuersam habitudinem & substantiam.

Quantum ad secundū sit hæc prima conclusio. Principia in-



DVODECIMI METAPHY.

extrinseca proxima non sunt eadem simpliciter omnium predicamentorum, sed sunt diuersa genere, & specie, & numero, probatur in predicamento substantia, principia intrinseca sunt vera materia & vera forma, in aliis autem predicamentis non est vera materia nec vera forma, quoniam accidentia non componuntur ex vera materia & vera forma, sed in eis potest assignari aliquid loco materiae, & aliquid loco formae, locum materiae habet suum receptiuum, & locum formae sua differentia, ergo &c.

Secunda conclusio, licet principia intrinseca non sint eadem simpliciter omnium predicamentorum, sunt tamen eadem secundum proportionem. Ad declarationem secundae partis huius conclusionis aduerte, quod haec identitas proportionis attenditur penes numerum, & penes modum actuandi, penes numerum quidem, quoniam sicut in predicamento substantiae sunt tria principia intrinseca, scilicet materia, forma, & priuatio, sic proportionaliter in predicamento accidentium, puta in qualitate sunt tria, quae se habent ut materia, forma, & priuatio, ut materia est illud quod est immediatum receptiuum qualitatis, puta superficies est materia coloris, forma sicut albedo, priuatio sicut nigredo, quae comparata nigredini imperfectior est, penes autem modum actuandi, nam sicut in predicamento substantiae forma actuatur & perficit materiam, priuatio vero imperfecta, ita in predicamento accidentium, forma puta albedo modo suo actuatur subiectum, & nigredo respectu albedinis imperfecta subiectum, ergo &c.

Tertia conclusio, principia extrinseca remota sunt eadem simpliciter omnium predicamentorum, probatur, sunt eadem numero, ergo simpliciter, consequentia patet ex secunda distinctione posita supra. Antecedens probatur. Deus est principium extrinsecum remotum, habens vniuersalem causalitatem super omnia entia in ratione efficientis & finis, ut manifestabitur infra, similiter corpora caelestia respectu inferiorum habent vniuersalem causalitatem in ratione efficientis super ea, ut determinabimus infra, quando quaeremus, si coelum agit in haec inferiora, patet autem quod Deus & coelum semper permanent eadem numero, cum sint incorruptibilia, ergo &c.

Quarta conclusio principia extrinseca proxima non sunt eadem simpliciter omnium predicamentorum, sed nec in predicamento substantiae. Prima pars probatur, principia proxima substantiae sunt in predicamento substantiae, ut homo ho-

QVAESTIO VIII.

316

mbem, ignis ignem generat. Proxima autem principia accidentium non de necessitate sunt substantia, nam qualitas qualitate[m] producit, ut lux solis, lucem in aere, calor ignis, calorem in aqua, ergo &c.

Quod nec etiam in predicamento substantiae, patet, quoniam cum vnum quodque, maxime in viuentibus perfectis, generetur a sibi simili in specie, aliud est principium proximum intrinsecum hominis, & equi, & leonis, ergo &c. sunt & distincti fines, specie, sicut & distincta natura. Cuiusque enim naturae finis proximus est propria operatio, ergo secundum distinctionem naturarum sunt distincti fines, ergo &c.

Quinta conclusio, principia proxima extrinseca omnium predicamentorum licet non sint eadem simpliciter, per conclusionem praecedentem, sunt tamen eadem proportionaliter. Haec potest probari, sicut conclusio. 2. Declaratur etiam sic, sicut in predicamento substantiae efficiens dat esse suo effectui, ita in predicamento accidentium accidens productiuum dat esse suo effectui producti, eo tamen modo, quo accidens potest dare esse accidenti, scilicet in virtute substantiae. Item sicut in predicamento substantiae efficiens ordinat effectum suum in finem proprium, ita in predicamento accidentium accidens productiuum ordinat accidens productum in finem suum, puta in propriam operationem, ut calor ignis causat calorem in aqua, non solum ut aqua sit calida, sed ut calefaciat, ordinat dico modo conuenienti ipsi accidenti, ergo &c.

Hic non cadit dubium nec argumentum, quod non solatur ex distinctionibus datis & ex declaratione praedictarum conclusionum. Quare non est hic immorandum. Haec de praesenti quaesito dicta sint.

Quaestio 8. Si omne repositum in predicamento, siue sit substantia, siue accidens, est compositum intrinsece ex propria potentia & proprio actu, tanquam duabus partibus essentialibus.

Amplius alio modo proportionaliter, principia eadem potentia & actus. Tex. 26.

IN hac quaestione aduerte in primis, antequam deueniamus ad decisionem, quod quoniam dicit philosophus in tex. proposito potentiam & actum esse communes omnibus predicamentis, credunt multi, quod sicut in predicamento substantiae, omne per se repositum in predicamento, si est substantia generabilis ver-



componi ex materia & forma, vt vera potentia, & vero actu, vt partibus suis essentialibus realiter distinctis, ita omnem quantitatem, & qualitatem, intrinsece componi ex propria potentia & proprio actu, quorum vtrunq; est reductiue in eodem predicamento cum suo composito, verum quia in lib. 8. in q. 16. iam probauimus, quod accidens est ens simplex constans ex sola compositione ratione, scilicet ex genere & differentia, qua non distinguitur realiter, vt manifestauimus in lib. 7. ideo aliter exponemus presentem tex. philosophi, & dicemus duo pro resolutione quaeriti. Primo, quod in substantia receptiua alicuius accidentis absoluti est aliqua potentia, qua mediante recipit illud accidens, quae non est ipsa substantia, nec est materia prima, sed est reductiue in eodem predicamento, in quo est accidens receptibile, puta in substantia corporea, est aliqua potentia, qua est receptiua qualitatis sensibilis, quae potentia est reductiue in predicamento qualitatis, idem dico respectu quantitatis. Secundo, quod licet talis potentia sit in eodem predicamento cum accidente receptibilis, non tamen est pars intrinseca compositiua accidentis.

Primum quidem fundatur super doctrinam Comment. in 5. phyl. Comment. 9. vbi intendit talem rationem, sicut se habet potentia & via ad substantiam, sic potentia & via ad quantitatem & qualitatem, sed potentia & via ad substantiam est in eodem genere cum substantia, ergo potentia & via ad quantitatem & qualitatem, vnde inquit, potentia ad vnum quodq; predicamentum est in illo genere predicamenti, quod est in actu, & similiter via de potentia ad actum, scilicet potentia ad substantiam est quoquo modo in predicamento substantiae, & similiter via ad generationem substantiae, & similiter potentia ad quantum, & ad alia praedicta. haec Com.

Secundum autem fundatur super determinationem quam fecimus in lib. 8. in q. 16. in 1. conclusionem quam reuideri poteris.

Et si dicas, Quare talis potentia non est pars accidentis, cum sit reductiue in eodem predicamento. Responderetur, quod hoc ideo est, quia huiusmodi potentia est tantum ratio sine causa, sine qua non reciperetur accidens in substantia, puta sine diaphaneitate non reciperetur lux sine lumine, & tamen diaphaneitas non est pars lucis, licet sit in eodem predicamento cum luce. Et species visibilis est in eodem predicamento cum qualitate visibili, & tamen non est pars eius. Quando ergo dicit philosophus, quod actus & potentia sunt principia omnium prae-

dicamentorum, si intelligatur vt partes essentielles, est verum, solum in predicamento substantiae, & respectu solius substantiae corporeae, quae componitur ex materia & forma, vt potentia & actu, in aliis autem seruantur potentia & actus, non vt componentia, sed potentia vt ratio recipiendi, & actus vt id quod recipitur. Et hoc loquendo de tribus primis predicamentis, scilicet substantia, quantitate, qualitate. De aliis autem, quoniam sunt respectiua, & distinguuntur solum formaliter a tribus primis, vel per denominationem extrinsecam, vt diximus in lib. 5. iudicatur vt de primis in quantum res sunt. Haec de praesenti quaerito dicta sint.

Quaestio 9. Si est necesse dare aliquam substantiam aeternam secundum philosophum & secundum veritatem.

Necesse est esse aliquam substantiam sempiternam immobilem. Text. 29.

In hac quaestione tria discutienda sunt. Primo si est necesse dare aliquam substantiam aeternam secundum philosophum & veritatem. Secundo supposito quod sic, si Arist. in text. 29. intendit solum de prima substantia abstracta quam dicimus Deum, an de omnibus in genere. Tertio supposito quod de omnibus in genere intendat, investigandum est, qua via procedendum est ad probandum Deum esse.

Quantum ad primum principale aduerte, quod haec conclusio. Datur aliqua substantia aeterna, est vera, & confessio ab omnibus recte sentientibus. Sed accedit, quod aliquando probatur conclusio vera ex medio falso, licet sit magis deductio quam probatio, nam ex falsis contingit syllogizari verum, ex primo poste. Et sic fecit hic Arist. & Comment. & omnes tenentes mundum aeternum. Probant enim dari substantiam aeternam, quia credunt motum & tempus esse aeterna. Motus enim de necessitate requirit mouens, & cum mouens sit substantia, concludunt quod de necessitate datur substantia aeterna, mouens ex motu aeterno. Patet autem, quod secundum veritatem mundus non est aeternus, quoniam fidei non subest falsum, ergo medium sumptum ab Arist. ad conclusionem praepositam est falsum, licet medium sumptum a philosopho sit falsum, tamen non deficit nobis medium verum ad probandum propositum. Tu igitur sic procedes. Primo probabis conclusionem, vt probat philosophus, cuius probationem videbis formatam in epitomi no-

stra super. 11. metaph. in cap. 4. Et aduerte, quod cum hæc probatio aduerteretur veritati, soluemus eam infra, quando quæremus, an philosophus crediderit se demonstrasse mundum esse æternum. Secundo probabis eandem conclusionem medio vero sic. Aut mundus est æternus, aut non, si sic, ergo datur substantia æterna, quia si est æternus, est mouens æternus, & generatio æterna. Sed motus æternus requirit mouens æternū, & generatio æterna generat æternū, ergo &c. si nō, eodem modo datur substantia æterna, nam omne non æternum, cum non semper fuerit, ab aliquo productū est, non à se ipso, quia prius fuisset quā fuisset, ergo ab alio. Quæro de illo, aut non fuit productum ab alio, aut sic, si non, ergo est æternum, quoniam omne improductum habens esse, semper habet esse, si sic, quæro de illo alio, ut supra, & cum non sit processus in infinitum, ut probatum est in 1. lib. necesse est deuenire ad primum efficiens improductum, quod est substantia æterna. Vnde si aduertis efficacius probatur dari substantia æterna ex nouitate mundi, quā ex æternitate.

Quantam ad secundū principale aduerte, quia Arist. philosophatur & ascendit ad separata ex sensatis, quasi in caligine palpans ambulat in assignatione distinctionum & proprietatum in substantiis abstractis, vnde dico, quod indistincto probauit, substantiā æternam existere, & nō in particulari de prima causa. Cuius est, quod probauit substantiam æternā ex motu æterno. Sed omnes intelligentiæ apud Arist. mouentur motu æterno, vnde & infra ex pluralitate motuum æternorum concludet numerum intelligentiarum, non ergo magis probat de prima quā de omnibus. Præterea, id confirmatur dicto philosophi in tex. 30. vbi postquam ex motu æterno probauit substantiam æternam transferens se à singulari ad plurale, inquit. Igitur tales oportet esse substantias, sine materia, vbi Comment. ait. Quia istæ substantiæ sunt mouentes sine aliqua potentia, necesse est ut sint sine aliqua materia, cum necesse est ut sint æternæ. Sic quidem censendum est secundum philosophum & Commentar. secundum autem veritatem est tantum vna substantia æterna, à qua sunt omnes intelligentiæ nutritæ temporaliter productæ, quæ licet non moueantur motu æterno à parte ante, possunt tamen mouere in æternum à parte post, eo quod sunt inalterabiles, nec sunt formæ materiam informantis. Sed id non est præsentis negocij.

Quantum ad tertium principale aduerte, quoniam dictum est paulo ante, quod ex hoc quod est esse mouens æternum, non probat philosophus particulariter Deum esse, sed communiter de omnibus intelligentiis, ideo hic inuestigandum est, quæ via efficaci secundum doctrinam philosophi possumus probare Deum esse, ita quod quæramus ex sensatis medium quo eadem & resolutiue cōcludamus Deum esse. Quod quidem medium ita Deo conueniat, quod de nulla alia substantia abstracta verificetur, & quoniam ad probandum Deum esse, à multis rationibus multæ solent adduci, ut patet apud Scotum in 1. sent. distine. 1. q. 1. qui conatur probare, quod in rerum natura datur vnum simpliciter primum secundum efficientiam, secundum finem, & secundum eminentiam perfectionis, & apud b. Tho. in 1. parte. q. 2. art. 3. & in primo contra gentes, cap. 13. ideo relictis illis rationibus, ut iacent in robore suo, intendo declarare, quo processu deuenit Arist. ad concludendum propositum. Tu igitur aduerte, quod Arist. in 8. physic. text. 33. posuit & multiplici probatione conclusit hoc fundamentum, omne quod mouetur, ab aliquo mouetur, & in text. & 34. cōclusit, quod non est procedere in infinitum in mouentibus & motis per se subordinatis, & à text. 34. vsque ad text. 40. probat ex his duobus fundamentis, quod est deuenire ad vnum primum mouens, quod vel est mouens se ipsum prout distinguitur in partem mouentem & in partem motam, vel est penitus immobile, & in text. 49. cōclusit, quod vltra primum mouens se ipsum est deuenire ad aliquod mouens primum immobile per se & per accidens. Quod quidem mouens primum immobile est intelligentia applicata primo celo, quæ eo motu quo mouet celum scilicet motu locali est omnino immobilis, & per se, & per accidens ad differentiam intelligentiarum aliarum orbium scilicet planetarum. Istæ enim mouentur per accidens, ut declarat philosophus in 8. physic. text. 52. Verum quia hoc primum mouens immobile localiter, mouet orbem suum, & ad motum sitū orbis mouet orbem planetarum motu diurno, mouet inquam per intellectum & voluntatem secundum philosophum in 12. metaphysic. text. 38. & omne tale mouens mouetur, siue trahitur ad mouendum ab obiecto cognito & desiderato, quod ex motu suo consequi desiderat, ideo philosophus in libro 12. metaphysic. text. 36. ex hoc quod mouens primum immobile localiter applicatum primo celo, mouet intelligens & appetens cōsequi

nobilis obiectum concludit quod datur primum mouens omnino immobile & secundum motum localem, & secundum motum cause finalis, ita quod non mouetur ab aliquo digniori se, ad quod ordinetur vt ad finem. Sed intelligentia prima applicata & alie subsequentes ordinantur ad ipsum, vt nobilissimu in rota natura, & hic est Deus. Ex quo processu patet, quod probatio propositi est inchoata ab Arist. in 8. phisic. sed completa in 12. metaphisic. sic quidem tenendum est secundum viam nostram, ne deiciamus a doctrina b. Tho. quam tradidit in 1. contra gentes, cap. 13. Sed secundum viam Comment. completa & inchoata fuit in 8. phisic. quoniam extimat Deum esse applicatum primo celo, & mouere vt efficiens & finis sicut manifestabitur infra, quando quaeremus si primum principium mouet primum celum immediate, vt applicatum. Patet etiam, quod rationes sumptae a primo efficiete, & primo mouente, & primo alterate, nisi aliud addatur, non concludunt Deum esse, sed deducunt vsque ad primum celum, sumendo primum celum pro aggregato ex primo corpore caelesti, & prima intelligentia applicata, qua solet dici anima primi coeli.

Et aduerte quod Arist. ad propositum conclusionem non facit ex intentione aliam rationem, licet ex principiis doctrinae sue b. Tho. alias applicet, sicut illam fundatam super maxime verum. Cuius fundamentum trahitur ex 2. metaphisic. textu 4. Et illam fundatam super maxime bonum, cuius fundamentum trahitur ex 10. metaphisic. tex. 12. vbi philosophus habet, quod vbi datur magis & minus differre, datur & maximum, ex quo trahitur, quod in quocunque genere, datur & magis & minus, datur maximum, consistat autem, quod in rerum natura datur magis & minus ens, & verum, & bonum, & perfectum, ergo datur maxime ens & verum, & optimum, & perfectissimum. Hoc autem apud omnes recte sapientes est Deus, ergo &c. Hae de praesenti quaesito dicta sint.

Questio 10. si substantia aeterna est super actum mouens & de necessitate naturae.

At vero si fuerit motuum, aut effectuum non operans autem. Textu 30.

In hac q. erunt duae considerationes. Prima, si substantia aeterna est semper actu mouens. Secunda, si mouet & agit de necessitate naturae.

Quantum ad primam considerationem aduerte, quod esse mouens semper actu, est conditio secundum Aristotelem, non solum conueniens primo principio, sed & omnibus intelligentiis in genere. Nam infra philosophus concludet necessitatem generationis aeternae, quam dicit causari non solum ex motu diurno primi coeli, sed etiam ex motu planetarum sub circulo obliquo. Planetarum autem orbes non mouentur ab vna solum intelligentia, sed a pluribus, vt manifestatur infra, quando inuestigabimus numerum responsiuam substantia aeterna est semper actu mouens, que sic probatur, ex fundamentis positae ab Arist. substantia aeterna non potest esse mouens in potentia, ergo est semper mouens actu, consequentia patet, quoniam cum habeat virtutem mouendi, aut est mouens actu, aut mouens in potentia. Antecedens autem sic probatur, si potest esse mouens in potentia, potest non esse motus, non enim datur motus actu, nisi per mouens actu. Sed motus non potest non esse, vt creditur philosophus se probasse in 8. phisic. a text. 7. vsque ad textum 13. eo quod daretur motus sine mutatio prior prima, & quia posset non esse tempus, quae omnia reputat illic Aristotel. impossibilia, ergo substantia aeterna semper mouet actu, ita quod motus orbium semper fuit & semper erit, & quod haec fuerit mens Aristotel. declarat Commenta. in commen. eiusdem text. 30. vbi inquit. Cum motus aeternus sit, & omnis motus habeat motorem, vt determinatum est, necesse est vt iste motus habeat motorem, qui est actio pura sine aliqua potentia, id est, qua in nulla hora est motor in potentia, si enim non fuerit actio pura, sed cum potentia aliqua hora erit in qua non erit motus ab eo, quia omnis motor cuius substantiae admiscetur potentia, possibile est vt in aliqua hora non moueat, non enim mouet nisi per alium motorem extrahentem ipsum ex potentia in actum, haec Comment.

Et aduerte, quod praedicta conclusio si consideretur, non solum ad mentem philosophi, sed secundum veritatem, potest esse vera, & falsa, aut eadem erit, si ly semper, exponatur non pro omni tempore absolute, sed pro omni tempore quo durat rerum inferiorum generatio, substantiae enim caelorum motrices actu semper, id est, incessanter & sine quiete media mouent donec stat rerum inferiorum generatio. Dicemus enim infra, omnem motum mundi inferioris causari a motu caelorum.

DVODECIMI METAPHY.

Si autem ly semper exponatur pro omni differentia temporis absolute, id est, ab aeterno & in aeternum, falsa est, quoniam cœlum est productum non ab aeterno, ex consequenti, intelligentia non mouet ab aeterno, supponit enim motus motus & mobile, & id tenemus ex fide, licet philosophus sentiat oppositum, cuius rationes soluemus infra, nam de hoc faciemus particulare quaesitum contra Iandunum.

Quantum ad secundam considerationem inuestigabimus. Primo quid dicendum secundum philosophum. Secundo quid secundum veritatem.

Pro noticia positionis philosophi præpono distinctionem de modis agendi ex necessitate naturæ, deinde pertractabitur quædam opinio, & reprobabitur, postremo declarabitur quæ fuerit mens philosophi in hoc.

Distinctio sit hæc. Aliquid potest mouere & agere de necessitate naturæ dupliciter. Primo quia agit per naturam sic, quod præuenit intelligere, & velle, & est illud, quod non agit ex eo quod intelligit sic mouendum, vel sic agendum, sed agit per aliquam virtutem naturalem, eo modo quo dicimus, ignem per calorem calefacere de necessitate naturæ calefactibile sibi approximatum, & homo per calorem naturalem digerit cibum, & Sol existens super orizontem illuminat aerem nostrum. Secundo quod agat de necessitate naturæ, quia licet intelligat quid agendum & quid volendum, tamē non potest non agere quod intelligit, & vult agere, ita quod voluntas est adeo determinata ad agendum, quod non potest in oppositum, & statim intellectus intelligit id quod agendum, & voluntas vult, sequitur ex necessitate actio, verbi gratia. Homo intelligit quid est felicitas, & vult felicitatem, si darentur sibi media sufficientia ad felicitatem, statim & de necessitate naturæ ageret pro assequenda felicitate, quia voluntas habet determinatam & necessariam habitudinem ad felicitatem intellectualem & volitam. Quod substantia aeterna mouens cœlum, moueat de necessitate naturæ, & agat primo modo, nullus sapiens dicit. Cum enim sit substantia mere intellectualis, quicquid agit, agit & mouet, vt intellectum & volitum, ergo non agit de necessitate naturæ primo modo. Præterea ille modus agendi est proprius potentie irrationalis, à qua remoto impedimento, necessario sequitur actio. Tales autem potentie, non sunt in natura mere intellectuali. Vtrum aut moueat & agat de necessitate naturæ

QVAESTIO X.

320

secundo modo secundum philosophum, est varia opinio. Quidam vt Scotus in 1. dist. 8. q. 4. Et Herueus in 2. quol. q. 4. tenent absolute, quod Arist. fuit huius opinionis, ita quod sicut substantia aeterna & præcipue prima, quæ est Deus, intelligit bonitatem suam, & de necessitate naturæ vult eam & amat, ita intelligit cœlum mouendum, & vult illud mouere, & de necessitate mouet, ita quod non potest in oppositum. Et quod hæc fuerit mens philosophi, probabitur in reprobatione sequentis opinionis. Igitur quidam alij dicunt, quod si substantia aeterna mouens cœlum & præcipue prima esset virtus in magnitudine, id est, agens corporeum, vt Sol illuminans, & ignis comburens, moueret, & ageret de necessitate naturæ. Sed quia secundum philosophum omnes substantie motrices cœlorum æternæ sunt immateriales omnino, ideo mouent per modum intellectus & voluntatis, id est, tanta velocitate quantum apprehendunt esse conuenientem, & tanto tempore. Et sic volunt mouere & non per modum naturæ.

Sed si recte consideras, aduerter hanc opinionem concludere, quod substantia aeterna non agit secundum philosophum de necessitate naturæ primo modo distinctionis positæ. Quod si intendit etiam secundo modo, est aperte contra philosophum. Nam vt dictum est in prima parte huius quaestionis, existimat philosophus esse impossibile, quin sit motus, & super hoc fundauit hanc conclusionem, substantia aeterna mouens est actus, quoniam si ei admiscetur potentia, poterit non mouere, possibile est enim, vt illud quod est in potentia, non agat, ex consequenti poterit non esse motus, quod existimat impossibile vt habetur in 8. physic. text. 7. Sed siue sit in magnitudine, siue extra, est actus, ergo non potest non mouere, & non potest non agere, & cum sit substantia intellectualis, mouet, & agit per intellectum & voluntatem, ergo mouet & agit de necessitate naturæ secundo modo distinctionis positæ. Et quod hæc fuerit mens philosophi patet in 12. libro in text. 38. vbi tenet, quod primus motus est necessarius, non ex violentia, sed ex fine. Si necessarius, ergo substantia aeterna à qua est talis motus, de necessitate naturæ mouet, quia scilicet volitas sua ita est determinata ad mouendum, quod non potest in oppositum, nec obstat quod dicit b. Tho. exponens prædictum text. 38. necessitate primi motus subiaceret voluntari Dei, quoniam b. Tho. non intendit aliud, quam excludere necessitatem absolutam à motu cœli, &

concludere necessitatem finis, qui pender à voluntate Dei, de-
terminata tamè immutabiliter ad mouendum, sicut est deter-
minata immutabiliter ad volendum bonitatem suam, & vo-
luntas creata est determinata immutabiliter ad volendum fe-
licitatem.

Sic quidè extimo tenendum secundum philosophum, vt
etiam sentit Scotus & Herueus, vt supra dictum est, nec id ne-
gare b. Tho. modo quo expositum est, nec obstat, quod in 2. cõ-
tra gentes, cap. 23. multiplici ratione probat Deum non agere
ex necessitate naturæ. Non enim illi procedit secundum mentem
philosophi, sed secundum veritatem, cuius signum est, quod in
fine cap. dicit patere errorem quorundam philosophorum, qui
posuerunt Deum agere per necessitatem naturæ, inter quos &
Arist. numerandus est, licet ipsam non expresserit b. Tho. Dico
insuper, quod in illo cap. b. Tho. format rationes, quæ pro ma-
iori parte concludant Deum non agere de necessitate naturæ
primo modo distinctionis positæ, quod conceditur etiam ab
Arist. qui cognouit Deum agere per intellectum & voluntatè.

Nunc autem inuestigandum est, quid tenendum sit secun-
dum veritatem, pro cuius euidencia aduerte, quod aliud sen-
tiendum est de Deo, aliud de aliis intelligentiis.

Quantum ad Deum, sit hæc firma conclusio, Deus nec mouet
nec aliud agit extra se de necessitate naturæ secundo modo di-
stinctionis positæ, sed mere libere, probatur. Quicunque vult de
necessitate naturæ aliquem finem, non est necesse quod velit,
nec agat ea, sine quibus potest assequi & possidere finem neces-
sario volitum, sed si vult & agit, hoc erit mere libere, nam fa-
ctum est dicere, infirmum volentem immutabiliter sanitatem,
velle immutabiliter medicinam, quam scit non casualitiam
nec inuatiuam, nec citius auxiliaturam in consequenda sani-
tate immutabiliter volita, sed si vult & procurat eam, hoc erit
mere libere. Sed Deus de necessitate naturæ vult bonitatem
suam vt finem, & nulla creatura est necessaria Deo, vt habeat
bonitatem suam nec vt melius, nec vt citius habeat, aliter di-
uina perfectio penderet ab esse creaturæ, quod & Arist. & om-
nis recte sentiens de Deo negat. Nam in 7. politico, dixit philo-
sophus, quod Deus seipso solo beatus est, ergo Deus tantum
bonitatem suam vult de necessitate naturæ, quæcunque au-
tem extra se non necessario, sed mere libere vult & agit.

Quantum autem ad alias intelligentias mouentes orbem,
poni

ponitur hæc conclusio. Licet nõ moueat nec agat in his inferiori-
bus de necessitate naturæ propter perfectionem suam essentialem
& naturalem acquirendam, tamen non est inconueniens, quod
moueat & agat per motum in his inferioribus ex necessitate
naturæ propter perfectionem suam accidentalem, siue secun-
dariam acquirendam. Pro intellectu huius conclusionis aduer-
te, quod naturalis perfectio intelligentiæ consistit intelligen-
do primum motorem, ex cuius intellectione sunt intelligen-
tiæ mouentes in optima dispositione, vt dicemus, quando que-
remus si in primo principio est, delectatio excellentissimo
modo. Consistit etiam intellectione suæ propriæ substantiæ
& aliarum intelligentiarum, & quo ad hanc perfectionem af-
sequendam non iuuantur motu orbium, quoniam intelli-
gunt primum motorem per essentiam primi motoris, & sei-
ptas per seipsas, & vna aliam, aut per essentiam intelligentiæ
intelligentis, aut per essentiam intelligentiæ intellectæ, aut
per speciem innatam, representatiuam, intelligentiæ in-
tellectæ.

Ex his autem, modis quis verior sit, manifestabimus infra,
quando quaeremus si in abstractis est idem intellectus, res in-
tellecta, & intellectio. Accidentaliter autem perfectio earum
videtur causari, ex eo quod mouent orbem, nam per huiusmo-
di motum producantur inferiora & sic assimilatur primo mo-
tori, qui, vt dicemus infra, cõrinet in se virtualiter omnia pro-
ducibilia, & intelligentiæ deducunt ea ad actum per motum
orbium, vt declarabimus infra, quando quaeremus, si primus
motor mouet cælum, vt finis amarus.

Quoniam ergo omnes cause secundæ agentes perficiuntur
sua actione, ideo vt intelligentiæ assequantur suam accidenta-
lè perfectionem, de necessitate naturæ mouent orbem, & non pos-
sunt velle oppositum, donec sua accidentaliter perfectio comple-
ta fuerit. Et huic intentioni videtur facere Commenta, licet lo-
quatur de omnibus substantiis abstractis, includendo primum
motorem, & quo ad suam perfectionem simpliciter. Tu vero
accipe dictum suum de omnibus intelligentiis mouentibus,
excluso primo motore, & quo ad secundariam perfectionem.

Sic igitur inquit in hoc 12. in commen. 48. Commen. enim
posuerimus, quod nulla substantia abstracta est, quæ non mou-
eat, quia tunc inueniretur in dispositione diminuta, id est non
completa in sua perfectione. Et cū posterimus, qd omnis orbis

DUODECIMI METAPHY.

est propter stellam, & si non esset ociosum, manifestum est, qd via numerandi istas substantias abstractas, est via numerandi motum stellarum. Hæc de præsentî quæstio dicta sint.

Quæstio 11. Si substantia æterna mouens, ita est actus, quod nullo modo sit in potentia.

Oportet igitur esse principium tale, cuius substantia est actus. Tex. 30.

In hac q. aduerte vnum, antequam resoluamus propositum, Arist. tex. præposito, adhuc intêdit loqui de substantiis æternis mouentibus in genere, & non solum de primo principio, licet dicat, oportet igitur esse principium tale &c. Quod patet ex duobus.

Primo ex eo quod immediate subiungit dicens, Amplius igitur tales oportet esse substantias sine materia, ex quo sequitur, quod illas substantias quas probauerat esse sine potentia, sed esse actus, esse etiam sine natura.

Secundo patet idem ex Commen. qui exponens præpositum in tex. in comen. 30. inquit, Quia istæ substantiæ sunt mouentes sine aliqua potentia, necesse est vt sint sine aliqua materia, cum necesse est, vt sint æternæ, omne enim æternū est actio pura, & omne quod est actio pura nō habet potetiam, ex quibus patet, qd apud philosophum & Commen. carere potentia in substantia sua, esse substantiam que sit actus esse sine materia, esse æternum, est conueniens omni substantiæ abstractæ, & non tantum primo principio. Hoc prænotato, sic procedemus in resolutione quartæ. Primo videbis quid dicendum sit ad mentem philosophi & Commen. prout verba sua sonare videntur. Secundo quid dicendum secundum veritatem.

Quantum ad primum duo agenda sunt. Primo ponitur conclusio responsi iuxta illud quod sonant verba philosophi, & Commen. Dico iuxta illud &c. quoniam infra, quando quaeremus, si primum principium secundū Arist. est productiuū omnium extra se, ad mentem b. Tho. dandus est alius sensus Arist. quia verba sua hic sonent. Determinabitur enim quod si intelligentiæ sunt productæ, non sunt purus actus, sed hæc est proprietas primi principij.

Secundo inuestigabitur quantum valeat secunda ratio philosophi quam formabimus in probatione proponendæ conclusionis.

QVAESTIO XI.

322

Conclusio sic hæc, Omnis substantia abstracta secundum philosophum est purus actus secundū substantiam, & in ea nullo modo est potentia. Hæc conclusio sic potest extrahi ex tex. philosophi. Sic enim arguit in præsentî textu. Omnis substantia æterna semper actu mouens est talis, qd eius substantia est actus & non potentia. Sed omnis substantia abstracta est substantia æterna semper actu mouens, ergo est talis, qd eius substantia est actus & non potentia. Maior sic probat, quia si in eius substantia esset potentia, contingeret non mouere, contingit enim potentia ageas non agere, & sic posset non esse motus omnino, quod philosophus reputat impossibile ex 8. phisic. tex. 17.

Minor autē habetur infra in tex. 43. in fine, vbi philosophus concludit numerum substantiarū separatarū secundū numerū motuum, & Commen. inquit in comen. 44. Er ideo dicit Arist. qd si aliqua substantia essent nō mouentes, essent ociosæ, secundo sic arguit in eodē tex. 30. Mouens in cuius substantia est potentia, contingit non esse, & sic est corruptibile, sed nulla substantia abstracta potest nō esse, quia est æterna secundū philosophū & nullum æternum potest nō esse, ergo in nulla substantia abstracta est potentia, ex consequenti eius substantia est actus, & quod hæc conclusio sit etiam de mente Commen. patet in comen. tex. 30. vbi inquit, Omne æternum est actio pura, & omne quod est actio pura, non habet potentiam patet autē, qd omnis substantia abstracta secundū philosophū & Commen. est æterna, ergo non solum primum principium, sed & omnis substantia abstracta est actus purus secundum substantiam, & nullo modo ei admiscetur potentia, vnde comen. in eodē comen. inquit, Necesse est, vt isti motori, scilicet æterno non admisceatur potentia omnino, neque in substantia, neque in loco, neque in alio modorum potentie.

Postea probatione conclusionis, videndum est quantum valeat secunda ratio ad ducta, nā primo aspectu propositio maior que fuit ista, Mouens in cuius substantia est potentia, contingit non esse, & sic est corruptibile. Hæc inquit nō videtur vera, etiā ad mentē philosophi & Comen. nā secundum eos, & veritas est intellectus possibilis est in pura potentia passiva ad speciem intelligibilem, eo quod nullam ex sui natura ex se habent, propterea potentialis siue possibilis vocatus est in 3. de anima tex. 5. & in tex. 3. dicitur susceptiuus speciei & potentia huiusmodi, & tamen est incorruptibilis secundum Comen. & secundū philo.

DUODECIMI METAPHY.

ut determinatur est in 3. de anima. ergo &c. Præterea, Cœlum, dato etiam q̄ haberet materiam, ut opinatur Commen. est in potentia ad diuersa, ut ibi patet, & tamen non potest desinere esse. ergo maior secundæ rationis est falsa.

Hanc objectionem videbis solutâ in lib. 9. in q. 17. vbi declarauit, quomodo hæc propositio est intelligenda, omnis potētia passiuâ est potentia contradictionis, & illic inuenies, quomodo vnumquodque eo modo quo est in potentia est corruptibile, & quomodo secundum Commen. non inuenitur in aliquibus æternis inueniri aliquem modum potētiæ passiuæ.

Quantum ad secundum principale, scilicet quid tenendum sit secundum veritatem, duo agenda sunt. Primo præponetur distinctio de potētia. Secundo conclusiones responsiuæ.

Distinctio sit hæc potētia duplex, scilicet actiua & passiuâ, quid sit, & quomodo distinguantur, iam declaratum habes in epist. nostro metaph. super lib. 5. in ca. de potestate, vide illic, potētia actiua & passiuâ, iterum sic distinguatur, quedam cōiuncta actui, ut ignis actu calefaciens, & à quo actu calefacta, quedam separata ab actu, ut edificator potens edificare, & domus edificabilis.

Prima conclusio, in princip. non est potētia passiuâ vllō modo, quia nec cōiuncta actui, nec separata ab actu, probatur, potētia pass. etiam cōiuncta actui, denotat imperfectionem vel diminutionem perfectionis in eo in quo est, ergo non est in primo principio, consequentia nota, quoniam conditio primi princ. est esse vniuersaliter perfectum, ut patet in 5. metaph. sic in c. de perfecto. Antecedens autē sic probatur, si potētia passiuâ est separata ab actu, qui est perfectio sua, signat carentiam perfectionis, ergo illud in quo est talis potētia est imperfectum: si est cōiuncta actui, signat defectum & diminutionem perfectionis in eo in quo est, quoniam indiget perfici alio ipse, ergo quocumque modo suscipiatur, denotat imperfectionem vel diminutionem perfectionis in eo in quo est.

Cum igitur hæc repugnant primo principio nullo modo est sibi attribuenda potētia pass.

Secunda conclusio, in primo princip. est excellentissime potētia actiua: probatur, potētia actiua importat simpliciter perfectionem & excellentiam in esse actu, & in entitate, ergo est excellentissime in primo princ. consequentia nota, quoniam cum primū prin. habeat rationē optimi absolute etiâ secundū

QVAESTIO XI.

323

Aris. in hoc 12. in tex. 39. vbi appellat Deum viuens siue animam sempiternam & optimam, quicquid perfectionis est, aut potest dari, est in eo formaliter vel eminenter. Antecedens autem sic probatur, vnicuique conuenit agere secundum quod est in actu, ut declaratum est in lib. 9. & quanto magis est perfectum in actu, tanto magis est natum agere & excellentius, vnde qui habet perfectiori modo artem cytharizandi excellentius cytharizat, sed potētia actiua est illud, secundum quod competit alicui agere, ergo importat perfectionē simpliciter. Cum igitur primum princ. sit maxime & excellentissime actu, sequitur q̄ est aptum excellentissime agere, & per consequens est in eo excellentissime potētia actiua, vtrum autem potētia actiua primi principij respectu rerū ad extra semper sit cōiuncta actui secundum veritatem, manifestabimus infra, quando quaeremus, quid tenendum sit de duratione mundi. Dixi autem respectu rerum ad extra, quoniam secundum actionem immanentem, puta vt primū principium intelligit se, & amat, & delectatur seipso, semper est cōiuncta actui, etiam secundum philosophū in hoc 12. in tex. 39. & in tex. 50.

Tertia conclusio, in omnibus intelligentiis præter quam in primo principio est potētia passiuâ. Hæc probabitur in quaestione sequenti, in qua quaeremus si in aliquo sensu est materia in intelligentiis.

Quarta conclusio, in omnibus intelligentiis datur potētia actiua, probatur, intelligentiæ mouent corpora cœlestia, ergo habent potētiā motiuâ, si motiuâ ergo actiuâ, est enim motiuâ principium quo mouens mouet & transmutat aliud, ergo &c. Sed dices, Hæc probatio non concludit de omnibus intelligentiis, sed tantum de his que mouent orbem. Sed vltra illas dantur aliæ secundum veritatem, quæ non sunt mouentes orbem.

Respondetur, probatio facta concludit in via philosophi, quia non dantur plures secundum ipsum, ut declarabitur infra. Quia tamen secundum veritatem dantur aliæ, ideo probatur vniuersaliter de omnibus sic. Quælibet natura est propter operationem propriam quantumcunque vilis sit, aliter ociosa esset in vniuerso, q̄ non admittitur, ergo habet in seipsa principium, quo potest in operationem propriam, aliter Deus & natura desiceret in necessariis. Tale autem principium est potētia actiua, ergo &c.

DUODECIMI METAPHY.

Er aduerte, quod talis potentia respectu aliquorum obiectorum est semper coniuncta actui, ut intelligentia semper intelligit primum princ. etiam secundum philosophum, ut patet in hoc 12. text. 39. & semper intelligit se. Respectu autem aliorum obiectorum, non est necesse, quod semper sit coniuncta actui. Potest enim pro hac hora intelligere hominē, & pro alia lapidem. Sed de his pertractare ad theologum spectat, ideo nō est hic immorandum. Hac de presenti quaestio dicta sint.

Quaestio 12. Si substantiae mouentes abstractae sunt sine materia.

Amplius igitur oportet tales esse substantias sine materia. Text. 30.

In hac quaestione sic procedes. Primo ponitur distinctio de materia. Secundo conclusiones responsur, quarum aliquae erunt secundum philosophum & Comment. prout verba philosophi sonare videntur, quaedam autem secundum veritatem.

Distinctio est haec. Materia dupliciter sumitur. Primo pro vera materia & proprie dicta, quae est ens in pura potentia & pars compositi. Secundo pro omni subiecto perfectibilitatis pro omni potentia receptiva cuiuscunque sit perfectionis, in quo sensu apud philosophum in 3. de anima, intellectus possibilis dicitur materia in genere intelligibilium, quoniam est perfectibilis per speciem intelligibilem, & habitum scientiae, sicut materia perficitur forma naturali, & breuiter omne habes potentiam passiuam sine receptiuam alicuius sui perfectiui, potest dici materia.

Prima conclusio, quae est vera & secundum philosophum & secundum Comment. & secundum veritatem, nec in primo principio nec in aliis intelligentiis est materia primo modo sumpta. Aduerte, quod philosophus eam sic probat, nullum sempiternum habet materiam primo modo sumpta. Primum principium & aliae intelligentiae sunt substantiae sempiternae, quoniam mouent motu sempiterno, ergo &c.

Maior sic probatur, ubi est materia primo modo sumpta, ibi est potentia, scilicet passiuam, quoniam materia dicit ens in pura potentia. Sed nullum sempiternum habet potentiam passiuam: ut dictum est de mento philosophi in quaestione praecedenti, ergo &c.

QVAESTIO XII.

324

Aduerte, quod licet conclusio posita sit vera in se, tamen ratio adducta à philosopho non est vera in se. Nam quo ad intelligentias minor est falsa, cum secundum veritatem nullam extra deum sit aeternum. Maior etiam est falsa, si sumatur materia primo modo, sicut subiecta priuationi, sine non subiecta. Nam si volumus sustinere b. Tho. qui tenet de mente philosophi, coelum esse aeternū, & in coelo esse materiam, quae est pars compositi, scilicet alterius rationis à materia inferiorū, ut haec omnia determinauimus in lib. 8. q. 12. de mente b. Tho. cetera Comment. constat, quod maior est falsa, coelum enim est aeternum, & habet materiam primo modo sumptam secundum philosophum, ut sibi attribuit b. Tho. si autem sequeremur viam Comment. Maior esset concedenda, quoniam ut declarauimus in lib. 8. in q. 12. apud ipsum est sicut principium: quod ubi est materia pars compositi, illic est generatio & corruptio, ut clare videre poteris in 8. lib. Metaph. in cōmen. 12. Ut igitur sustineamus b. Tho. coelum fuisse de materia coeli ad mentē philosophi, non possumus sustinere maiore rationis inducta, esse verā. Cum ergo conclusio praeposita sit vera, & secundum veritatem & secundum philosophum, querenda est ratio, quae propositum vere concludat.

Aduerte igitur, quod philosophus in hoc li. 12. in text. 41. vult alia ratione, qua possumus concludere propositum sic. Omne carens magnitudine, id est, quantitate dimensiona, est immateriale: quia non datur materia sine quantitate, sed primum principium & intelligentiae carent magnitudine, cum sint impartibiles & indiuisibiles, ut probatum est in 8. physic. ergo &c.

Præterea, docuit philosophus in 3. de anima, in text. 5. & in text. 11. q. necesse est intellectū esse immateriale, & hac de causa, nullum materiale intelligit, nisi denudetur à conditionibus material. ex quo sic arguitur. Quilibet substantia intellectualis eo modo quo intellectualis est, est immaterialis, unde quia homo est intellectualis, ergo substantia secundum se tota intellectus actualis est secundum se tota immaterialis, sed primum principium & intelligentiae secundum omnes recte sentientes, sunt substantiae secundum se totae intellectuales, unde & mentes dicuntur, ergo secundum totam suam substantiam sunt sine materia. Iste sunt rationes quae videntur magis concludere propositum.

Iandū autem in li. 12. in q. 9. adducit tres rationes, quarum prima est nullum æternum habet materiam, quia dicit Comment.

in 1. cœli commen. 49. abscissio à materia est causa perpetuitatis. Sed prima substantia est æterna, ergo &c.

Hæc ratio, vt diximus, non concludit, nisi in via Comment. & tu in via b. Tho. vt te docui habes negare maiorem.

Secunda est. In prima substantia nulla cadit priuatio, nec imperfectio, ergo in ea non est materia, consequentia probatur, quia priuatio & imperfectio est annexa materia, vt proprium accidens. Antecedens autem patet, quoniam in 5. metaphy. ca. de perfecto. Prima substantia est perfecta per hyperbolem.

Hæc ratio non concludit, nisi de primo prin. Nam esse perfectum per hyperbolem est conditio propria primi prin. vt dicit Comment. veritate coactus in 5. metaphy. super c. de perfecto. Præterea, consequentia sua non valet, nec probatio. Nam falsum est quod priuatio & imperfectio sint annexa materia, sumpta primo modo, vt proprium accidens. Nam inueniuntur in intellectu possibili, ex 3. de anima, text. 5. & in corpore ecelesti, vt patet de luna patiente eclipsum, & tamē in cœlo secundum Commentat. quem sequitur Iandun. non est materia sumpta primo modo, ergo &c.

Tertia ratio, si prima substantia haberet materiā, nō esset prima substantia, quia oē cōpositū est posterius suis cōponētibz.

Hæc ratio, cōcludit solum de primo principio, quod solum est prima substantia, sicut est primum eius, prima causa, intentio autem philosophi est, negare materiā primo modo sumptam ab omni substantia abstracta: vnde rationes adductæ à Iandun. parum deseruiunt conclusioni præpositæ.

Secunda conclusio, quæ est vera secundum philosophum & secundum se, in primo prin. non est materia secundo modo sumpta, probatur. in eo non est potentia passiva per quæstionē præcedentem, & secundū philosophū in 5. lib. c. de perfecto, habet enim in se omniū generum perfectiones, ergo non est perfectibile aliquo alio, ergo nō est in eo materia secundo modo dicta, consequentia patet, quoniā materia secundo modo dicta est subiectū receptiū cuiuscunque perfectionis ab extrinseco.

Tertia conclusio, intelligentiæ licet pro quanto sonant verba philosophi non habeant materiā 2. modo dictam, habent tamen secundū veritatem. Prima pars patet per quæstionem præcedentem. Nam huiusmodi materia est potentia passiva quam probauimus secundum philosophum, non esse intelligentiæ, prout eius verba sonant, ergo &c.

Secundam autem partem probo sic. Actio intelligentiæ non est substantia sua, sed accidens, ergo substantia sua comparatur ad actionem, vt subiectū perfectibile ad perfectionem suam. Sed subiectū perfectibile dicitur materia 2. modo, ergo &c. consequentia nota. Antecedens autē probabitur, quādo determinatū fuerit infra, intelligentiæ esse effectiue à Deo. Nam si sunt productæ sicut non habet esse à se, sic nec perfectionem suam, vnde comparantur ad perfectionē suam, vt potentia passiva ad actum. Tu igitur sustine, & expecta probationem illius antecedentis, donec probatum fuerit primum prin. esse productiuum omnium. Hæc de præsentī quæstio dicta sint.

Quæstio 13. Si cœlum agit in hæc inferiora, & quomodo.

Si igitur idem est semper & circulariter, necesse est vt agar sic per se & sic per alterum. Tex. 37. Vbi inquit Commen. Quæ autem faciunt actiones diuersas sunt quæ mouentur orbibus declinibus, & maximus eorum est sol, &c.

In hac quæstione aduerte, quod est vnum cōfessus ab omnibus, eo quod sensui patet, scilicet cœlum agit in hoc mundo inferiori, tam in elementis quā in elementatis, vnde philosophus in princ. primi meteororum dixit, mundū inferiorem gubernari lationibus superioribus, & in princ. 8. lib. phy. ponit motum cœli vt vitam, omnibus natura subsistentibus. Supposito igitur vt concessio ab omnibus, cœlum agere in hæc inferiora, tria in hac quæstione agenda sunt. Primo quot modis agit in hæc inferiora. Secundo quo medio. Tertio adducentur quædam dubia & soluemus.

Quantum ad primum dico, quod regulariter duobus modis agit in his inferioribus, primo respectu multorū effectū quos videmus, agit vt causa particularis sufficiens sine concursu alterius agentis specialis, & hoc declaratur in elementis, & deinde in elementatis, nam in elementis videmus illuminationes fieri, vt in aere, & in aqua, ad solam præsentiam solis, & aliarum stellarum, remoto quocunque alio luminoso, & videmus elementa tria calefieri à sole & stellis, omni alio calefacti uo remoto, ergo &c. & aduerte quod non solum in elementis videmus aliquos effectus causari, tantum à cœlo, sed & supra elementa, vt illa impressio dicta galaxia, id est, lactea, de qua satis locuti sumus in epitomi nostra in primo meteor. in tra.

DVODECIMI METAPHY.

2. in ca. 1. ubi declarauimus quid sit a quo effectiue fit, & in quo subiectiue fit. Illic videbis, quod causatur a solis stellis minutis existentibus in orbe stellarum fixarum, & in eodem orbe subiectiue recipitur. Idem intellige de illuminatione lunæ & solis, in elementis autem id videmus in multis vegetabilibus & animalibus, quorum generatio nō est a sibi simili in specie, vt quæcunq; generantur ex putrefactione. Certum est enim q̄ cum generationes sint singulariū, oportet illis designare causam particularem, quam non possumus assignare, nisi corpus celeste, quod agit in huiusmodi generatis vice seminis, vt iam docuimus in li. 7. metaphy. q. x. & 11. & ad hoc apertam habemus mentem Comment. in 7. metaphysic. commen. 13. vbi loquens contra Auit. extimantem omnem formam substantialem causari in materia ab intelligentia agente, inquit, Apparebit quod semina sunt illa, quæ dant formas rerum generatarum a feminibus per formas, quas dederunt semina generantia, ita generabilibus autem non ex se, id est, a casu apparebit, quod corpora celestia sunt illa quod dant istis aliquid loco seminis, & virtutum quæ sunt in semina &c.

Secundo, Respectu omnium quæ sunt ab agentibus particularibus in hic inferioribus agit cœlum, vt causa vniuersalis, cui subordinatedur omnia agentia particulari, ita quod & cœlum & agens singulare sint duæ causæ partiales, quæ simul iunguntur constituunt vnum totalem. Et quidem sic manifestantur. Agentia inferiora siue sint elementata siue elementata, nullam habent actionem realem physicam cum transmutatione materię, siue transmutatio sit ad formam substantialem siue accidentalem, nisi concurrente cœlo, ergo se habet vt primum & vniuersale agens, consequentia nota, & probatur antecedens omne quod naturaliter fit in his generabilibus & corruptibilibus necesse est reduci in aliquam causam naturalem ingenerabilem & incorruptibilem. Sed hæc causa non est, nisi corpus cœlestis, ergo &c. Probatur maior, sicut omne mobile oportet tandem reduci ad aliquod immobile, quod est causa omnis motus, ea q̄ in mouentibus & mobilibus non est procedere in infinitum, vt iam probauimus in 2. lib. etiã de mente philosophi, sic necesse est reducere omne generabile, & omne generationem naturalem in aliquod ingenerabile & incorruptibile, qd sit causa vniuersalis omnium, quæ generantur in his inferioribus. Hoc autem non est primum principium, quia non dispo-

QVAESTIO XIII.

326

nit immediate per se ipsam hæc inferiora, sed per causas medias. Hic autem intendimus de causa, quæ immediate concurrerit ad generationem, & omnem transmutationem rerum inferiorum. Nec est aliqua ex intelligentiis, quoniam secundum veram philosophiam, non mouent per se ipsas materiam ad formam, patet autem quod in omni transmutatione, cuius terminus est forma, mouetur ab agente materia ad formam, necesse est ergo, vt vniuersale agens ad quod immediate reducitur omnis transmutatio inferiorum, sit agens corporeum ingenerabile & incorruptibile, quod sit aptum naturaliter agere & mouere materiam ad formam. Hoc autem agens corporeum non potest esse, nisi cœlum, solum enim inter agentia naturalia est ingenerabile & incorruptibile, cum non sit de natura quatuor elementorum vt probatur in primo cœli.

Præterea, illud videtur vniuersale agens in his inferioribus quod agit ad vitam omnium viventium. Hoc autem est cœlum, vnde Comment. in 2. cœli commen. 63. Principium vitæ quod est in orbe, est causa omnis vitæ, & in 12. metaphysic. commen. 18. Sol, stellæ, & aliqua sunt principium cuiuslibet viui in natura.

Quântum ad secundū, scilicet quo medio agit, aduerte, quod non est assignandum vnicuique medium, quoniam cum cœlū & astra inducant in his inferioribus non solum colorem, sed & alias qualitates, vt manifestabim⁹, ideo alio medio causant colorem, alio siccitatem, alio humiditatem, &c. Ad manifestationem igitur propositi ponemus duas conclusiones.

Prima conclusio. Cœlum & astra causant in his inferioribus calorem lumine, & motu, probatur, lumine quidem, quoniam lumen ex natura sui est calefactiuum in materia receptiua caloris, qualia sunt tria elementa inferiora, cuius signum est, vt notat Commentator in 2. cœli commen. 42. quod videmus loci ex vmbre esse frigida. Cum igitur posuerimus corpus rerum a quo radij luminosi reflectuntur ad locum in quo radij non erant ante, videmus illum locum calefieri, & ante erat frigidus, & si illud corpus auferamus, auferetur reflexio, & refrigerabitur locus. Igitur ex hoc apparet, q̄ radij calefaciunt per se, id est, ex sui natura. Quod etiam motu causetur calor, declarat philosophus in 2. cœli, text. 42. vbi inquit. Natus est enim motus ignis, & lapides, & ligna, & ferrum, vbi inquit Comment. Diximus quod partes orbis in quibus sunt stellæ, calefaciunt

aerem per motum, quia ipse motus calefacit ferrum, & lapidem, & cum motus calefacit ferrum, & lapidem, quamuis sint multum remota à natura ignis, dignior est calefacere aerem, qui est propinquissimus naturæ ignis, hac Comment. & aduerte, quod hæc probatio est ex sola experientia, per quam scimus, quia sic estis autem queras, propter quid motus cœli & lux sint causatiua caloris, diximus iam in epitomate nostro in secundo cœli in tracta. secundo, in cap. 1. Vide tu illi hic ne inutiliter fiat repetitio.

Et iterum si queras, utrum lux astri causet calorem sine motu. Dico, quod non, ut etiam magis manifestabitur infra. Sed coniunctim, ita quod lumen cum motu, nam licet lumen ex natura sui sit productiuum caloris, tamen non exit in aërum, nisi per motum, ita quod est quasi vehiculum, & conditio requisita in huiusmodi calefactione. Motus autem non est causatiuus caloris, nisi in materia disposita ad receptionem caloris, & hac de causa sphaeræ intermediæ inter solem & elementa non calefiunt motu solis, quoniam non sunt corpora calefactibilia. Nec illuminabilia, quoniam sunt diaphana. Et quod calor causetur à cœlo, lumine, & motu simul, confirmatur per Comment. in 2. cœli comment. 42. ubi inquit, lumen est calefaciens per se motu & lumine. Ex his sequitur corollarie, quod motus secundum quod vnitur distinctis qualitatibus, quæ sunt in mobili, est causatiuus diuersum qualitatum. v. g. Motus locati Saturni, quoniam vnitur qualitati virtualiter frigida existenti in Saturno, ideo Saturnus per motum suum inferiora infrigidat. Mars exiccatur, luna humectatur.

Secunda conclusio. Astra non solum causant calorem in his inferioribus, sed etiam frigiditatem, siccitatem, & humiditatem. Hæc conclusio magis constat nobis experientia, quam ratione. Experimur enim quod post longum & intensum calorem, quasi momentaneæ causatur in aere, longa & intensa frigiditas, non solum in hyeme, sed in vere, in aestate, in autumno, stante etiã quasi eadem propinquitate, & elongatione solis à nobis. Vnde solent appellari huiusmodi tempora irregularia, experimur & vno anno in eodem climate, & in eodem parallelo, hyemem duram & rigidam, in alio anno hyemem mitem & remissam, experimur aliquibus annis largissimam siccitatem, in aliquibus oppositum, vnde non est dicendum id prouenire ex sola elongatione vel propinquatione solis ad nos, sed ex qualitatibus

virtualibus existentibus in astris ultra lucem suam. Ex quibus sequitur corollarie, quod ut astra causent in inferioribus, non solum calorem, sed & alias primas qualitates, necesse est ut habeant ultra lumen alias virtuosas qualitates. Nam per lumen quod ex natura sua est productiuum caloris, omnia astra ut luminosa calefaciunt & illuminant. Si ergo Saturnus infrigidat, Luna humectat, Mars exiccatur, Iupiter viuificat, necesse est, ut hæc proueniant ab astris, non ex lumine, sed aliis virtutibus sibi propriis.

Sed contra hanc conclusionem videtur esse Commentator, qui in secundo, de cœlo, comment. 42. sic inquit, & ideo considerantes operationem stellarum in aliquo tempore, attribunt quibusdam partem calorem, & siccitatem, ut Soli, & quibusdam frigiditatem, & humiditatem, ut Lunæ, quibusdam frigiditatem & siccitatem ut Saturno, & quibusdam masculinitatem, ut Saturno, quibusdam femineitatem, cum in rei veritate non agunt frigiditates, sed calores similes vnique elementorum. Sed hoc manifestum est in Luna, quæ operatur in aquis manifeste. Et non extimo quod Auicenna dicit, quod faciunt frigiditatem & calefactionem.

Et hoc est remotum & extra fundamentum, sed si fuerit, erit per comparationem, hæc Commentator. In quibus intendit, quod stellæ agunt tantum calorem, & si dicantur aliqua stellæ infrigidare, hoc non est nisi comparatiue, id est, quia minus calefaciunt, ergo secunda conclusio est falsa.

Ad hoc respondetur dupliciter. Primo si volumus, ut Thomistam deceat, tenere sensum beati Thomæ, negãtus est Commentator in hoc, quoniam Comment. vult omnes stellas esse eiusdem speciei specialissimæ, ut patet in secundo cœli in comment. 42. & per consequens, non habet virtutes varias & distinctas specie, nec productiuas effectuum distinctorum specie, quales sunt calefacere, & infrigidare. Sed b. Thomas sentit oppositum & impugnat Commentator in secundo cœli, in lect. 16. Præterea b. Tho. defendit Auic. cuius dictum non extimauit Commentator, & arguit contra Comment. ut videre poteris in secundo cœli, lect. x. & hæc omnia resolute tetigimus in epitomate nostro in 2. cœli in trac. 2. in cap. 4. Quæ non sunt hic repetenda. Sed vide tu.

Dicitur secundo, quod Commentator in hoc dissentit ab astronomis modernis, id est, qui fuerunt post Calipsum & Eudoxum,

DUODECIMI METAPHY.

vt Ptolomæus, & alij post eum, qui posuerunt eccentricos & epiciclos, & varias virtutes in planis, ultra locum. Et conatus semper fuit Commentator destruere eorum radices, vt patet in 12. metaphysic. in commento 45. Sed non prævaluit, vnde in eodem cōmento inquit, In iuuentute mea speravi, vt hæc perferatio completeretur per me, in senectute autem iam despero, & omnia argumenta quæ format contra Ptolomæum, nos soluemus infra, quando quareremus, si est necesse dare eccentricos & epiciclos, & quoniam positionem suam qua negat in 1. celi, commento 42. stellas infrigidare & exiccare, non probat, sed vult acceptari ex sua mera autoritate, ideo vt sequētes sensum moderatæ astronomiæ, & quoniam experientia docuit nos oppositam, negamus dictum suum.

Quantum ad tertium principale, mouenda sunt quedam dubia contra determinationem factam. Et primo circa efficiētiā cœli in inferioribus. Secundo circa motum. Tertio circa lumen.

Quantum ad efficiētiā cœli aduerte, quod quidam tenent cœlum non agere in his inferioribus efficiēter, & proeundo per virtutem influxam, sed tantum determinando agentia particularia ad effectus suos, & dicunt, quod si cœlum quiesceret, & nihil indueret per motum suum in hoc mundo inferiori, licet elementa & formæ eorum substantiales & accidentales non sufficerent ad generandum mixtum sine virtute cœli influxa per modum determinantis, nec vnum mixtum esset sufficiens ad generandum aliud mixtum, sufficerent tamen elementa secundum formas suas substantiales & accidentales, ad generationem suam, vt quod ignis generaret ignem, & calor calorem. Et ratio positionis suæ est, quia extimat quod cause superiores respectu effectus causarum inferiorum non habent aliquam causalitatem in eliciendo, vel comproduendo sed tantum determinant agentia inferiora ad effectus suos. Cum igitur elementa per suas formas substantiales sint determinata per se ad suos proprios effectus, & calor sit determinatus per se ad calefaciēdum, posito quod cœlum quiesceret, adhuc producerent effectus suos. Mixtum autem non est ex se determinatum ad proprium effectum, sed per qualitates naturales actiuas & passiuas. Nec etiam iste qualitates sunt omnino ex se determinate, quoniam cum sint communes omnibus mixtis, in nullo determinatæ sunt quin possint aliter & aliter

QVAESTIO XIII.

328

disponere, ergo indigēt determinari per motum cœli pro genere mixto. Hanc suam imaginationē dicunt esse de mente Commentator. in 7. metaphysic. commen. 31. Qui loquens contra Auicennam, de intelligentia dante formas dicit, quod in his quæ generantur sine semine, cum considerata fuerit demonstratio Aristotelis, apparebit hic, quod corpora cœlestia sunt illa, quæ dant istis aliquid loco seminum & virtutum, quæ sunt in seminibus, ex hoc dicto sic arguitur, si corpora cœlestia in non habentibus semen sunt agentia loco seminum, ergo in habentibus semen non agunt, si ergo concurrunt, concurrunt solum in determinando agens particulare. Præterea, Commentator laudans virtutem formatiuam quæ est in semine, dicit in 7. metaphysic. commen. 31. quod est virtus diuina, & quod agit modo intellectus operatiui, & non agit per instrumentum corporale, nec determinat sibi membrum proprium, quod enim agit per calorem, qui est in semine, hoc nō est ita, quod sit forma in talibus seminibus, sicut anima est forma in corpore naturali, sed ita est inclusa in eis sicut anima, id est, intelligentia in corporibus cœlestibus. Ex quo dicto sic arguitur Comment. ponit quod agentia generationē sunt calor in semine & virtus formatiua, vt diuina, quæ est quedam virtus non in semine, sed in principali generante & assistens semini, sicut intelligentia cœlo. Si igitur Comment. se extimat ponere sufficiētiā agentia generationis in his quæ generantur ex semine, ponendo agens coniunctum vt calorem in semine, & agens assistens, id est, virtutem formatiuam, non est necesse ponere cœlum concurrere vt efficiens, sed vt determinas & regēs generationem. Non ergo cœlum habet efficiētiā, sed determinationem in generatione inferiorum, & aduerte, quod hæc imaginatio attribuitur Henrico quolib. 14. quæstio. 1.

Sed hæc opinio ideo decipitur, quia non considerat ordinē & nexum, qui est inter agentia naturalia inferiora & superiora, qualia sunt corpora cœlestia, nam si consideraret, quod inter ea est ordo essentialis, & secundum veram philosophiam, ista agentia inferiora se habent ad corpora cœlestia, vt causa secunda ad causam primam, quæ non agit nisi agente prima, non incidissent in hanc imaginationem. Aduerte igitur, quod sicut omnia entia supponunt ens primum, quod est Deus, quo non influente omnia cederent in non ens, sic omnes motus & actiones mouentium & agentium inferiorum supponunt mo-

DVODECIMI METAPHY.

tum primum, qui est motus localis cœli, quo remoto, remouetur, sicut remota causalitate causæ primæ, remouetur causalitas omnis causæ secundæ. Hac de causa dixit philosophus in 8. physico. textu 1. quod motus primus est vita, id est, fons & vniuersale principium in natura existens, se habet enim vniuersum, vt animal in quo videmus à motu cordis pendere motus aliarum partium, & eo sublato alix partes immobilitantur, sic in vniuerso, à motu cœli pendet omnis motus rerū naturalium, ita quod eo remoto immobilitantur omnia, quocunque genere motus & mutationis naturalis, vt motus localis, alteratio, augmentum, & decremētum, & generatio, & corruptio. Vt ergo conserues ordinem essentialē, & nexum inter agentia inferiora & superiora, tenebis, quod cœlum motum non solum determinat agentia inferiora ad proprios effectus, sed agit & influit in quocunque effectu inferiori, sicut causa 1. influit in omnē effectū causæ secundæ sibi subordinatæ.

Quod si tenueris imaginationem prædictam, declinabis in defectum eorum quos reprehendit philosophus in 12. metaphy. in tex. vt. qui aufereres ordinē à partibus vniuersi faciunt incoexam ipsius vniuersi substantiam.

Ratio autem adducta à sic imaginantibus non est alienius roboris, falsum est enim, causas superiores non habere aliquam causalitatem super causas inferiores, quo ad effectus earum. Nam talem causalitatem habent, qualem causæ prima super effectum causæ secundæ, in quam magis influit quàm causa secundæ, non enim secundæ influit, nisi quia prima influit, vnde homo generat, quia Sol suo motu influit in homine. Et dato quod elementa & mixta per virtutes suas actiuas essent determinata ad proprios effectus, non possunt exire de potentia ad actum, nisi concausante & coagente cœlo per motum, quoniam iste est ordo inter motus naturales, quod secundarij quales sunt motus agentium inferiorum, supponunt primum, vnde licet ignis remoto motu cœli, esset generatiuus ignis & calefactiuus, non tamen exiret de potentia ad actum, quoniam requirit ordo vniuersi.

Nec dictum primum Comment. sibi suffragatur, non enim aliud intendit, nisi quod in generatis sine semine corpora cœlestia sufficiunt, quoniam gerunt vicem agentis particularis, vltra hoc quod sint agens vniuersale.

Tunc ad argumen. dico, quod consequentia solum valet in hoc

QVAESTIO XIII.

329

hoc sensu, ergo in habentibus semen, non agunt vt gerentia vicem agentis particularis, quod conceditur, si autem intendunt coniequentiam valere absolute, neganda est, similiter dictum secundum Comment. non prodest eis. Posito enim quod Commen. intendat virtutem formatiuam & calorem seminalem esse sufficientia agentia particularia generationis in his quæ generantur seminaliter, adhuc necesse est ponere cœlum motum vt agens vniuersale, & prima causa, in hoc genere quæ influit, & reducit ad actum agentia particularia, non solum determinando, sed coagendo in effectum agentis particularis.

Quantum ad motum aduerte, quod est opinio famosa attributa Durando, qui tenet motum localem cœli non posse esse medium, nec rationem agendi, nec necessariū requisitum ad hoc quod cœlum agit in hæc inferiora, sed tantum requiritur ad nonitatem actionis, vel ad alterationem actionum, quod sic declarat, Ad actionem requiritur approximatō agētis & passī, qua posita, remoto impediēte, necessario sequitur actio in naturalibus.

Si igitur aliqua actio sit de nouo, oportet de nouo approxinari actiuum passiuo, hæc autem approximatō sit per motū localem, & ideo ipse motus præxigitur nouæ actioni.

Item ad alterationem actionum requiritur, nam quia idem manens idem est aptum semper facere idem, ex 1. de generatione, ideo si cœlum & astra non mouerentur, semper eodem modo se haberent ad determinatas partes terræ, & sic semper facerent idem.

Nec esset in eadem parte alternatio diei & noctis, caloris & frigoris, estatis & hyemis, sed semper vnum ex his. Vt igitur sit in eadem parte terræ horū alternatio, requiritur quod cœlum & astra per motum suum sint aliquando præsentia, aliquando absentia, aliquando propinqua, aliquando remota respectu eiusdem regionis, vt inuit philosophus in 2. de generatione dicens, quod motus circuli obliqui est causa alternationis, generationis, & corruptionis, ex his concludit, quod motus cœli nō est ratio agendi in his inferioribus simpliciter, quia cœlum potest agere sine motu, sed tantum est necessarius modo quo dictum est.

Durand. autem conatur sic probare intentum suum, si cœlum non potest agere in hæc inferiora sine motu, hoc est, vel quia motus est principium formale, quo cœlum agit, sicut calor est

DVODECIMI METAPHY.

principium formale, quo ignis calefacit, vel quia est ipsa actio cœli per quam agit, sicut ignis calefacit per calefactionem, quæ est actio ignis, vel quia est conditio necessario requisita sine qua cœlum non agit, sicut motio securis à secante est necessario requisita in sectione, non enim securis nisi mota, secat.

Non primo, quia principium formale aliquid absolutum ponit in agente, actuat enim ipsam, sed motus localis nullum absolutum ponit in mouente, non enim potest ponere nisi locum, nam si poneret formam substantialem vel accidentalem non esset motus localis, sed generatio, vel alteratio, vel motus in quantitate, locum autem non potest ponere, quia non est in locato sed in locante ex 4. phys. Non secundo, quia actio non est in agente, sed in passio, motus autem cœli est in cœlo, quia omnis motus est in mobili ex 3. phys. ergo motus cœli non est actio cœli per quam cœlum agit in alterum. Non 3. quia motus localis non est necessario requisitus in corpore generabili ut agit, ut patet de magnete, qui quiescens attrahit ferrum, ergo multo minus in corpore ingenerabili, ut est cœlum.

Ad hoc dicitur, quod motus localis requiritur in cœlo ut agat in inferioribus actione naturali, non quia sit principium formale ut argum. probat, nec actio cœli, sed ut necessario requisitum, est enim conditio sine qua non.

Quoniam ab agente non provenit actio, nisi agens proportionetur passio. Corpus autem ut agens non proportionatur corpori patienti nisi per motum, quia corpus non est mouens nisi moueatur, & hæc est natura corporis actiui & mouentis, & cū probatur, quia magnes trahit ferrum quiescens, dicitur quod ferrum magis & verius trahitur ad magnetem quàm à magnete, unde secundum dictum Comment. in 7. phys. comm. 10. est attractio æquiuoce dicta, quoniam attractio in qua attrahens est quiescens, & attractum est motum, non est attractio in rei veritate, ex consequenti est magis ad magnetem, ut ad finem, sicut lapis mouetur ad centrum, quàm effectiue, à magnete, sicut nec lapis mouetur effectiue à centro, cœlum autem motum agit inferiora effectiue, & non ut finis, ideo non est, simile de cœlo & de magnete.

Secundo quod motus non sit necessarius ad hoc quod cœlum agit in inferioribus actione naturali, arguitur sic à Paul. Son. in 12. metaph. q. 13. qui videtur declinare ad opinionem Duran. si cœlum staret, adhuc illuminaret Sol partem terræ, super quam

QVAESTIO XIII

330

existeret, ergo eam calefaceret, calefactio autem est actio naturalis, ergo &c. Prima consequentia est concessa ab omnibus, secundum autem sic probatur. Quod conuenit alicui secundum se non potest ab eo naturaliter auferri. Sed lux secundum se & ex natura sua est actiua caloris, ergo &c.

Ad hoc dicitur quod licet lux ex natura sua sit actiua caloris, non tamen in se & ex se habet omnem conditionem requisitam ad hoc quod exeat in actum, sicut licet gladius in se habeat virtutem inscissiuam, quia durus & acutus, tamen non exit in actum, nisi per motum, conditio autem requisita est motus, ita quod si luci non adiungitur motus, non calefacit, ut etiam diximus supra, unde licet à luce non possit auferri quod sit actiua caloris, potest tamen impedi ne exeat in actum, ex remotione motus à corpore luminoso.

Quantum ad lumen, de quo dictum est, quod est actiua caloris, dubitatur, quia non videtur verum, nam si est calefactiuus vel hoc habet à natura sua, vel à motu, quia scilicet motus est calefactiuus, sed neutro modo & primo quod non ex natura sua, quia lumen non est ex natura sua qualitas actiua, ergo non est calefactiuum. Consequentia nota. Antecedens sic probatur, si esset qualitas actiua, haberet oppositum contrarium, & non solum priuatiuum. Consequentia patet, quia videmus quod alie qualitates actiue habent contrarias, ut calidum habet si igidum, humidum habet sicum, graue habet leue. Sed lumini opponitur tantum tenebra, quæ est priuatio, ergo &c.

Ad hoc dicitur dupliciter. Primo negatur esse consequentia, quoniam non est vera, nisi in qualitatibus actiuis elementaribus, quæ productione vniuoca sunt principia producendi sibi simile, ut calor calorem &c.

Secundo potest negari falsitas consequentis, quoniam licet lumen & lumen non habeat oppositum contrarium, sed tantum tenebram, tamen, ut est productiuum caloris, habet aliquam qualitatem virtuales contrariam productiuam frigiditatis, puta quæ est in Saturno, & hæc erit sibi contraria virtualiter propter effectum contrarium, & hoc sufficit.

Secundo arguitur ad idem, si lumen est qualitas actiua, ergo est species qualitatis, sicut frigiditas. Sed species qualitatis, distinguuntur per differentias contrarias & positivas præcise de tertia specie qualitatis, igitur si lumen sit qualitas actiua, habet contrarium, & non solum priuatiuum.

DVODECIMI METAPHY.

Ad hoc dicitur, vt ad præcedens, quod vt species qualitatis actiua caloris distinguitur differentia contraria ab alia qualitate productiua virtualiter frigiditatis, & quoniam tales differentie contrarie constitutiue huiusmodi qualitatum sunt nobis incognite, ideo notificantur nobis per contrarios effectus, & cum dicitur, quod oppositum luminis est tantum tenebra, ergo non oppositum contrarium. Respondetur, quod licet lumen vt lumen habeat solum tenebram sibi oppositam, non tamen vt est actiuum caloris,

Tertio arguitur ad idem, quod scilicet lumen non sit actiuum caloris, si est effectiuum caloris, ergo sicut illuminatio est in instanti, calefactio erit in instanti, quod est falsum, quoniam cum calefactio sit motus, motus esset in instanti. Consequentia autem probatur, quoniam causa in actu & effectus in actu sunt simul, sed secundum te, illuminatio est causa calefactionis, ergo quoadcunque ponitur vnum, ponitur aliud, sed illuminatio fit in instanti, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod supponit falsum, scilicet lumen seipso solo causare calorem, hoc non est verum, quoniam secundum philosophum & Commentarij 2. coeli commen. 4. vltra lumen requiruntur propinquitas luminosi, & directio radiorum, & multiplicatio, & reflexio.

Dico ergo, quod licet illuminatio fiat in instanti, non tamen calefactio, & quando dicitur, quod posita causa in actu ponitur effectus in actu, concedo, si ponitur causa in actu, cum conditionibus requisitis, in proposito autem dico, quod vltra illuminationem requiruntur intrinsecatio radiorum, & multiplicatio, & reflexio facta à corpore, ad quod determinantur radij, & aliqualis mora illuminatis super illuminabile reflexiuum. Et quoniam hæc sunt in instanti, ideo calefactio, non fit in instanti.

Quod autem nec motu causetur calor, arguitur duplici experimento, Aqua calefacta si agitur baculo, frigeſcit, quod non esset, si motus calefaceret. Item aqua stans, vt experimur, in lacuna, magis caleſcit, quam fluens, ergo quies est magis calefactiua, quam motus.

Ad hæc dicitur, quod licet motus causet calorem, non tamen vniformiter & semper, sed gratia materie in qua fit, causat frigiditatem vt in experimentis adductis. Nam quando aqua calefacta agitur baculo, segregantur partes aquæ, ad talem segre-

QVAESTIO XIII.

331

gationem exalant ab aqua partes subtiles, in quibus vigebat calor, & ita remouetur calor. Aqua autem stans ideo caleſcit magis, quia aqua stante incorporatur magis calor in partibus aque subtilibus, quando autem fluit ex segregatione partium prohibetur huiusmodi incorporatio, ideo minus caleſcit. Aliæ causæ possent allegari, sed istæ sufficiunt. Hæc de presenti questione dicta sunt.

Questio 14. Si Aristotel. demonstrauit mundum esse æternum.

Et est aliquid semper motum motu incessabili, Text. 34.

IN hac q. vt plene resoluatur, tria inuestiganda sunt. Primo si philosophus putauit se demonstrasse æternitatem mundi. Secundo si vere demonstrauit. Tertio posito quod non, si possumus saltem probare, quod mundus potuit produci ab æterno.

Quantum ad primum, quoniam in tota determinatione intendo loqui ad mentem beati Thomæ, pono hanc conclusionem. Philosophus firmiter opinatus est, se demonstrasse mundum æternum, probatur, Philosophus firmiter opinatus est motum & tempus esse æterna: ergo & mundum, consequentia nota. Antecedens est beati Thomæ, in 12. metaphysic. super textu 30. & assignans rationem inquit, Aliter non fundasset super hoc inquisitionem substantiarum immaterialium, quasi dicat.

Si existimasset philosophus motum posse esse non æternum, non deduxisset hanc conclusionem, quæ est præcipua in metaphysic. Datur aliqua substantia æterna, cuius substantia est actus, & est immaterialis, ex æternitate motus. Probare enim conclusionem veram ex medio falso, & necessariam ex medio contingenti, non est dignum philosopho.

Tunc vltra, existimauit firmiter mundum esse æternum, ergo putauit se demonstrasse mundi æternitatem, probatur consequentia. Ad probandam æternitatem motus & temporis & consequenter mundi induxit in 8. phyl. duas rationes, vnam in text. 7. de motu, quæ credidit ita concludere, quod tenere oppositæ, scilicet motum incepisse, cum prius nullo modo esset, implicat contradictionem, vnde inquit. Quare ante mutationem primam erit mutatio prior, & idem replicat in textu nono.

DUODECIMI METAPHY.

Alteram in tex. 11. quam & replicat in 12. metaphy. tex. 29. qua putat ita probare aeternitatem temporis, quod tenere oppositum implicat contradictionem. Tenet enim quod si tempus incepit, datur prius ante tempus, ergo ante tempus fuit tempus, quia non datur prius sine tempore, ponere autem tempus antequam tempus esset, implicat contradictionem. Sed rationes ad hoc deducentes, quod tenere oppositum implicat contradictionem, sunt demonstratiue apud intellectum probantis. Cui ergo philosophus tales rationes ad propositum induxerit, patet quod putauit se demonstrasse intentum.

Quantum ad secundum pono duas conclusiones, prima est, si non esset alius modus quo ponerentur & mundus & motus incepisse, quam ille qui ponebatur ab antiquis, ut ab Anax. ab Empe. a Democ. demonstraret vere philosophus mundum & motum non incepisse, probatur, isti ponebant, ut patet in 8. phys. in text. 2. mundum incepisse per mutationem naturalem & motu naturali, ut Anax. per segregationem partium ab illo confuso. Empedoc. per motum litis & amicitie. Democ. per concursum atomorum, sed impossibile est mundum sic incepisse, & sic desinere esse, quoniam ineuirabiliter sequitur, ut dedit philosophus in 8. phys. tex. 7. quod datur motus prior motu primo, ut videre poteris illic, & quoniam illi antiqui non cognouerunt alium modum productionis, nec inceptionis, nisi physica, per quem modum est impossibile mundum incepisse, ideo contra talem mundum arguit, & demonstrat philosophus. Quasi sic arguat contra eos, si mundus non est aeternus, ergo incepit secundum vos modo physico. Sed hoc est impossibile, quia daretur mutatio prior mutatione prima, consequentia conceditur ab eis, quia nesciunt alium modum producendi, falsitas autem consequentis implicat contradictionem. Cum ergo non incepit modo physico, & non sit alius modus secundum vos, sequitur, quod estis coacti ponere mundum, & motum, & tempus aeterna. Hec fuit via philosophi contra antiquos, qua supposita patet, quod vere demonstrauit contra eos, nec mundum nec motum incepisse.

Secunda conclusio, philosophus non demonstrauit simpliciter mundum esse aeternum, nec intendebat demonstrare, prima pars huius conclusionis probatur. Qui demonstrat simpliciter, format rationes veras simpliciter, quae constant ex praemissis veris & necessariis simpliciter, ita quod non indigent di-

QVAESTIO XIII.

334

stinctione. Sed rationes philosophi in hoc proposito, non constant ex veris simpliciter, & vniuersaliter, ut videre poteris solutiones b. Tho. in 8. phy. super tex. 13. & in 12. metaphy. tex. 30. quas non est opus hic adducere. Verum quia Iand. in 12. meta. in q. 6. tenet rationem formatam a philosopho ad probandam aeternitatem temporis esse veram simpliciter, nec posse naturaliter, id est, remota fide codici. Et reprobatur solutione b. Tho. in qua, ut videbis in 12. metaph. super tex. 30. sic inquit. Manifestum est, quod ratio quam hic posuit ad probandum sempiternitatem motus, non est demonstratiua, non enim si ponimus tempus quandoq; incepisse oportet ponere prius, nisi quid imaginatum, sicut cum dicimus extra caelum non est corpus, & extra, non est nisi quid imaginatum. Sicut igitur extra caelum non oportet ponere locum, licet extra, videatur locum significare, ita non est necessarium, quod tempus sit priusquam incepit vel postquam desinet, haec b. Tho. in quibus intedit, quod prius & posterius ante inceptionem temporis non sunt differentiae essentialis temporis, sed tantum secundum imaginationem, ideo volo defendere solutionem b. Tho. contra Iand. Contra dicit Iand. Hoc dictum est falsum, scilicet quod prius & postea dicant differentias temporis imaginatas, immo dicunt differentias essentialis, & impossibile est, naturaliter loquendo, quod prius & postea sint sine tempore. Sed Iand. dictum suum non probat, ideo nihil concludit contra b. Tho. Nos autem dicimus, sicut tempus sumitur dupliciter, ita prius vel ante, nam datur tempus reale, quod est mensura primi motus, ut declaratum est in 4. phy. & in tali tempore, prius & postea sunt realia, & correspondent priori & postea, parti motus, ut mensura realis mensurato reali, utrum autem tempus & motus, similiter partes temporis & partes motus distinguantur realiter, pro nunc non determinatur, spectat enim hoc libr. 4. phys. ubi dixi intentionem meam in particulari, quaestione. Ultra tempus reale, datur tempus aliud, quod dicitur imaginatum. Nam dato per impossibile apud philosophum, quod caelum non moueretur, adhuc possem apprehendere aliquam successione in actu imaginandi, prout possem imaginari montem aureum, deinde lapideum, deinde aeneum. Et haec successio mensuraretur imaginariis per prius & postea, non quidem realia, quoniam si per casum caelum non moueretur, non esset tempus reale, nec pars prior & postea, temporis realis, ergo esset tempus secundum imaginationem, &

DUODECIMI METAPHY.

prius ac poste. temporis imaginari. Et in tali tempore, prius ac poste, non sunt differentie reales, cum nec tempus sit reale. Et quoniam b. Tho. declarat mente suam per similitudinem sumptam ab extra dicens, sicut quando dicimus quod extra caelum non est corpus, ly extra. nō est differentia realis loci realis, sed differentia imaginaria loci imaginari. nam extra caelum non possumus, non imaginare spacium, sic in proposito & aeterna. Sed dicit Iand. quod non est similis ratio. quoniam ly extra, aliquando potest accipi priuatiue, siue per priuationem corporis circumscribentis, & sic non est differentia loci essentialis, sed prius & poste. sunt differentie essentialis temporis, & nunquā possunt accipi per priuationem temporis mensurantis. Sed si Iand. b. Tho. vi. iusser in 8. phy. super tex. 13. id forte non dixisset, nam illic declarat quod sicut ly extra, aliquando tenetur affirmatiue, aliquando negatiue. ita ly prius & ante, & quando tenentur affirmatiue sunt differentia temporis realis, vt dicimus. Ante inuentum nihil est iuuenturis, quādo autem tenetur negatiue, est differentia solū imaginarie, vt hic. Ante tempus non est tempus, patet ergo, quod est par ratio de ly prius, & ly extra, vnde Iand. loquitur potius affectu, quā veritate rei. Non ergo ratio de aeternitate temporis inducta à philosopho est demonstratiua simpliciter.

Auerte etiam, quod ratio quā solent aliqui formare fundata super aeternitate actionis Dei non est demonstratiua. Nā sic arguunt. Cuius actio est aeterna, eius effectus est aeternus. Sed actio Dei est aeterna, cum sit substantia sua, vt patet etiam per philosophum in lib. 12. metaph. tex. 39. & mundus est eius effectus, ergo mundus est aeternus. Maior autem est vera & necessaria. Repugnat enim ponere actionem, & non ponere effectum, saltem in fieri, vt si pono calefactionem, pono calefactū, vel aliquid quod calefit, si dicatur quod actio Dei vt actio non est aeterna, sed vt res, quoniam vt res est substantia Dei, quae est aeterna. Sed non sequitur, quod effectus sit aeternus, nisi ponatur actio vt actio aeterna. Contra. Si vt actio non est aeterna, sed in tempore, ergo sequitur quod Deus prius fuit agens in potentia, quā in actu, & sic exiit de potentia ad actum, quod etiam repugnat philosopho in 12. metaph. tex. 51. consequentia probatur. Actio Dei vt actio, non aeterna, ergo Deus non est agens, vt agens actu aeternum, & in tempore incepit esse agens actu, ergo transiit à non agente actu, ad agens actu, & sic ab agente

QVAESTIO XIIIIL

338

in potentia ad agens actu.

Ad hoc dicitur, quod actio vt actio non est in Deo aeterna, quoniam inuicibiliter sequeretur effectus aeternus, nisi ponamus actionem Dei frustratoriam, quod est prophatum opinari. Vt res autem qui est ipse Deus est aeterna. Et cum arguitur ergo transiit à potentia ad actum, negatur consequentia. Nam ad hoc quod agens transeat à potentia ad actum, necesse est vt actio sua sit accidens perfectiuum agentis. Deus autem se ipso perfectus est, vt diximus supra. Potest etiam dici & forte melius, quod actio vt actio quantum ad totum illud quod ponit in agente, est in Deo aeterna, ponit autem in Deo potentiam actiuam, quā constat esse aeternam.

Quantum autem ad connotatum, scilicet inferre passionē & productionem effectus, non est aeterna, non tamen propter hoc Deus mutatur de potentia ad actum, quoniam ex actione sua nulla sibi aduenit perfectio noua, sed tantum effectus eius perficitur acquirendo esse, quod ex se non habet. Patet igitur, quod philosophus non demonstrauit simpliciter mundi aeternitatem, sed ad hominem, vt declarauimus in prima conclusione.

Secunda autem pars conclusionis, scilicet quod non intendebat demonstrare simpliciter sed ad hominem, manifestatur ex modo suo procedendi. Nam vt notat b. Thom. in 1. parte quest. 46. artic. 1. Aristoteles in 1. de celo, & in 8. physic. praemittit quasdam opiniones eorum, qui ponunt mundum incepisse, vt Anaxa. & Empedoc. & contra eos rationes contradictorias inducit.

Præterea vbiunque de materia loquitur, inducit testimonia antiquorum, quod non est demonstratoris sed probabiliter persuadentis.

Præterea dicit expresse in primo Thopicorum, quod sunt quaedam problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, vt verum mundus sit aeternus, ex his igitur constat, quod philosophus non intendebat simpliciter demonstrare aeternitatem mundi, & hæc est doctrina b. Thom. vt dixi in 1. part. q. 46. artic. 1. quā Paulus Soncinas non studuit sustinere, nam in 12. metaph. q. 30. in responsione argumentorum, quae formantur in principio questionis, ex quibus primum est ratio beati Thomae, tertia hic posita, & quartum est ratio secunda beati Thomae similiter hic posita, soluit vtranque, & ad eam quae

DVODECIMI METAPHY.

est tertia, beati Thomae dicit, quod Aristotelis consuetudo fuit, materias quas nondum determinauerat, pertractare solum ut probabiles, si aliquando de eis sermo incidebat, & quoniam nondum determinauerat, an mundus sit aeternus, ideo in libro thopicorum, dicit esse problema. Dicit etiã, quod philosophus in libris logicalibus sepe vtitur exemplis aliorum, ita fecit in proposito, nam aliqui ut Plato dixerunt mundam non esse aeternam.

Ad eam autem quae est secunda b. Tho. dicit, quod demonstrator non adducit aliorum dicta, ut per ea demonstrat, & cogat intellectum, sed postquam demonstrauerit potest ea adducere ad maiorem confirmationem. Sic fecit philosophus in proposito.

Sed patet intuenti textum philosophi in primo thopicorum, & est in cap. 8. illic non pertractat de aeternitate mundi probabiliter, nec determinatiue, nec incidebat sermo de eo, nisi gratia exempli, tractat autem de natura problematis dialectici dicens. Sunt autem problemata & de quibus sunt cõteritij syllogismi. Dubitationem enim habet, utrum sic se habeat, vel non, eo quod in vtrisque sunt rationes verisimiles, & de quibus rationem, scilicet certam & necessariam non habemus, difficile arbitantes esse vnum quare assignare, id est, determinatam causam assignare, ut utrum mundus sit aeternus, vel non. Ex quibus patet quod hoc quaesitum utrum mundus sit aeternus ex propria sententia connumerat inter problemata, de quibus dicit, quod pro vtraque parte sunt rationes verisimiles, & de quibus rationem non habemus, & in hoc quod dicit non habemus connumerat seipsum, cum antiquis.

Nam si intenderet tantum de antiquis, non diceret non habemus, sed non habent vel non habuerunt.

Ex hoc patet, quod exemplum de aeternitate mundi, non est adductum in persona antiquorum, sed de intentione philosophi. Propterea fiat ratio beati Thomae, & solutio Pauli inefficax est.

Quod autem dicit, quod philosophus non adducit aliorum dicta, nisi ad confirmationem, hoc falsum est. Nam in secundo caeli, textu secundo adducit testimonium patrum, quod caelum est mobile velocissimum, aeternum incorruptibile, cuius motus non habet principium neque finem, sed est aeternus in tempore infinito.

QVAESTIO XIIIIL.

334

Et id quidẽ adducit in cõfirmationẽ determinationis, quam fecerat de aeternitate caeli. In text. autem primo eiusdem ly, comparat rationes & sermones suos rationibus eorum, qui ponebant caelum factum & non aeternum, & non extimat demonstrationes cogentes intellectum, sed magis efficaces & generatius maioris fidei, & ad quas non sequuntur aliqua impossibilia, sicut sequuntur ad positionem contradicentium. Vbi & Commentator inquit. Cum aliquis intuebitur sermonem Aristotelis & aduersariorum eius in hac quaestione, & inuenerit sermonem aliorum sequi plura impossibilia, & inuenerit sermonem Aristotelis non sequi aliquod impossibile, acquireret fidem maiorem, quam habuerit prius ex ratione, & ideo dicit Alexander. Nos autem non sumus sustentari super sententiam huius hominis, scilicet Aristotelis. Inter omnes alios, nisi quia videmus ipsam minoris ambiguitatis, & remotiorem a contradictione. Haec Commentator. Ex quibus patet quod, rationes & positio Aristo. de aeternitate non sunt nisi magis persuasivae, quam rationes aduersariorum. Ex consequenti non demonstrauit simpliciter, nec arbitrabatur demonstrare, sed se habere ut magis persuadens, unde siue vtatur dictis antiquorum ad confirmationem, siue comparatiue, non se habet ut demonstrator, secundum quod dicit beatus Thomas sed ut persuadens. Propterea facile erat Paulo sustinere mentem, & rationem beati Thomae.

Sed dices. Si philosophus non sitadebar sibi posse simpliciter demonstrare aeternitatem mundi, sed tantum ad hominẽ, quare eam firmiter credit, ut sibi attribuit b. Tho. in 12. metaph. super tex. 30. & super hanc credentiam fundauit inquisitionem substantiae abstractae aeternae.

Responderetur, non inconuenit quod Aristo. aliqua pro certo teneat, ad quae tamen ratione cogentem non habuit. Ut mundus est aeternus, & generatio inferiorum perpetua, & primum agit de necessitate naturae, & anima intellectiua est immortalis. Nam licet ad praedicta rationem cogentem non haberet, tamen aduertens, quod ex sensatis melius potest suaderi mundum esse aeternum, eo quod ordo & dispositio quam videmus in substantia corporis caelestis, in motibus eius, in locatione elementorum, in generatione, similis a suo simili suo modo vni formi perseverat.

Nec in praeteritis seculis aliter fuisse cognoscere possumus,

DVODECIMI METAPHY.

ideo ad hanc partem omnino declinauit. Aduertit etiam, quod ponentes in conceptionem mundi, ad multa inconuenientia deducebantur, nescientes alium modum quam in conceptionem physicam, ad positionem autem suam nullum videbar sequi impossibile, ideo ad partem affirmatiuam declinauit de mundi aeternitate.

Et nos nisi essemus illuminati fide, idem sentiremus ex his quae cognoscimus à sensatis, & quod non tantum ratione, sed etiam ex fide, quā habebat in patribus antiquis, reuerit mundum aeternum, & coelum & motum caeli, patet in secundo caeli, textu secundo, ubi inquit, bene se habet persuasibile seipsum praedire antiquis, & maxime patrum nostrorum, veros credere esse sermones, ut sit immortale, aliquid, & diuinum habentium quidem motum, habentium autem talem ut nullus sit finis ipsius, & cetera.

Quantum ad tertiam principale aduerte, quod aliqui potius aduersantes philosophis tenentibus aeternitatem mundi, quam veritate ducti, tenent mundum non potuisse produci ab aeterno, eo quod implicent contradictionem, & multa impossibilia sequantur ad talem positionem. Contra quos nunc intendimus procedere. Pro cuius euidencia, ponemus quatuor conclusiones, deinde soluentur rationes fortiores contradicendi.

Prima conclusio. Ea quae à solo Deo per simplicem emanationem produci possunt, ut coelum & intelligentiae & elementa, secundum se tota potuerunt produci ab aeterno, hanc sic proba vnica ratione, & supponitur quod simplex emanatio sit instantanea, & indiuisibilis, eo quod non est motus, nec requirit alterationem dispositiuam, cum ei non supponatur materia, aut subiectum disponibile, sed est simplex deductio rei à penitus non esse ad esse. Suppono etiā, quod philosophus non negaret hanc simplicem emanationem, quae dicitur creatio, ut iam determinauimus supra, & iterum dicemus infra quae rentes, si Deus apud Arist. est causa omnium effectiua. His suppositis arguitur sic, effectus potens habere esse à causa per fieri indiuisibile, potest esse statim quod est causa sua, ita quod si causa sua est aeterna, potest esse aeternus.

Sed ea quae à solo Deo per simplicem emanationem produci possunt, possunt habere esse à sua causa per fieri indiuisibile, ergo possunt esse & fieri statim, quod Deus est, ipse autem est aeternus, & ab aeterno, ergo &c.

QVAESTIO XIII.

335

Minor quidem patet, quoniam ex supposito, simplex emanatio est fieri indiuisibile. Maior autem probatur, si effectus non potest esse statim cum sua causa, hoc est, quia effectus est posterior duratione ipso fieri, vel quia agere vel saltem perfecte agere est posterius duratione ipso agente.

Sed neutrum horum est necessarium, quādo fieri est indiuisibile, quoniam tunc fieri & factum esse sunt simul, aliter fieri non esset indiuisibile. Sed effectus & factum esse sunt simul: ergo quādo fieri indiuisibile, effectus non est posterior duratione, ipso fieri, similiter non est necesse ipsam agere vel perfecte agere, esse posterius duratione ipso agente, quia statim cum causa est in suo perfecto esse, potest incipere agere quantum sit ex se, ut statim quod Sol est, potest quantum sit ex se illuminare, & eadem ratio est de aliis causis perfectis. Sed quādo fieri est indiuisibile, facere, ut patet, est indiuisibile, quādo facere est indiuisibile, simul sunt incipere agere, agere, & perfecte agere, quia omnia haec sunt indiuisibilia, ergo quādo fieri est indiuisibile, non est necesse ipsum agere, & perficere esse posterius duratione ipso agente. Cum igitur creati & creati esse & creare sint in indiuisibili, & causa creans semper sit in suo perfecto esse, patet, quod ea quae possunt produci per simplicem emanationem, possunt esse statim, quod causa sua est, & cum causa sit aeterna, possunt produci ab aeterno.

Et aduerte quod Paulus Sone, in 12. metaphy. q. 31. respondens terribili rationi formatae, ad probandum possibilitatem aeternitatis mundi, deuesit ad hoc, ut diceret, quod ratio quare mundus non potest esse aeternus, non est, quia oportet vniversaliter causam praecedere effectum duratione, sed est, quia cum effectui conueniat prius non esse prioritate naturae, quā esse, necesse est dari aliquam durationem, in qua non esse eius praecesserit esse eius.

Patet autem ex dictis, quod haec solutio nulla est, nisi quādo effectus procedit à non esse ad esse per fieri indiuisibile, tunc enim in toto tempore mensurante ipsum fieri, effectus habet non esse prius duratione quā esse. Sed in proposito, fieri est indiuisibile, ergo non est necesse non esse, effectus praecedere duratione ipsum esse, & haec doctrina beati Thomae in secundo sentent. dist. 1. questio. 1. art. 5. ad secundum factum contra aeternitatem mundi, ubi inquit, Non esse quod ex se habet res creata, naturaliter est prius quā esse, quod ab alio habet, & si non

DVODECIMI METAPHY.

duratione, quare & cetera.

Secunda conclusio. Motus cœli potuit esse ab æterno, probatur, si non, hoc fuit, vel propter defectum motoris, vel propter defectum mobilis, vel quia in spacio in quo est motus cœli, oportet ut aliquo signo in actu, à quo necesse est incipere motum cœli, non propter primum, quoniam motor cœli vel est Deus, vel intelligentia producta, si est Deus, est æternus, quia habet esse à se, ergo semper habuit & habet esse. Si est intelligentia, potuit produci ab æterno per conclusionem præcedentem, ergo & cetera.

Non propter secundum, quoniam per conclusionem præcedentem potuit cœlum mobile produci ab æterno. Non propter tertium, quoniam cœlum est mobile sphericum, & solo moto spherico, in quo non est assignare aliquod signum actu, à quo incipiat motus sphericus, & aliud ad quod terminetur, sicut contingit in motu recto, qui est inter terminos oppositos, sphericus autem est ab eodem ad idem. Aliqui dicunt, quod est propter quartum, scilicet quia fuissent infiniti dies pertransiti. Implet autem contradictionem infinita pertransiri, consequentia nota, quia si non fuissent pertransiti, nunquam ad diem hodiernum peruentum fuisset, sed quod hæc obiectio non impedit rationem nostram, declarabitur in solutione rationum aduersantium.

Tertia conclusio. Prima causa potuit ab æterno producere quocumque ens distinctum ab ea, & sic non solum cœlum & intelligentiam, sed & elementa, & species, elementorum potuerunt produci ab æterno, probatur. Supponitur, quod omne producibile à prima causa comparatur ad eam, ut effectus eius, tunc sic. Non minoris potentie est causa prima, quam aliqua causa secunda. Sed aliqua causa secunda potest producere effectum sibi coæuum, puta Sol lumē in aere, ergo & prima causa. Sed omne distinctum ab ea, comparatur ad ipsam, ut effectus producibilis, ergo omne tale potest esse coæuum primæ causæ, ex consequenti produci ab æterno.

Aduerte quod hanc rationem soluit Paulus ubi supra, & dicit, quod hoc non est ex defectu primæ causæ, sed quia si esset effectus sibi coæuus, non esse nõ precessisset esse. Posito autem quod effectus secundæ causæ sit ei coæuus, adhuc non esse precessisset esse eius. Si enim nunc de nouo producat corpus luminosum in aere obscuro, causabit in eo lumen in primo instanti

QVAESTIO XIII.

336

productionis suæ, & tamen prius nec illud corpus nec lumen productum habuit esse.

Sed quod hæc solutio non valeat, patet ex duobus. Primo quia declaratum est supra, etiam ex doctrina b. Tho. quod non est necesse in re creabili non esse præcedere esse duratione, sed natura. Secundo reduco rationem nostram ad formam hypotheticam, quam constat concludere siue categoricæ sint possibiles, siue impossibiles. Nam ita est vera hypothetica ista, si tu es lapis, tu es inanimatus, sicut ista, si tu es homo, tu es rationalis. Arguitur igitur sic.

Non minus posset Deus creare ab æterno, quam Sol illuminare aerem ab æterno, si Sol & aer fuissent ab æterno, quia sicut Sol si fuisset ab æterno non indigeret aliquid expectare in posterum ad illuminandum, ita nec Deus, immo minus, cum sit perfectioris virtutis actiue in infinitum. Sed si Sol fuisset ab æterno & aer, illuminasset aerem ab æterno, cum haberet virtutem perfectam illuminandi sibi congenitam. Patet autem hanc minorem, quæ est hypothetica esse veram, quicquid sit de categoricis, ergo ex duabus istis hypotheticis manifeste sequitur, quod Deus potuit omnem creaturam creatam in tempore creare ab æterno.

Quarta conclusio. Potuit ab æterno esse generatio & corruptio rerum inferiorum, probatur per præcedentes conclusiones potuerunt esse ab æterno omnes causæ requisite ad huiusmodi generationem & corruptionem. Nam potuit esse cœli motum ab æterno, ut causa vniuersalis, & agentia naturalia, ut causæ particulares, & elementa, ut causæ materiales, & formæ naturales potuerunt actione cœli, & agentium particularium educi de potentia materiæ, ergo & c.

Quantum ad rationes contradicentium & negantium possibilitatem creaturæ ab æterno & ipsius mundi aduerte, quod multæ sunt, & à multis recitantur & solvantur, ut à b. Tho. in 2. dist. 1. q. 1. artic. 5. & à Cap. in 2. dist. 7. q. 1. contra secundam conclusionem, & ab Heruen in 2. dist. 1. q. 1. & à Paulo Sonc. in 12. metaphysic. questio. 31. Tu ergo vide quem volueris. Nunc autem sufficit recitare quas arbitramur fortiores, & famosiores. Aduerte igitur tres, & earum solutiones.

Prima est, si mundus & cœlum, & motus cœli potuerunt esse ab æterno, potuerunt esse pertransiti infiniti dies, aliter non fuisset possibile peruenire ad præsentem diem. Hoc autem est

impossibile, quia repugnat infinito pertransiri.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam pertransire est per motum de extremo ad extremum rem attingere. Quando ergo dicitur, quod si mundus potuit produci ab aeterno, infiniti dies potuerunt esse pertransiti, idem est ac si dicatur. Infiniti dies potuerunt esse attingiti ab extremo ad extremum, quod implicat contradictoria, scilicet quod potuerunt esse infiniti dies, & per inter eos potuerunt dari duo extrema. Conceditur autem ex illo antecedente sequi, quod potuerunt praefuisse infiniti dies ante diem hodiernum, qui ex parte ante non potuissent pertransiri, quia non potuissent esse inchoatio ab aliquo extremo. Sed a parte post, ubi fuisset in eis vltimum nunc, potuissent secundum quid esse pertransiri: & sic non sequitur infinitum ea parte qua infinitum potuisse pertransiri. Ad probationem autem consequentiae.

Secunda ratio, si mundus potuit produci ab aeterno, & potuit esse generatio aeterna, ergo potuerunt generari infiniti homines, & cum animae numerentur secundum corpora, & sint incorruptibiles, possent nunc esse animae infinitae actu, impossibile est autem dari infinitum actu, ergo &c.

Haec ratio vt inquit beatus Thomas in secunda dist. 1. q. 1. art. 5. inter alias est fortior in hoc proposito. Ad quam responsiones multae inueniuntur, & omnibus omisiss adduco duas tantum. Prima est Heracliti in secunda dist. 1. questio, 1. & stat in hoc, si est impossibile dari infinitum actu, tam in quibus, quam in immaterialibus, tam in ordinatis per accidens, quam in ordinatis propter se, posito quod generatio humana esset aeterna, Deus talem ordinem posuisset, & legem in animabus, quod non essent infinitae, & lex quidem potuissent esse, quod vna anima plura corpora successiue viuificasset, vel animae in morte deficerent per subtractionem diuinae influentiae, & eo casu, Deus remunerasset hominem pro hac vita secundum dispositionem diuinae sapientiae.

Et si dicitur, id non decessisset diuinam bonitatem. Respondeo magis decessisset, quam facere impossibile, scilicet quod anime essent infinitae.

Secunda responsio est b. Tho. in 2. contra gent. cap. 81. & stat in hoc. Philosophus non probauit in 3. phys. & in 1. cœli non posse dari infinitum actu, nisi in rebus corporalibus, & in causis per se ordinatis, vt patet in 2. metaph. ideo non inconueniente dari in

ri in

ri infinitas animas, cum sint incorporeae & per accidens ordinatae, sed contra. Dicit philosophus in tertia phys. text. 36. separatū quidem igitur esse infinitum à sensibilibus impossibile est, sed animae post mortem suae separatae à sensibilibus, ergo non possunt esse infinitae. Respondeo, philosophus illic intendit de infinito Pythagorico separato, quod Pythagoras ponebat esse principium, & hoc quidem infinitum secundum Pythagoram est quantum, separatum ab omni materia sensibili, sicut si imaginaremur spactum infinitum extra mundum.

Nos autem intendimus de infinito separato intellectualis naturae, qualis est anima humana, in qua natura, verum possit dari infinitum dicit philosophus in 3. libr. physic. text. 39. sed fortassis est vniuersalior questio, si contingat in mathematicis & in intelligibilibus & in nullam habentibus magnitudinem, infinitum esse, nos autem nunc intendimus de sensibilibus, haec ille.

Ex quibus constat, quod si haec questio est vniuersalior, id est, excedens considerationem physici, spectat ergo ad metaphysicum, & tamen in metaphysica non determinauit oppositum. Sed dices, immo determinauit, nā in libr. 11. metaphysic. lect. 11. secundum signationem b. Tho. probat & concludit, non dari infinitum in actu in sensibilibus, nec in separatis. Respondeo, loquitur in eodem sensu in quo locutus est in 3. phys. contra Pythagoram, nam est quasi idem text. & est repetitio eorū, quae dixit in 3. physic.

Sed contra. Ratio philosophi, qua probat in 3. phys. text. 37. non dari infinitum in corporibus, includit etiam vniuersaliter in separatis intellectualibus. Sic enim philosophus arguit, si datur corpus infinitum dantur duo corpora infinita, quoniam in infinito sunt infinites infinita, sed non possunt esse duo corpora infinita, quoniam vnum infinitū corpus occupat omnia, sed eadem ratio cōcludit de abstractis, si enim datur infinitū abstractum erūt duo infinita, quoniam in infinito sunt infinites infinita, sed non possunt esse duo infinita abstracta, quoniam vnum infinitum omnia continet.

Respondeo, licet eadem ratio concludat de infinito separato posito à Pythagora, quod est quantum siue magnitudo separata, quoniam infinitum quantum, siue sensibile, siue separatum, vt quantum, occupat omnia, & omnem locum, & continet omnem quantitatem, tamen non est eadem ratio in abstractis intel-

v

Intellectualibus non quantis, quæ non habent virtutem occupandi. Et si tu aduerteres, inuenies, quod Arist. in ratione illa arguens contra Pythag. semper supponit quantitatem, sic enim concludit in fine tex. 37. Sed impossibile est esse actu infinitum, quantitas enim aliquam esse, necesse est. Patet igitur, quod secundum philosophum non inuenitur posse dari infinitum actu in immaterialibus, quæ non habent inter se, ordinem essentialem, & idam expresse tenet Algazel, in sua metaph. Vtrum autem secundum doctrinam b. Tho. id sit possibile, determinavi in lect. primæ par. q. 7. art. 4.

Tertia ratio, supponitur q. creatura ileo creatur, quia accipit esse post non esse. Tunc sic. Aut habet esse post non esse duratione, aut tantum ordine naturæ, si primo modo, ergo si est necesse, quod prius duratione habeat non esse, nõ potest esse altera, vt patet, si 2. modo, ergo habebit esse & non esse simul, quod implicat contradictoria, consequentia autem probatur, quoniam quæ solum habent ordinem prioris & poster. secundum naturam sunt simul duratione, vt subiectum & propria passio, ergo &c.

Respondetur. Dico quod 2. modo, ad improbationem nego consequentiam, nam non esse, sumitur dupliciter. Primo pro non esse simpliciter, & sine aliqua limitatione.

Secundo non esset cum aliqua determinatione, pura non esse secundum se, vel habere aptitudinem ad non esse. Ex his dico ad consequentiam, quod sumendo non esse primo modo, nego eam, & concedo falsitatem consequentis: sumendo autem non esse, secundo modo, concedo consequentiam, & nego falsitatem consequentis, licet enim repugnet esse actu, & non esse simpliciter simul, tamen non repugnat esse simul duratione, esse actu & non esse à se, sicut non repugnat aquam esse calidam, & non esse calidam à se.

Hæc de præsentis quæstio dicta sunt, in quo conatus sum sequi & sustinere viam Thomisticam.

Quæstio 15. Si primum mouens mouet cælum
vt finis amatus.

Mouet autem sicut appetibile. Tex. 36.

In hac q. aduerte in primis, quod philosophus in tex. præmis-
so non amplius loquitur de abstractis in genere, sed in spe-

cie, de primo motore simpliciter primo, quæ appellabit Deum. Vt igitur præfens quæsitum plene resoluetur, tria discutienda sunt.

Primo si primum mouens mouet cælum vt finis amatus, & intellectu apprehensus.

Secundo si mouet cælum solum in genere causæ finalis, an etiam in genere causæ efficientis.

Tertio supposito quod etiam in genere causæ efficientis, vtrum sit applicatus primo mobili vt motor eius appropriatus.

Quantum ad primum tria agenda sunt. Primo assignabitur duplex distinctio. Secundo quatuor conclusiones respondentur. Tertio ponetur quoddam notabile, in quo apparebit concordia & discordia inter b. Tho. & Commen. Prima distinctio, cæli sumitur dupliciter, primo pro corpore cæli, quod apud Commen. vt dictum est, in lib. 8. est materia in actu, secundo pro aggregato ex corpore cæli & intelligentia applicata, quæ primum supponatur, quod dicitur anima cæli, nam de hoc querimus infra, vtrum cælum sit animatum.

Secunda distinctio, finis est duplex, aliquis præexistens motui, sicut centrum mundi, ad quod mouetur graue, vt perficiatur & conseruetur. Aliquis acquisitus per motum siue physicum, vt sanitas acquisita alteratione, siue metaphysicum, vt scientia acquiritur actu intelligendi.

Prima conclusio. Mouens primum non mouet cælum sumptum primo modo vt finis amatus, probatur, dicit philosophus in tex. 36. quia appetitus princ. intelligentia, id est princ. desiderandi & amandi primum mouens est intelligentia, id est apprehensio intellectus, vnde Commen. in commen. 36. inquit, & omnia ista dicit Arist. ad declarandum, quod corpora cælestia habent appetitum propter intellectum.

Tunc sic, cælum primo modo sumptum, cum sit substantia mere corporea, non habet virtutem intellectuam, ergo non intelligit primum mouens, ergo non desiderat ipsum, probatur consequentia, quoniam dicit philosophus, quod illic principium appetitus est, intelligentia, patet ergo, quod primum mouens non mouet cælum primo modo sumptum, vt finis amatus.

Secunda conclusio. Mouens primum mouet cælum 2. modo sumptum, vt finis amatus & appetibilis, probatur. Illud ad quod omnia ordinantur, mouet cælum 2. modo sumptum, vt

DUODECIMI METAPHY.

finis amatus & appetibilis, quoniam perficitur ex eo, ut declarabimus infra. Sed ad primum mouens omnia prestantur ex 12. meta. tex. 52. ergo &c.

Præterea. Quod habet rationem optimi, & à quo pēdet perfectio cœli 2. modo sumpti, mouet ipsum cœlum, ut finis amatus. Sed primum mouens est huiusmodi ex 12. metaph. tex. 37. & magis declarabitur infra, ergo &c.

Tertia conclusio. Mouens primum non est finis amatus & desideratus à cœlo 2. modo sumpti, ut acquisibilis per motum. Hæc de se patet, quoniam cum primum mouens sit ens independentens habēs esse à se repugnat ei, ut acquiratur per motum. Tunc enim haberet rationem producti, quod est falsum apud omnes recte sentientes. Erat ergo finis amatus, ut præexistens & attingibilis aliqua operatione cœli secundo modo sumpti, ut attingitur centrum à graui de sensu ipsius grauis.

Quarta conclusio. Mouens primum est finis amatus & desideratus à cœlo 2. modo sumpti, sicut illud ex quo & per quod conseruatur ipsi cœlo sufficiens perfectio acquisibilis à cœlo, hæc probatur ex intentione Commen. in 12. metaph. commen. 36. ubi inquit. Dicamus igitur, quod non mouentur, scilicet cœli 2. modo sumpti, nisi quia intelligunt ex se, quod perfectio & substantia eorum stat in motu & conseruatur, sicut illud facit, quod mouetur ad conseruandam suam sanitatem, quia scit quod sua sanitas non conseruatur, nisi motu, id est exercitio.

Ei intendit Commen. talem rationem Cœli 2. modo sumpti non habent suam perfectionem nisi ex motu, ergo mouentur ut perficiantur & conseruentur in sua perfectione.

Sed ex motu non perficiuntur nisi assequantur finem, ad quem vel propter quem mouentur. Sicut infirmus non perficeretur sanatione, nisi consequeretur sanitatem, ad quam ordinatur sanatio. Motus enim accipiet perfectionem, à termino ad quem.

Sed finis motus eorum est, ut attingant primum mouēs modo quo declarabimus in immediate sequentibus, ergo primum mouens est finis amatus & desideratus à cœlo 2. modo sumpti, sicut illud ex quo & per quod &c.

Postis & probatis conclusionibus responsiuis, notandum est secundum Commentar. in commento trigésimo sexto, & beatorum Thomæ in lectura sexta, quod finis propter quem cœlum secundo modo sumptum mouetur est duplex, scilicet pri-

QVAESTIO XV.

339

mus & per se intentus, & alius secunda intentione intentus.

Primus & per se intentus est ut assimiletur primo mouenti, secundus & secundario intentus est, ut in causando explicet in actu, quod continetur in virtute in primo mouente, & hæc est sententia beati Thomæ, in 12. metaphysic. in lectura sexta Commen. autem com. 36. magis diffuse id pertractat dicens.

Dicamus ergo, quod non mouentur, nisi quia intelligunt ex se, quod perfectio & substantia eorum stat in motu, sicut facit illud, quod mouetur ad conseruandam suam sanitatem quia scit quod sua sanitas non conseruatur nisi motu, & etiam intelligunt quod motus eorum est causa exitus eius, quod est in potentia in illis formis abstractis ad actum, scilicet ad formas materiales.

Iste enim forma forte videntur habere duplex esse, scilicet in actu scilicet materiale esse quod habent, & esse in potentia, scilicet esse quod habet in ista forma, & dico potētiam quemadmodum dicimus quod forma artificialis habet esse in actu in materia, & in potentia in anima artificis unde hæc forma videtur habere duplex esse, abstractum & materiale, & hoc quidem est quod facientes formas, id est, Platonici volunt dicere, sed non perueniunt ad ipsum.

Sed tamen motus eorum non est propter exitum istarum formarum à potentia in actum non ita quod illud est perfectio prima eorum, sed ita quod illud est consequens primam perfectionem eorum, verbi gratia, qui exercitatur ad conseruandam sanitatem per operationem alicuius artis.

Primo intendit ad conseruandum sanitatem suam. Secundo autem intendit illam operationem, hæc Commentator. Et aduerte, quod quando dicit, quod motus eorum est causa exitus eius, quod est in potentia, per esse in potētia intelligit esse spirituale, quod habet res producibiles in intellectu agētis, & dicitur esse immateriale vel ideale, & per esse actu, intelligit esse rei productæ, ut iam ad extra producta est. Commen. ergo intendit, quod ideo cœli mouetur, ut producat in actu formas, id est naturas rerum inferiorum, que continentur in potentiam secundam esse ideale in forma abstracta, id est, in motore primo, unde cœlum, secundo modo sumptum, in hoc se, habet ad motorem primum, in cuius intellectu sunt omnes rerum inferiorum naturæ, sicut minister ad primum artificem, qui operatur artificata, prout ei proponuntur ab ar-

DVODECIMI METAPHY.

chitecto, in cuius intellectu est idea, vel species artificiali.
Et aduerte sensum verborum Commentar. quoniam profundus est, & inuenies quod b. Tho. & Commentar. concordant in fine primo & secundo intento. Nam b. Tho. dicit, in expositione, in lect. 6. finem primo intentum esse, vt assimilatur primo motori, idem tenet Auic. in lib. 9. sue metaphy. cap. 3. Item tenet Comment. in commen. 37. vbi inquit, Primum enim cœlum mouetur ab isto motore secundum desiderium, vt assimilatur ei secundum suum posse. Item concordant in fine secundo intento, & est illud per quod consequuntur finem primo intentum. Hoc autem est exitus siue productio formarum inferiorum ad extra, quæ productio est per motum cœli, vnde aduerte, quod sicut se habet cursus, & exercitium, & sanitas in intentione infirmi, sic motus cœli & productio inferiorum, & assimilatio ad primum motorem in intentione cœli 2. modo sumpti. Constat autem quod infirmus intendit cursum, vt exercitetur, & intendit exercitari vt sanetur, & sic primum intentum est sanari, cursus autem & exercitium non intenduntur nisi in ordine ad sanari. Sic in proposito, cœlum 2. modo sumptum est in motu, vt producantur & exeant in actum per motum, forme rerum inferiorum, & intendit productionem hanc, non vt primo intentum, sed eam ordinat ad assimilationem sui, cum primo motore, & hic est vltimus finis in executione, & primus in intentione.

Sed dices in quo consistit illa assimilatio.

Respondeo, Difficile est hoc inuenire, dicam tamen quod occurrit. Vt probabitur infra, primum mouens est causa productiua & regitiua prima & vniuersalis à se totius entis creati, tam superioris mundi, quàm inferioris. Et mundum quidem superiorum regit ac conseruat, siue aliqua generatione & corruptione, quoniam entia illa indefectibilia & immortalia sunt. Mundum autem inferiorum administrat per intelligentias, vt per rectores secundos, quibus virtutem indidit producendi & disponendi inferiora, non quidem immediate, quoniam hæc est dignitas primi principis, sed per motum cœli. Assimilatio ergo stat in hoc, quod sicut primum principis est causa vniuersalis disponens & largiens esse vnicuique naturæ, vt illi conuenit. Si cœlum secundo modo sumptum per motum, & non per se ipsum disponit mundum inferiorum, deducens ad esse naturas generabiles & corruptibiles, quæ sunt in intellectu primi se-

QVAESTIO XV.

349

tundum esse ideale. Cœlum ergo mouetur, vt assimilatur primo motori, id est, vt sit agens, & disponens, & seruans mundum inferiorum, sicut primum principium est agens & disponens, totum vniuersum, & propterea dixit Commentator in 12. lib. metaphy. comment. 37. cœlum mouetur vt primo motori assimilatur secundum suum posse. q. d. non adæquate, sed imitative & particulariter. Sicut gubernator vnius ciuitatis assimilatur regi, non adæquate, sed in hoc, quod sicut se habet rex ad totum regnum, sic gubernator ad vnam ciuitatem. Et propter hanc assimilationem in regimine & dispositione mundi inferioris, dicuntur intelligentie mouentes cœlos mentes diuinæ, virtutes diuinæ, Dei secundi, Domini mundi inferioris.

Quantum ad secundum, scilicet vtrum primum mouens moueat cœlum solum in genere cause finalis, an etiam in genere cause efficientis, & aduerte, quod non est intentio nostra hic querere, vtrum moueat effectiue immediate, ita quod sit applicatum cœlo, sed simpliciter siue mediate, siue immediate, nam vtrum sit applicatum, inuestigabimus in sequentibus. Tu igitur sic procedes. Primo ponetur opinio Auic. Secundo opinio Comment. quæ trahitur etiam ex philosopho. Tertio opinio beati Thomæ.

Quantum ad primum aduerte, quod Auic. in lib. 9. sue metaphy. dicit tria spectantia ad hoc propositum. Primo, quod cœlum est animatum proprie, & quod anima mouet cœlum effectiue circulariter, sicut anima mouet animal motu progressiuo, vnde dicit in lib. 9. sue metaphy. Cœlum mouetur per animam, & anima est principium propinquum sui motus, & in illa renouatur imaginatio & volūtas, & ipsa extimat se habere apprehensionem rerum variabilium, & voluntatem essendi ipsas res particulares, & ipsa est perfectio corporis cœli & eius forma. Dicit secundo, quod quælibet sphaera habet motorem separatam, id est, intelligentiam, qui est motor appropriatus illi sphaera, & mouet illam sphaeram siue illud cœlum animatum, sicut amatum mouet amantem & desiderantem, eo quod cœlum animatum desiderat assimilari suo motori separato appropriato, ita quod iste motor separatus appropriatus mouet cœlum vt finis amatus, & non effectiue, sicut cibus apprehensus sub ratione vtilis & delectabilis mouet animal localiter in genere cause finalis tantum.

Anima autem mouet effectiue. Dicit tertio, quod quodlibet

DVODECIMI METAPHY.

coelum vt animatum non solum desiderat ex motu suo assimi-
lari suo motori separato appropriato, sed etiam primo & vni-
uersali motori, non appropriato alicui coelo, & hic est Deus vni-
uersalis finis omnium, quem desiderant omnia vt optimum,
intendit ergo, quod & primus vniuersalis motor separatus, &
motor separatur appropriatus moueant coelum finaliter & nõ
effectiue, quoniam effectiue mouet anima coeli, & quod hic
fuerit intentio sua tam in secundo, quam in tertio dicto patet
ex libro nono suae metaphysicæ. capitulo tertio, vbi inquit. Re-
stat igitur vt sit vnicuique coelorum desiderium assimilandi
substantiæ intelligibili separatae, quæ est ei propria. Diuersi-
tas autem motuum & sitarum dispositionum quam habent cæli,
est propter hoc, quamuis nos nesciamus qualiter hoc debeat
esse, & quandiu.

Sed causa prima est desideratum vniuersitatis communi-
ter. Et hæc est intentio de hoc quod dixerunt antiqui, quod vni-
uersitas habet motorem vnum amabilem. Sed vnaquæque
sphæra habet motorem suum, qui est ei proprius & amatum,
quod est ei proprium. Igitur vnicuique coelo est anima mo-
uens, quæ intelligit bonitatem, & propter corpus habet ima-
ginationem scilicet formare particularia, & habet volunta-
tem particularium.

Sed id quod intelligit de primo, & quod intelligit de prin-
cipio, quod est sibi proprium & propinquum, est principium
sui desiderij motionis. Hæc Auic. cuius opinio non tenetur se-
cundum viam nostram de animatione cæli, nec de duplici mo-
tore separato mouente, vt finis amatus, & quoniam totum fun-
damentum suum stat in animatione cæli, ideo differo repro-
bationem eius, vsque ad questionem sequentem, vbi determina-
bitur, quod nulla ratione cogimur ponere coelum animatum
proprie, & destruimus causas & rationes propter quas Auic.
ponit animam in coelo, & duplicem motorem separatum ap-
propriatum & vniuersalem, mouentes solum in ratione finis.

Quantum ad opinionem Commentator aduerte, quod non est
difficile videre in doctrina sua, quod primum mouens moueat
coelum effectiue & finaliter, quoniam secundum ipsum, vt de-
clarabimus infra, & vt sibi attribuit beatus Thomas primum
mouens est proprium mouens primi cæli, & sibi applicatum,
sicut intelligentia Saturni est applicata coelo Saturni, & quod
hæc fuerit intentio sua patet in lib. 11. commen. 44. vbi repre-

QVAESTIO XV.

341

hendes Modernos, inter quos præcipue intendit de Auicenna,
inquit.

Quod autem Moderni dicunt substantiã primam esse prio-
rem motorem totius, falsum est, id est, Primum principium
quod vocat primam substantiam esse priorem motorem to-
tius, id est, intelligentiæ, vel animæ mouente totum, id est, pri-
mum coelum, quod est causa omnis motus, saltem diurni, in
planetis falsum est, & subsequitur Commentator.

Qualiber enim substantia istarum est principium substan-
tiæ sensibilis secundum motorem & secundum hanc, & ideo
dicit Aristoteles, quod si aliqua substantiæ essent non mouen-
tes, essent ociosæ: hæc Commentator, ex quibus patet, quod in-
tendit omnem substantiam abstractam mouere effectiue nul-
la excepta, aliter esset ociosa, ociosum autem est quod propria
actione caret.

Igitur primum mouens secundum ipsum est primum agens
motum, & primus finis, ergo mouent vt efficiens & vt finis, &
confirmatur, nam in libro duodecimo, commento quadrage-
simo inquit. Primum principium entium est aliquid immo-
bile omnino, & facit primum motum æternum vnum conti-
nuum. Constat autem quod facere motum, importat efficere
motum.

Quantum ad opinionem beati Thomæ dico, quod de men-
te philosophi & secundum veritatem tenet primum mouens
mouere vt finis, & de hoc nullus dubitat, & iam probatum est,
supra & est textus philosophi in hoc libro, textu trigelimosex-
to. Mouet autem sicut appetibile & intelligibile. Ultra hoc ten-
net, quod mouet effectiue, quoniam omnia mouentia accipiunt
virtutem mouendi à prima.

Præterea, omnes causæ secundæ per se subordinantur primæ.
Sed in per se subordinatis, vt dictum est in 2. metaphysi. talis
est ordo, quod omnes similiter concurrunt & cooperantur ad
effectum, aliter non seruaretur connexus causalitatis inter eas,
ergo primum mouens concurrat actiue cum mouente proxi-
mo ad motum cæli, & præterea b. Tho. in 2. metaphy. expo-
nens tex. 44. loquens de motoribus corporum cælestium esse.
finitæ, & non in genere causæ finalis tantum, dicit sic. Necessè
est quod supra spheram nullum fixarum sit alia circundans to-
tum, quæ reuoluit totum coelum motu diurno, & hoc est pri-
mum mobile, quod mouetur à primo motore secundum Ari-

stoteles, & cetera.

Quantum ad tertium principale inuenio multam difficultatem, quoniam tam beatus Thomas quam Commentator, arbitrantur se loqui secundum mentem philosophi, & tamen non concordat. Nam Commentator tenet hanc affirmatiuam, primum principium mouet primum cælum vt agens motu immediate & vt finis, & hoc de mente philosophi. Sed beatus Thomas tenet hanc negatiuam de mente philosophi, primum principium non mouet cælum immediate, sed per intelligentiam mediam, ad quam primum principium comparatur vt obiectum amatum & intellectum, gratia cuius mouet. Tu igitur vt valeas defendere beati Thomæ, & Scotum & Anto. Andr. qui in hoc concordant, sic procedes. Primo declarabis Commentatorum tenuisse partem negatiuam contra Landunum, cuius rationes solues ex doctrina Comment. Secundo pertractabis opinionem beati Thomæ, in qua arguetur contra positionem Comment. Tertio solues quædam dubia insurgentia contra determinationem quam facimus pro via Thomistica.

Quantum ab opinionem Comment. quod tenuerit partem affirmatiuam, probo, primo ex dicto beati Thom. deinde ex dictis ipsius Commentatorum. Thom. in questionibus de spiritualibus creaturis artic. 6. ad 10. argumentum sic ait. Auerroes inuenitur in hoc varie locutus in lib. de substantia orbis dixit, quod id est, quod mouet corpora celestia vt agens & vt finis. Quod quidem est valde erroneum, sic enim sequitur, quod Deus sit anima primi cæli, secundum quod substantia que mouet primum cælum vt agens, dicitur anima eius, & ratio qua hoc dixit, est valde insufficient. Quia enim in substantiis separatis à materia est idem intellectus & intellectum, extrinsecus quod eriam sit idem desiderans & desideratum. Quod non est simile. Nam cognitio cuiuslibet rei sit secundum quod cognitum est in cognoscente. Desiderium autem sit secundum conuersionem desiderantis ad rem desideratam, si autem bonum desideratum inesset desideranti ex seipso, non competeret ei, quod moueret ad consequendum bonum desideratum, vnde oportet dicere quod bonum desideratum, quod mouet vt finis, est aliud à desiderante quod mouet vt efficiens.

Hæc beatus Thomas, si ergo volumus sicut debemus, sustinere beati Thomam quod intellexerit Comment. cogimus tenere, quod Commentator tenuerit vt diximus.

Præterea. De hoc habemus expressam eius sententiam in multis commentis in 12. metaphysic. & omnibus prætermisissis, aduerte quæ dicit in commento 44. Inquit enim. Quomodo primus princeps in ciuitatibus necesse est vt habeat actionem propriam, quæ est nobilissima actionum, & si non esset ociosus, quam actionem intendunt per suam actionem omnes qui sunt sub primo principe, sic est intelligendum de illis corporibus, cum suis formis à quibus mouentur, & de illis formis adinuicem.

Ex quibus patet, quod Commentator vult, quod primus princeps vniuersi, qui est Deus, habet propriam actionem quam intendunt, qui ei deseruiunt motores inferiores. Talis autem actio est motus diurnus, sicut patet per verba quæ præmitit, inquit enim quod omnes intendunt hunc motum diurnum, qui est primi motoris actio & principium aliarum actionum. Præterea habemus à Commentatore in 12. metaphysic. in commento 48. quod qualibet substantia abstracta mouet aliquid corpus celeste, alioquin esset superflua in vniuerso & ociosa & diminuta in dispositione, id est, imperfecta, & quia hoc secundum Commentatorem, esset maximum inconueniens in prima substantia, id est, in primo principio, quod est omnium nobilissimum, sequitur quod opinatus fuerit ipsum mouere effectiue immediate primum cælum.

Verum quia Landunus in libro 12. in q. 17. tenet oppositum, & dicit esse de mente Comment. quod primum principium non mouet cælum effectiue immediate, sed mediante motore cõiuncto desiderante & amante primum principium, ideo intendit soluere rationes suas.

Primo sic arguit. Præter mouens solum vt amatum & desideratum, debet esse aliud mouens vt amans & desiderans, quia mouens solum vt amatum mouet tantum vt finis, sed finis non mouet effectiue immediate, sed est culus gratia fit motus. Sed primum principium mouet tantum vt amatum & desideratum secundum philosophum & Commentatorem in 12. metaphysic. text. & comment. 36. ergo necesse est ponere aliud mouens vt amans & desiderans, ergo primum principium non mouet cælum immediate.

Ad hoc dicitur, quod Comment. negaret minorem, illa enim est ad mentem Auic. quem Commentator reprehendit in hoc duodecimo in commento 44. & licet philosophus & Comment.

dicant, quod primum mouet ut amatum & desideratum, non tamen dicunt, quod solum, immo tenet Comment. quod agens motum est finis motus. Præterea potest negari prima propositio ad mentem Comment. quoniam inter desiderans & desideratum sufficit distinctio rationis, non enim inuenitur idem amare & desiderare seipsum, unde diceret Comment. quod primum ut amans & desiderans seipsum mouet effectiue, ut amatum & desideratum mouet ut finis.

Secundo sic, omne quod agit motum, agit propter nobilius se, per Arist. in secundo cæli. tex. 64. ubi dicit. Actio consistit in duabus semper, scilicet cuius gratia, & quod huius gratia, id est, sine & agente propter finem. Sed primum non potest habere nobilius se, cum sit optimum in natura, ergo, non agit motum cæli immediate.

Ad hoc dicitur ut ad præcedens, quod licet omne agens agat propter nobilius, non tamen est necesse inter ipsum & illud nobilius esse distinctionem realem, sed sufficit distinctio formalis in ratione causalitatis, in qua datur maior & minor nobilitas. Nam causalitas finis nobilior est causalitate, efficietis, ut declaratum est in libro 5. Ad argumentum, dico, ad minorem, quod licet primum non habeat nobilius distinctum realiter, tamen primum ut mouens effectiue habet seipsum, ut mouet ut finis, sic responderet Comment.

Tertio sic, si primum moueret cælum immediate, ergo moueret in non tempore, quod implicat, consequentia probatur, supponatur primo, quod virtus maior mouet in minori tempore, ut probatum est in 8. physic. Tunc sic, virtus finita quanto maior, tanto in minori tempore mouet, ergo si virtus infinita immediate mouet, mouebit in non tempore, quoniam inter ipsam & quamcunque aliam, nulla est proportio in maiori virtutis, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod arguens supponit falsum scilicet primum motorem esse virtutis infinitæ, quod Commentator non concederet, ut declarabitur in questione de infinitate primi motoris, supponendo ergo, quod sit finita virtutis, consequentia nullam habet apparatus, quoniam inter primum motorem & alios inferiores datur proportio virtutis, si omnes sunt finiti, unde sequitur, quod omnes mouebunt in tempore, licet primum in minori tempore quam omnes alij, propter maiorem virtutem.

Quarto sic. Commentat. vult in 8. physic. commento 79. & in 12. metaphysic. commento 41. quod prius motus sit à duplici motore, quorum vnus est finis motionis, & est anima existens in eo. Alter vero infinito motionis, & est motor non in materia, & ab illo motore est perpetuitas motionis, ergo non est immediate à primo principio.

Ad hoc dicitur, quod illi duo motores non sunt duo distincti realiter, sed sunt vnus tantum, qui tamē propter duplicem motum mouendi, potest dici duo formaliter, nam ut mouet effectiue, potest dici formaliter vnus, & mouens ut finis, dicitur alter, & aduerte, quod si Comment. intenderet, quod essent duo distincti realiter, sibi ipsi contradiceret, nam in 1. cap. de substantia orbis sic ait.

Non est dicendum, quod formæ quibus mouentur corpora ecclestia, sint alie ab eis, ad quas mouentur, ecce quod expresse dicit, non esse ponendos tales motores distinctos scilicet vnum à quo mouentur effectiue, & alium ad quē ut ad finem mouentur, quoniam ex doctrina sua omnis intelligentia agens motum est etiam finis motus. Ut ergo liberetur Comment. à contradictione, tenendum est in via sua, illos duos motores esse vnum realiter, & duos formaliter, ut declarauimus. Hæc dixi, non ut vellens sequi viam Comment. quam reputo contra b. Tho. ut declarabitur, sed ut manifestetur, quod Iādanus qui se commentistam profertur, in hoc deuit à Commentat.

Quantum ad opinionem b. Tho. dico, quod in tota sua doctrina tenent hanc conclusionem. Deus qui apud philosophum dicitur mouens primū, non mouet cælum immediate, ut motor conjunctus & appropriatus, & hanc tenet non solum secundum veritatem, sed etiam de mente philosophi, contra Comment. hæc igitur probatur triplici ratione.

Prima sumitur ex 1. libro contra gentes. cap. 13. & arguitur sic, si Deus mouet primum cælum immediate, ergo est pars alicuius mouentis seipsum, quod est falsum, consequentia probatur, quoniam non est maior ratio, quod ex cælo Saturni, & ex sua intelligentia applicata constituitur vnum mouens seipsum, ex 8. physic. quam ex 1. cælo, & primo principio si ita applicatur & appropriatur primo cælo, ut eius motor immediate, sicut intelligentia Saturni cælo Saturni, omnis autē mouens seipsum distinguitur in partem mouentem & in partem motam, ex 9. phys. ergo Deus erit pars alicuius mouentis seipsum,

DVODECIMI METAPHY.

falsitas autem consequentis probatur, si Deus esset pars alicuius mouentis seipsum, ergo esset mouens particulare, quia applicatum mobili particulari est mouens particulare, constat autem quod primum cælum est mobile particulare, cum sit hoc cælum, ergo primum principium esset mouens particulare.

Hoc autem est contra philosophum, quoniam apud ipsum est motor vniuersalis, à quo pendet cælum & natura, vt patet in duodecimo metaphysic. tex. 38. Et intendit per cælum & naturam mundum superiorem & inferiorem.

Idem apud philosophum, vt patet in duodecimo metaphysic. tex. 52. est illud bonum vniuersale, ad quod respiciunt & ordinantur omnes partes vniuersi, ergo apud philosophum & veritatem non est mouens particulare adiectum alicui cælo, sicut alia intelligentia, sed absolutum, vt primum & vniuersale regens, ad quod vt ad nobilius cetera intelligentia respiciunt, sicut visus est dicere Comment. ipsa veritate deductus, & forte prater intentionem suam in cap. 4. de substantia orbis, vbi inquit, & cum considerauit Arist. in virtutibus appetitiuis cælestibus, inuenit eas moueri ad appetibile nobilius ipsis, hoc ille, si ergo virtutes appetitiue cælestis quas constat esse intelligentias, mouentur ad aliquod nobilius ipsis, constat quod illud nobilius non est mouens particulare, nec coniunctum alicui determinato orbi.

Secunda sumitur ex questionibus disputatis, de spiritualibus creaturis, quam adluximus in hac eadem questione, pertractantes opinionem Commentatoris, vbi probat beatus Thom. quod licet intellectus & intellectum possint esse idem, non tamen desiderans & desideratum, cum igitur primum principium moueat vt desideratum, non potest esse ille motor, qui mouet vt desiderans, ergo non immediate mouet primum cælum.

Tertia ratio sumitur in expositione beati Thomæ in duodecimo metaphysicæ, in expositione textus trigésimi sexti, vbi sic inquit. Dicitur autem primum mouens mouere vt appetibile, quia motus cæli est propter ipsam, sicut propter finem causatus ab aliquo proximo mouere, quod mouet propter primum mouens immobile, vt assimilaret se ei. Tunc sic. Constat quod nihil assimilatur sibi ipsi, quoniam importat relationem realem, quæ requirit extra distincta realiter, vt pertractatum est in libro quinta.

QVAESTIO XV.

344

Sed motor cæli ideo mouet, vt assimilatur mouenti per modum appetibilis, ergo distinguitur realiter à mouente tali, ergo primum principium quod mouet vt appetibile, non est mouens immediatum applicatum, sed mediante intelligentia, vnde solet dici, quod mouet immediate immediatione virtutis, sed non immediatione suppositi.

Et aduerte, quod hanc determinationem sequitur Ant. And. in 12. metaphysic. q. 2. Sed aduerte, quod hanc determinationem tenet etiam de mente Comment. Sed in hoc non sequeris eum, quoniam supra determinauimus oppositum ex doctrina Comment. & soluimus rationes Ianduni.

Nunc vltimo soluenda sunt quadam dubia, quæ insurgunt contra determinationem factam ad mentem beati Thomæ. Sed aduerte, quod quadam fundantur in dictis Comment. de quibus non curamus, quoniam cum determinauerimus b. Thomam in hoc non concordare cum Comment. omnia dicta eius quibus tenet primum principium mouere cælum immediate sunt neganda à Thomista, & quoniam Paulus Soncinas in duodecimo metaphysic. questione trigésima secunda, tenet opinionem Commentatoris in hoc esse opinionem Aristote. ideo tenet de mente philosophi & Commentator. primum principium mouere cælum immediate effectiue, & vt finis, & quoniam beatus Thomas tenet oppositum, etiam de mente philosophi, aliter non reprobalset Comment. in questione de spiritualibus creaturis vt supra allegauimus, ideo Paulus in hoc non defendat viam Thomisticam. Reliquum igitur est soluere dubia, quæ oriuntur ex dictis philosophi & ex ratione quam formabimus.

Aduerte igitur duo dicta philosophi, primum est in tex. 38. vbi inquit, latio enim prima mutationis huius autem quæ circulo, hac autem scilicet latio circulari mouet hoc, id est, primum mouens, quod premiserat mouere vt amatum, ergo secundum ipsum mouet, & effectiue, & vt finis, secundum est in tex. 43. vbi inquit, videmus autem prater vniuersi latioem simplicem, quam mouere dicimus potentiam hic existentem substantiam & immobilem, vbi b. Tho. exponens inquit, & hoc est primum mobile, quod mouetur à primo motore secundum Aristotel. Sed Auic. posuit & c. vsque ibi, esse ab eo, in quo dictum habetur expresse oppositum determinationis, etiam per expositionem b. Tho. vnde videtur sibi contradicere.

Respondetur, scio quod hoc est difficillimum argumentum contra b. Tho. tamē conabor soluere, ne sibi ipsi sit contrarius. Dico igitur, quod Auic. & Arist. in hoc concordant, quod vterque posuit motorem primum, mouere primum cælum, vt amatum & desideratum, & sic vt finis. Discordant autem in hoc, quod Auic. noluit concedere, primum motorem mouere aliquo modo effectiue, nec mediate nec immediate. Arist. autem vult, quod etiam effectiue moueat, mediante tamē intelligentia desiderante.

Sed dices, ergo ita potest dici primus motor mouere omnes cælos, sicut primum, & causare omnem motum cælorū, sicut motum diurnum, quoniam dat virtutem mouendi omnibus intelligentiis, & coagit illis vt causa prima, quod tamen est contra Arist. & b. Thom. qui particulariter attribuunt motum diurnum primo motori.

Ad hoc, negatur cōsequētia, licet enim moueat omnes cælos effectiue, vt causa prima coagens intelligentiis mouentibus, tamen excellentiori modo & absolute denominatur motor primi cæli, quoniam in motu diurno magis declaratur virtus sua, & quoniam vniuersalius & perfectius insluit in intelligentia applicata primo mobili, eo quod nobilior est inter cæteras, vt dicemus.

Ratione autē sic arguitur, si primus motor non est applicatus cælo, ergo philosophus non sufficienter numerauit, nec inuestigauit numerum substantiarum separatarum, quoniam cum inuestiger talem numerū ex numero motuum orbium, & secundum te, primus motor non mouet immediate vt applicatus, ergo philosophus non conduxit discursum & inuestigationem suam vsque ad primum principium, ex consequenti, non concludit sufficienter numerum entium separatorum.

Ad hoc respondet Ant. And. in 12. questione 1. dicens, quod quando philosophus inuestigauit numerum substantiarum separatarum, non distinxit, inter motorem coniunctum & motorem separatum, & sic videtur in comparatione prætermisisse motorem primum separatum.

Sed hec responsio non dignificat philosophum, ideo dico secundum principia b. Tho. que posui supra in q. 3. huius 12. quod philosophus, per motum phy. non inuestigat, nisi intelligentias applicatas, & numerum earum, per motum autem metaphy. qui est motus desiderij inuestigat primum motorem vt finem vniuer-

vniuersalem & optimum desideratum, nego ergo hanc consequentiam, philosophus non inuestigauit primū motorem per motum phy. ergo nō inuestigauit sufficienter numerum substantiarum separatarum, quoniam illa inuestigatio facta secundum pluralitatem motuum, est solum de motoribus cōiunctis in quorum ordine non continetur motor primus, sed supponitur, vt caput ordinis, sicut dux non continetur in ordine exercitus, sed est princeps, prædens, & caput in exercitu.

Hæc de præsentī quæstio dicta sunt, in quo dixi vt occurrere mihi potuit, & dedi saltem viam exercendi ingenij.

Quæstio 16. Si cælum est animatum, & quomodo.

Et ex hoc quidem apparet bene, hæc corpora esse animata, & quod non habet de virtutibus animæ, nisi intellectum & virtutem desideratiuam, que mouet in loco Comen. in comment. 36. & b. Tho. in expositione tex. 39. inquit, & hoc quidem verum est secundum opinionem Aristotelis. In quantum cælum ponitur animatum anima intelligente & desiderante.

In hac q. quatuor agenda sunt. Primo quid dicendum de animatione cæli secundum philosophū, sequendo viam Commen. Secundo quid dicendum de eodem, sequendo viam b. Tho. Tertio quid dicendum de eodem sequendo viam Auic. Quarto quid dicendum secundum veritatem.

Quantum ad viam Commen. præpono duas distinctiones, deinde conclusiones responsiuas. Deinde solueatur quedā dubia insurgentia contra Commen.

Prima distinctio. Cælum sumitur dupliciter. Primo pro corpore cæli, circumscripto motore suo. Secundo pro corpore cæli & motore suo, quæ est intelligentia, ex quibus fit vnum aggregatum modo suo.

Secunda distinctio. Animatum dicitur dupliciter.

Primo animatum anima in existente & informante, sicut vera forma informat materiam, quales sunt animæ animatorum inferiorum.

Secundo animatum anima nō informante sed appropriata & danre motum, coniungitur enim secundum motum, eo quod est principium immediatum & determinatum motus.

DUODECIMI METAPHY.

Prima conclusio. Caelum circumscripto motore, non est animatum primo modo, hæc probatur, sic secundū doctrinam Cōmen. Animatum primo modo componitur ex vera materia, quæ est pars compositi, & vera forma, anima enim in animato primo modo est actus corporis, & tale animatum est corpus organicum, quod ponitur in diffinitione animæ.

Sed caelum non componitur in via Cōmen. ex materia & forma, vt declarauimus in lib. 7. nec est corpus organicum ex 2. cœli. commen. 42. nulla enim diuersitas partium est in caelo nisi secundum rarum & densum, organicum autem importat diuersitatem partium secundum compositionem & complexionem, ergo caelum circumscripto motore, nō est animatum primo modo.

Secunda conclusio. Caelum sumptum pro aggregato ex corpore cœli & in proprio motore, non est animatum 1. modo, probatur sic in via Cōmen. animatum primo modo est generabile & corruptibile, caelum non est generabile & corruptibile, ex primo cœli, ergo &c.

Maiores probatur, ex principiis suis, licet falsis, quoniam tenet, quod in quolibet animato 1. modo anima esteducta de potentia materia, ex consequenti animatum est genitum, cuius generatio est terminus alterationis. Hac de causa tenet animam humanam non esse formam informantem & datam esse vt declaratum est in 3. de anima. Quare &c.

Tertia conclusio. Caelum sumptum 2. modo est animatum 2. modo in via Cōmen. sic probatur, secundum philosophū in 2. cœli, tex. 7. sex differentiæ positionis sunt in caelo, ergo est animatū, probatur consequentia, quia istæ positiones sunt propriae animatorum, ergo &c.

Præterea, quod habet intellectum & appetitum est animatum, quoniam ista sunt propria naturæ viæ, sed secundū philosophum in lib. 12. metaphy. tex. 36. in caelo quod mouetur a primo motore vt ab appetibili, oportet ponere intellectum & appetitum, quod enim mouetur ab appetibili, appetens est, & illic dicit philo. quod principium appetitus, est intelligentia, ergo in caelo sumpto 2. modo est appetitus, & intellectus, ex consequenti est animatum, non primo modo, vt probatum est, ergo secundo modo.

Sed contra hanc tertiam conclusionē insurgunt duo dubia in via Cōmen. Primum est, si caelum non est animatū anima in-

QVAESTIO XVI.

346

formante, sed tantum appropriata, ita quod intelligentia dicatur anima eius, ergo intelligentia mouens non intelligit motum cœli, & per consequens non mouet per intellectum & appetitū, nec appetit mouere vt assimilaretur primo motori, quæ omnia sunt contra ipsum Cōmen. in hoc 12. in comm. 36. vbi inquit, & quod non habet de virtutibus animæ nisi intellectum & virtutem desideratiuam, quæ mouet in loco, & infra inquit, Quapropter hoc mouens est intellectus. Consequentia autem probatur, quoniam apud Cōmen. nulla substantia separata intelligit indiuiduum, sed motus causatus ab intelligentia pura Saturni, & caelum eius sunt quædam indiuidua, est enim hic motus, & hoc caelum, ergo &c.

Quod autem apud Cōmen. nulla substantia abstracta intelligat indiuiduum, habere expresse in lib. suo de somno & vigilia, vbi sic inquit, & declaratum est in prima philosophi. quod istæ intelligentiæ abstractæ intelligunt naturas vniuersales, & non dant nisi simile eius, quod habent, impossibile est vt dent intentionē indiuidualem omnino, cū non habent naturā comprehendendi intentionem particularem, & illæ formæ vniuersales nō indiuiduantur, nisi propter materiam, & si intelligentiæ abstractæ comprehenderent indiuiduū, tunc necessario essent materiales, hæc Cōmen. ex quibus patet, substantiam abstractā secundum opinionem suam non intelligere singulare.

Ad hoc dicunt Cōmen. quod licet intelligentia non cognoscat motum cœli, quem causat in particulari, cognoscit tamen in vniuersali, & ex consequenti resolutiones particulares, secundum quod includuntur in motu primo accepto secundum suum ambitum.

Sed mihi videtur quod illa cognitio in vniuersali non sufficit, ad hoc quod causet motū æternum per intellectū & appetitum, nam appetens finē determinatū & particulare necesse est, vt cognoscat determinatum medium, quo assequatur finem, aliter non magis hoc quā illud eligere mediū. Cū igitur intelligentia appetat assimilari primo motori, vt in particulari cognito, necesse est vt cognoscat in particulari motum suum vt medium ordinatum ad finem suum desideratum.

Et ideo videtur dicendum in via Cōm. quod intelligentiā cognoscit motum, quem causat, vt est hic motus, non quidē per speciem motus, sed in essentia sua.

Nam intelligentia cognoscens essentiam suā, perfectè co-

DVODECIMI METAPHY.

gnoscit, ex consequenti omnes proprios effectus, quorum essentia sua est causa, & cum sit causa effectiua motus æterni, cognoscit ipsum vt effectum suum.

Inde gradatim cognoscit cœli receptiuum sui motus. Inde cognoscit res inferiores per motum suum producibiles, tãquam effectus mediatos. & quãdo arguitur quod Cõmen. negat intelligentiam abstractã cognoscere indiuiduũ, dico quod intendit intelligentiam non cõprehendere indiuiduum per speciem propriam. Species enim primo representatiua indiuidui sumitur sensu & imaginatione, quæ non sunt in intelligentia, cũ sit extra magnitudinem.

Et ratio quam adducit Cõm. in lib. suo de somno & vigilia, declarat hanc fuisse mentem suam. Dicit enim cũ non habet naturã apprehendentem intentionem particularem, constat autem apud philosophũ & Cõmen. naturã apprehensiuã particularis intentionis esse sensum, quæ est potentia materialis, & ideo Cõmen. ibidem sic infert, si intelligentiæ abstractæ comprehenderent indiuiduum, tunc necessario essent materiales.

Secundum dubium. Quoniam si cœlum circũscripto motore non est animatum, ergo est ignobilius formica, quoniam omne inanimatum est ignobilius animato, ex 2. cœli cõm. 6. Hoc autem videtur repugnare cœlo, quoniam perpetuũ nobilius est corruptibili.

Ad hoc Cõmen. varie respondet. Mihi autem videtur dicendum, quod aliquod corpus potest esse nobilius alio dupliciter.

Primo quo ad gradum essendi, & sic concedo formicam esse nobiliorem cœlo, quoniam habet esse & viuere, qui sunt duo gradus essendi.

Secundo quo ad modum essendi, qui modi sunt esse contingens, esse necessarium, esse corruptibile, esse perpetuum, & sic dico cœlum esse nobilius quocunque inferiori simplici, vel composito animato, vel inanimato, nam omnia inferiora corruptibilia sunt, cœlum autem habet esse necessarium perpetuum, vnde dicitur diuinum corpus, ex 2. cœli tex. 1. Hæc dicta sunt quo ad mentem Cõmentatoris de animatione corporum cœlestium.

Quantum ad mentem b. Tho. loquendo secundum Arist. inuenio diuersam modum loquendi, nam in questionibus disputatis de spiritualibus creaturis arti. 6. & in 1. parte. q. 70. arti. 3. tenet expresse cum Auer. & dicit, non esse concedendum secun-

QVAESTIO XVI.

347

dum Arist. cœlum esse animatum, nisi secundo modo, verum in 2. contra gent. c. 70. probans contra Auer. quod anima intellectiua sit forma corporis, expresse per totum illud c. conatur declarare ex rationibus Arist. cœlum esse animatum 1. modo, & hanc fuisse mentem Arist. Vt igitur liberet beatum Thomã à contradictione, sequere determinationem quam fecit in questione de spiritualibus creaturis, & in 1. parte. & dices, quod quando aliter concludit in summa contra gentes, hoc non dixit quasi de facto sic sit, sed quod non repugnaret principiis Arist. quin posset talis sensus elici ex dictis suis. Et id congruentissime fecit.

Quoniam Cõmen. credit repugnare principiis Arist. substantiam intellectualem informare materiam. Et beatus Tho. quasi exaggeratus voluit declarare id non repugnare, quasi sic arguens, non repugnat in via Aristotel. substantiam intellectualem informare corpus cœli, ergo pari ratione non repugnat animam intellectualem informare corpus humanum.

Si hanc responsionem sequeris, liberabis beatum Thomã à contradictione, & non dissentient b. Tho. & Commen. in facto de animatione cœli, licet dissentiant in hoc, quod est non repugnare.

Quantum ad opinionem Auic. nota, quod vt potest haberi ex doctrina sua in 9. lib. suæ metaphys. cap. 2. opiuatus est cœlum animatum 1. modo ita quod negauit intelligentiam, quæ est virtus intelligibilis pura, id est extra magnitudinem & materiam omnino posse esse principium propinquum motus in cœlo, vnde sic inquit.

Dico etiam quod principium sui motus propinquum, non potest esse virtus intelligibilis pura, quæ non variatur, nec imaginatur particularia, cũ negauerit intelligentiam posse esse principium propinquum motus coatus fuit ponere animã intellectualem informantem vt principium proximum, quod se habet ad cœlum, sicut anima nostra ad nos, vnde sic inquit.

Anima vero quæ mouet cœlum, est sicut iam notum est tibi, corporalis, conuertibilis, variabilis, nec est spoliata à materia, cuius comparatio ad cœlum, est sicut comparatio nostræ animæ ad nos.

Ratio autem motiua apud Auicem, fuit, quia arbitratus est, quod intelligentia non cognoscit singularia, cum sit libera ab omni magnitudine à materia indiuiduante, sicut etiam

DUODECIMI METAPHY.

dixit Commentator, in libro suo de somno & vigilia, vt supra allegauimus, etiam quoniam necesse est motorem propinquum cœli intelligere motum, quem causat, & cœlum quod mouet, quæ sunt quedam singularia materialia, aliter non moueret, quoniam principium motionis in cœlo, est cognitio & appetitus, ideo creditur oportere cœlum habere animam, in qua sit intellectus cognoscitiuus vniuersaliũ, & imaginatiua cognoscitiua singularium.

Sed hæc opinio nullum habet fundamentum veritatis, nec ex sensu, nam falsum est intelligentiam non posse intelligere singularia, licet non per propriam speciem, vt diximus soluentes primum dubium motum contra Comment. Item non potest conuinci ex sensatis cœlum esse animatum, nisi ex motu. Sed motus non cogit ponere animatum primo modo, sed sufficit secundo modo, vt declarabitur infra.

Item posito quod anima informans esset in cœlo, adhuc nõ cognosceret singulare per imaginatiuam, quoniam est potentia sensitiva, cuius organum est corpus elementatum, quod repugnat naturæ cœlesti, cognosceret ergo intellectu, sed propter actum intelligendi non est necesse, quod vniatur cœlo vt forma, vt declarabitur, ergo opinio Auicennæ nullam habet eidentiam, sed est mera imaginatio.

Quid autem tenendum sit secundum veritatem, dico quod non est ponendum animatum, nisi secundo modo, quoniam modus animationis manifestatur nobis ex operatione animati. Nulla autem operatio apparet in cœlo, propter quam simus conuicti, ponere ipsum animatum primo modo. Nam ibi non sunt operationes vegetatiuæ, nec sensitiuæ, quoniam vt declaratum est in secundo de anima, requirunt organum cõsurgens ex mixtione elementorum, cœlum autem est corpus purum vt probatum est in primo de cœlo, nec est appetitus sensitivus, quia sequitur apprehensionem sensitiuam, qua remota à cœlo, ex consequenti remouetur talis appetitus. Propter autem intelligere non est necesse esse animatum primo modo, quoniam intelligere est operatio non organica, nec indiget corpore, nisi ratione phantasmatum deservientium ipsi intelligere, phantasmata autem ad partem sensitiuam pertinent, quæ non potest esse in cœlo, vt diximus, ergo intelligere cœli non conuenit ipsum animatum primo modo. Nec motus localis, quoniam ex septimo physice, & octauo, sufficit mouens & motum

QVAESTIO XVII

348

esse simul, ita quod inter ea sit tactus naturalis aut metaphoricus, de quibus loquitur philosophus in primo de generatione textu quadragesimo quarto & quadragesimo quinto. Naturalis quidem est inter duo corpora, actiua & passiuia adiuuicem, sicut inter elementa in suis extremitatibus, vel adiuuicem appropinquata Metaphoricus autem est inter mouens non quantum, & corpus mobile, prout mouens applicat virtutem suam, & imprimat in mobili, sed non ecouerso, & hoc modo contristans tangit nos, similiter lacerans, & intelligentia tangit cœlum, non ergo ex motu locali conuincimur ponere cœlum animatum primo modo. Nec ex causalitate cœli super animata, quæ producuntur ex motu cœli in mundo inferiori. Nam talis causalitas non est vnioca sed æquiuoca, in qua nõ est necesse causam esse formaliter, sed virtualiter talem, qualis est effectus, & sic dico, quod sufficit cœlum vnitum intelligentiæ esse virtualiter viuum, ad hoc quod producat per se, aut comproducat viuum, quam virtutem trahit ab intelligentia viuâ. Sicut calor naturalis trahit ab anima virtutem generandi carnem viuam per digestionem alimenti, & vt sic potest dici calor virtualiter viuus, quia est instrumentum animæ, quod non verificatur de calore ignis. Cum igitur nulla ratione efficaci fuleatur positio de animatione cœli primo modo, nõ est hoc tenendum secundum Aristotelem, nec secundum veritatem. Hæc de præsentibus quæstio dicta sint.

Quæstio 17. si intelligentia mouens cœlum, potest esse forma vera dans esse cœlo.

In hac quæstione aduerte, quod licet omnes Commentaristæ concorditer defendant Comment. contra Auiç, quod non sit vera anima in cœlo, quæ sit forma cœli, sicut anima animalis est forma eius, tamen aliqui tenent, quod intelligentia applicata cœlo, potest esse vere forma dans esse cœlo, ita quod sit, ac si esset anima eius, & quoniam reputo id esse purum errorem, & secundum philosophum, & secundum veritatem, ideo sic procedendum est. Primo ponentur duæ conclusiones responsiuæ. Secundo soluentur quedam dubia.

Prima conclusio, ex intelligentia & cœlo non potest fieri vnitum per informationem, sed tantum per applicationem mouentis ad mobile.

X iij

DUODECIMI METAPHY.

Hæc conclusio apud Comment. videtur manifesta, quoniam apud ipsum repugnat naturam intellectuales informare materiam, unde negavit animam humanam esse formam dante esse, aliter (vt ipse opinatur) licet false, esset generabilis & corruptibilis, & extensa ad extensionem materia, quia reciperetur in quanto, & tantum individualiter apprehenderetur: quia sicut opinatur formam abstractam intelligere tantum vniuersale, sic formam informantem materiam apprehendere tantum individualiter.

Cum igitur Commen. negauerit intellectuum principium quo intelligimus posse informare materiam, multo magis intelligentiam, quæ & æterna, & impartibilis, & immaterialis, & abstracta est ex sui natura.

Præterea, cum apud Comment. in 2. cœli commen. 3. omnis forma dans esse ei quod informat fatigetur in mouendo, sequitur intelligentiam non posse mouere motum æternum regularem & vniiformem, quod est contra philosophum in octauo physica.

Præterea. Cum apud Comen. vt declaratum est supra. Deus moueat primum cœlum immediate, sequitur quod posset informare primum cœlum, ex consequenti non esset primum mouens omnino immobile, quoniam omne informans secundum esse mobile est, aut per se, aut per accidens, nec esset purus actus, quoniam puro actui repugnat compositio, cum his & ex his, hæc enim includunt potencialitatem & imperfectionem.

De mente autem philosophi sic probatur, nulla virtus mouens tempore infinito est in magnitudine, ex 2. phy. tex. 39. sed omnis intelligentia secundum philosophum in 12. metaphys. tex. 43. mouet tempore infinito, ergo non potest esse in magnitudine per informationem, sed tantum per applicationem.

Præterea, omne informans magnitudinem est mobile, saltem per accidens secundum substantiam, quoniam si totum mouetur, necesse est & partes moueri ad motum totius. Sed apud philosophum intelligentiæ sunt omnino immobiles secundum substantiam suam, quoniam si mouerentur, saltem per accidens, impossibile esset vt motum continuuum æternum mouerent, ex octauo physice. textu 52.

Dixi secundum substantiam, quoniam non inconuenit intelligentias planetarum moueri non secundum se, sed ratione orbis sui, qui mouetur motu raptus ad motum primi mobilis.

QVAESTIO XVII.

349

Secunda conclusio, secundum veritatem repugnat intelligentiæ informare corpus aut materiam dans esse ei, quod informaret, probatur, nulla substantia integra, id est, quæ continet integritatem naturæ debite suæ speciei est informatiua corporis aut materia, quoniam omne sic informatiuum est pars constitutiua alicuius tertij, ex consequenti non est natura integra sed partialis. Constat autem apud recte sentientes, quod intelligentiæ sunt substantiæ integræ & cõpletæ in specie sua, ergo &c.

Præterea. Omnes intelligentiæ superceduntur ordinem totius naturæ corporeæ, unde dicuntur diuinæ substantiæ & diuinæ mentes, ergo non sunt informatiue corpori aut materie.

Præterea. Illa vnio & informatio esset frustra quoniam non est necessaria propter motum, vt declaratum est supra nec propter intelligere, vt etiam declaratum est in questione præcedenti, ergo &c.

Præterea hoc non est dignificare illas diuinas substantias, sed potius vilificare, quod tamen non est simile de anima humana, quoniam cum sit forma est ex natura sua vniuersalis materia. Quare &c.

Sed contra primam conclusionem insurgunt dubia ex dictis Comen. nam in secundo capit. de substantia orbis, dicit, quod cœlum indiget mouente ipsum in loco, & virtute quæ non sit corpus, nec virtus in corpore, ad largiendum sibi permanentiam æternam & motum æternum. Sed permanentia cœli est esse cœli, ergo illa virtus quæ est ipsa intelligentia dat esse cœlo, ex consequenti est forma cœli.

Ad hoc dicitur, quod dare permanentiam potest intelligi dupliciter, primo formaliter, secundo conseruatiue. Commentator intendit secundo modo & non primo. Tene enim quod corpora cœlestia habent causam cõseruantem, id est, virtutem primi principij, à quo pendent in genere causæ finalis, vtrum autem ab eo sint effectiue secundum Comment. quæremus infra, quando quæremus si primum est causa productiua omnium. Dare autem permanentiam, & esse conseruatiue non conuenit formæ, sed potius agenti, vel causæ quæ habet modum agentis. Non ergo ex dicto Comment. potest concludi intelligentiam esse informantem cœlum, sed potius conseruantem, quod tamen potius verificatur de virtute primi principij, quàm de alia intelligentia.

Secundo philosophus & Comment. in 12. metaph. tex. & cõ.

ment. 36. attribuitur celo intelligere & velle, qui sunt effectus formales intelligentiæ, ergo intelligentia est forma cæli.

Ad hoc dicitur, quod cælum illic iunxitur (vt dictum est supra) pro congregato ex cælesti corpore & intelligentia, & dictum philosophi non verificatur ratione congregati, sicut dicimus, quod sentire est actus, nõ solus anima, sed coniuncti, sed ratione intelligentiæ sibi vnita & appropriata.

Tertio dicit Commentator in 2. cæli, commen. 3. quod ex intelligentia & orbe fit verius vnum, quàm ex materia & forma, hoc autem non esset, nisi quia intelligentia est nobilior forma cæli, quàm forma recepta in materia, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod dictum Commentator sic habet intelligi, ex intelligentia & orbe fit magis, id est, nobilius vnum, quàm ex materia & forma, non quia fiat magis vnum per se, sed quia fit aggregatum incorruptibile, quod non fit ex materia & forma. Arbitratur enim omne compositum ex materia & forma esse corruptibile, vt declarauimus in octauo libro, & ideo negauit materiam, quæ est ens in pura potentia, esse in celo.

Quarto, si intelligentia non est forma, ergo hæc est falsa corpora cælestia mouentur, quia intelligunt, quam tamen concedit philosophus & Commentator, in duodecimo metaphysicæ, textu & commento trigesimo sexto.

Consequentia probatur, quia nullum ex assistentibus aggregatum denominatur operari operatione conuenienti alteri assistentium, stultum enim esset dicere, discipulum intelligere quia magister sibi assistit, sed ideo intelligit, quia inest sibi anima intellectiua, qua intelligit. Si igitur intelligentia non est forma cæli, sed tantum assistens, falsum est dicere, cælum intelligit, quia intelligentia assistens intelligit.

Ad hoc dicitur in via Commentator, quod consequentia est falsa. Ad probationem, Commentator negaret assumptum. Nam in via sua erronea dicitur, Sortes intelligere, quia intellectus qui est vnus omnium hominum, & non est forma dans esse, sed copulata intelligit.

Contra secundam conclusionem arguitur sic, si intelligentia repugnat esse forma corporis, aut materie, hoc est, vel quia est natura intellectualis, vel quia subsistens, vel quia differens specie ab anima, vel quia est quid completum in specie, ideo non potest esse pars speciei.

Sed primum non obstat, aliter intellectiua non posset esse forma corporis. Non secundum, aliter anima separata non esset natura vnibilis materie. Non tertium, quia anima equi differt specie ab anima hominis, & tamen est forma materie. Non quartum, quia positio quod intelligentia esset forma corporis puta cæli, adhuc non esset pars alicuius speciei, quia non resuleret ex intelligentia & celo aliqua 3. natura per se vna & perfecta in specie, cuius pars formalis esset intelligentia. Nam esse partem speciei non conuenit nisi formæ, quæ est complementum materie & terminus generationis, forma autem quæ est largiens vltimas perfectiones, id est, operationes ei, cuius est forma, & non est finis generationis, non est necesse, quod sit pars speciei, sed potest esse quid completum in speciei. Talis autem esset intelligentia, posito quod sit forma corporis.

Ad hoc dicitur, quod est propter quartum. Ad improbationem dico, quod loquendo de forma proprie informatiua & vera informatione, & vera materia informabili, est inintelligibile quin sit pars, & quin ex ea & materia confurgat noua species, nec valet distinctio de forma data, quoniam in vera philosophia, forma est quæ dat esse aut substantiale, si est substantialis, aut accidentale, si est accidentalis, ex consequenti est terminus generationis. Sumere autem aliquid, vt dat vltimas perfectiones, non est esse proprie formam informantem, sed æquiuoce & improprie, non enim est loqui ad intentionem conclusionis nostræ. Hæc de presenti quaesito dicta sint.

Quæstio 18. Si in primo principio est delectatio & vita excellentissimo modo.

In hac quaestione non cadit multa difficultas. Totum est scire declarare causas, vnde prouenit delectatio, & scire radicem ac gradus vite.

Tu igitur primo declarabis causas delectationis, deinde ponas conclusiones responsiuas. Secundo inuestigabis radicem primam, qua dicitur aliquid viuere, & iuxta illam assignabis gradus vite, secundum excellentiam minorem & maiorem, deinde ponas conclusionem responsiuam de excellentia vite in primo principio.

Quantum ad causas delectationis aduerte, secundum doctrinam Auic. in libro 8. suæ metaphysicæ, cap. 7. quod sunt due

DVODECIMI METAPHY.

partiales, ita quod neutra sufficit, sed necesse est ut utraque concurrat, ita quod coniuncte faciunt unam sufficientem.

Prima est coniunctio alicuius convenientis, sicut quando dulcis cantus peruenit ad auditum. Proportionata lux ad oculum, suavis cibus ad gustum. Ex opposito, causa tristitiae est, unio disconuenientis, ut caliditas vel frigiditas intemperata vitia tactui. Cibus amarus gustui. Secunda est apprehensio & cognitio talis convenientis. Nam si animal dormit, dato quod sibi uniat res conueniens, nisi illud agnoscat, & ut conueniens & ut unium, vel positum in facultate sua, & in suo placito, non delectatur, propterea dicit philosophus in 12. metaph. tex. 39. quod voluptas est actio, ubi inquit Comment. comet. 39. Causa voluptatis est comprehensio.

Ex opposito apprehensio disconueniens uniri ipsi animali, est causa tristitiae. Ex quibus corollarie sequitur, quod gradus delectationis sumuntur penes gradus bonitatis, & perfectionis, & pulchritudinis, & unitionis, & apprehensionis, in obiecto delectabili & conuenienti, ita quod si parua sit bonitas & perfectio obiecti, & parua unio, & parua apprehensio saltem extimatiua parua est delectatio. Secundum autem quod illa maiorantur, & delectatio similiter. Si autem sint in maximo gradu, & delectatio erit maxima. Unde inquit Auic. in libro sexto sue metaphysic. ca. 7. Cuius perfectio est nobilior, & maior, & diuturnior, & vicinior & preparator, & cuius actio est perfectior, & apprehensio est in se fortior, illius delectatio erit excellentior & gloriosior.

Sed aduerte, quod licet delectatio secundum famositatem sit nobis manifesta magis & prius secundum sensum, tamen non in solo sensu stat delectatio, immo nobiliori modo est in bono immateriali & in apprehensione intellectiua, simul cum virtute intellectuali desideratiua, quoniam bonitas, & perfectio rei immaterialis maior est & coniunctior intimior, & apprehensio intellectiua nobilior, & voluntas est appetitus excellentior, quam appetitus sensitiuus, unde inquit Auic. ubi supra. Oportet ut scias, quod apprehensio qua intelligens apprehendit intellectum, fortior est, quam apprehensio, qua sentiens apprehendit sensatum, quia est intellectus, qui intelligit, quod apprehendit quicquid potest spoliari ab aliquo, & mutari cum eo, & apprehendit illud in quantum est ipsum, & non id quod apparet de eo. Non est autem sic sensus sensato. Igitur delectatio que

QVAESTIO XVIII.

351

est nobis de hoc, quod intelligimus, conueniens magis est, quam ea qua sentimus conueniens ita, quod non est comparatio inter illas.

Prima conclusio. Intelligentiae mouentes coelos intelligentes & desiderantes, siue amantes primum principium, maxime & incessanter delectantur, probatur.

Primum principium quod est nobilissimum & optimum & maxima perfectum eis, intime contingitur intellectu, aliter eo quod intelligunt ipsum intellectione clarissima & certissima, quia non per speciem mediam, sed per essentiam suam coniungitur illis, & continue, quia sicut continue mouent, sic continue intelligunt primum principium, ergo maxime & incessanter delectantur in eo, consequentia patet ex causis adductis, quibus oritur delectatio.

Et eadem conclusio confirmatur per Auic. in libro nono sue metaphysic. cap. 6. ubi inquit. Prudens homo non putet, quod omnis delectatio est sicut delectatio asini, & quod prima principia intelligentiae quae sunt proxima, id est, unia domino seculorum careat omni delectatione & gaudio, & quod propria pulchritudo domini seculorum, quae est ei in regno suo, & sua virtus, quae est infinita, non sit ei, in vltimo nobilitatis & excellentiae, & suauitatis, sed extollendo eum vocamus hanc delectationem improprie. Sed quae comparatio potest esse superiorum ad hanc vilis &c.

Secunda conclusio. Primum principium in seipso maxime ac mirabilissime delectatur, amatque seipsum inenarrabiliter, probatur.

Primum principium est bonitas, & perfectio, & pulchritudo infinita, & infinite se intelligit & non solum uniuersae bonitati, sed est sua infinita bonitas, ergo delectatio sua est infinita, & amor sui inenarrabilis, consequentia patet ex causis generantibus delectationem & amorem. Et haec conclusio confirmatur per Auic. in 8. libro sue metaphysic. cap. 7. Sic enim inquit. Quoniam delectatio non est nisi apprehensio convenientis, secundum quod est conueniens, unde sensibilis delectatio est sensibilitas conuenientis, & intelligibilis est, ut intelligat conueniens, igitur primus est excellentior apprehensor, cum excellentiore apprehensione excellentioris apprehensio, & ideo est excellentior delectator, cum excellentiori delectatione in excellentiori delectato, & hoc est in quo nihil potest ei com-

parari, hæc Auicenna.

Quantum ad vitam, verum sit in primo principio, felicissimè inuestigandum est primo, quid sit vita, vel viuere, & vnde habent aliqua, quod dicantur viuere. Aduerte igitur, vt notauimus in epitomi nostra, super lib. de morte & vita in parvis naturalibus, quod vita dupliciter considerari potest, primo vt inuenitur in viuētibus inferioribus, quæ proprie dicitur vita naturalis corruptibilis, & sic diffinitur ab Arist. in lib. de morte & vita, vita est mansio nutritiue animæ cum calido sibi proportionali. Quæ diffinitio quomodo intelligenda sit, iam declarauimus in epitomi nostra, in lib. de morte & vita, tractatu vnico, cap. 1. vide in. 2. consideratur vita absolute, & tunc vita est existentia, vel operatio naturæ mouentis seipsam in operationem, sumendo motum non solum physice, sed etiam metaphysice, prout intelligere, velle, appetere, dicuntur motus, qui est actus perfecti. Nam viuētia primo distinguuntur à non viuētibus, quia in non viuētibus non apparet principium actiuis sui motus, sed potius mouetur ab extrinseco principio in viuētibus autem principium actiuis sui motus est intrinsecū, ideo dicuntur viuētia mouere seipsa aliqua specie motus, siue physici, siue metaphysici. Cum igitur vnum quodque dicatur viuere, in quantum mouet seipsam, sequitur quod prima radix vite sit mouere seipsam, & vbi motus sui ipsius minus pendet ab extrinseco, & talis motus sit nobilior, vita quoque erit nobilior, & quoniam motus metaphysicus eo quod est actus perfecti nobilior est motu physico, qui est actus imperfecti, ideo sequitur, quod entia metaphysicæ, id est, diuina quales sunt intelligentiæ & primum principium, in quibus sunt motus metaphysici, & mouent se tali motu, longe nobiliorē vitam habeant, quam viuētia naturalia, vnde inquit philo. in 2. de celo, tex. 100. Vita est illis semper permanens, perpetua secundū perpetuitatem seculi seculorum, quod non sinitur, neque destruitur, & est vita nobilissima. Ex his ergo ponitur conclusio responsiua.

Licet intelligentiæ habeant vitam nobilissimam & sibi sufficientissimam, tamen primum principium incomparabiliter felicissimam habet vitam.

Quod intelligentiæ habeant vitam nobilissimam, patet, quoniam eorum vita est esse immateriale, intellectuale, perpetuum, inalterabile, & est earum intellectio qua intelligunt se, & primum principium, & amant, & desiderant, habentque primum

principium, vt bonum, optimū, sibi intime vnitum, qua vnione vnitur res intellecta intellectui, & amata amanti, quæ vique non est vnio per contactum, sed per penetrationem modo vobis indicibili. Cum igitur esse earum sit nobilissimum, & earum intellectio, & dilectio & vnio cum primo principio sit nobilissima, sequitur eorum vitam esse nobilissimam, sufficientissimam autem habent, quoniam continua, perpetua, intransmutabilis, non indigens aliquo corporeo, ex possessione perfectissimi boni, cui immutabiliter inhaerent.

Quod autem primum principium incomparabiliter felicissimam vitam habeat, probatur, ex eo quod vita sua non pendet ex alio, sed inest sibi à se, sicut & esse, in quolibet autem creato vita sua sicut & esse indiget conseruari à primo princ.

Item primum principium est sua vita, in quolibet autem alio, actio sua vitalis non est substantia sua.

Item sicut esse primi principij, est infinite perfectum, sic & sua vita, in quolibet autem alio viuente, sicut esse est limitate perfectionis, sic & vita, solum ergo primum principium habet vitam sufficientissimam incomparabiliter. Propterea conclusit philosophus in lib. 12. tex. 19. quod Deus habet vitam optimam absolute, & Comment. dicit quod habet vitam in fine nobilitatis. Hæc de præfenti quæstio dicta sint.

Quæstio 19. Si dispositiones Dei, quas dicimus perfectiones diuinas, distinguuntur realiter, vel solum ratione.

Est igitur vnus Deus sapiens, & hoc putauerunt antiqui & Commentator in commento 39.

In hac quæstione antequam veniamus ad resolutionem, aduerte, quod apud theologos est famosa, & dicitur quæstio de distinctione diuinorum attributorum.

Quantum ergo spectat ad metaphysicum, qui tenet omnimodam simplicitatem in Deo, cum sit purissimus actus, & tamē omnes has propositiones recipiet, vt verissimas, Deus est vnus, Deus est intelligens, Deus est sapiens, Deus est primum principium, declarandum est, si hæc plura prædicata sunt omnino idem in Deo, vel distinguuntur, & quo modo. Tu igitur sic procedas.

DUODECIMI METAPHY.

Primo declarandum est, quod hæc quatuor, Dispositio, secundum Commentatorem, Proprietas, secundum Auicennam, Designatio, secundum Algazel, Attributum, secundum Theologum significant in Deo perfectionem simpliciter, ita quod non solum voces & conceptus attribuantur Deo, sed & eorum significata sunt perfectissime in Deo.

Secundo manifestandum est, si secundum viam Commentarii & beati Thomæ inter has diuinas perfectiones aliqua distinctio seruari potest.

Tertio pertractanda est via Scoti, in quo concordat vel discordat à via nostra.

Quarto soluetur dubium insurgens contra determinationem, quam acturi sumus.

Quantum ad primum aduerte, quod si intellectus noster quando componens format hanc propositionem de Deo, Deus est sapiens, intenderet attribuere sibi solum nomen, vel conceptum, & non rem quæ est sapientia, ergo non omnes perfectiones existentes in latitudine & possibilis esse, essent in Deo. Hoc autem repugnat veræ philosophiæ, quoniam Deus non esset quid optimum absolute, nec perfectus per hyperbolem, cuius oppositum sensit philosophus in quinto metaphysicæ, cap. de perfecto, vbi & Commentator dicit, hanc esse dispositionem, id est, proprietatem primi principij, quod nihil imperfectum inueniatur in eo, & nihil nobilitatur extra in vnoquoque genere deficiat ei, ergo quæcumque perfectio importatur per hæc nomina, sapientia, bonitas, iustitia, intellectus, voluntas, &c. inuenitur in Deo, vnde falsum est dicere, Deum non alia ratione dici bonum, nisi quia est causa bonitatis in creatura, similiter sapientem, iustum, &c. immo quia bonus est, bonitatem suam communicat creaturæ, idem dico de aliis perfectionibus.

Quantum ad secundum, pono duas conclusiones, quæ sunt ad mentem philosophi & Commentarii & beati Thomæ & Auic. in 8. lib. sive metaphysicæ.

Prima conclusio. Istæ dispositiones non distinguuntur realiter ab essentia primi principij, nec inter se, immo identice vna est altera, probatur, vbi sunt plura entia realia absoluta distincta realiter, ibi est compositio realis, quia non est intelligibile quod plura conueniant in vno absoluta, & distincta realiter, ab eo in quo sunt, & inter se, quin sit ibi compositio, aut ex eis, aut cum his.

sed

QVAESTIO XIX.

353

Sed primo prin. repugnat omnis compositio realis, quoniam si non esset primus ens, omne enim compositum posterius est suis componentibus. Hæc conclusio est ad literam de mente Comen. in 12. in cõm. 39. vbi sepe replicat, quod in abstractis dispositio & dispositum, id est perfectio & res cuius est perfectio, sunt idem, & in fine. cõm. inquit, Multiplicitas igitur in Deo non est, nisi in intellectu differentia & non in esse, id est diuinae dispositiones in Deo non differunt secundum rem, sed secundum intellectum, vt dicemus infra, eandem tenet Auic. in 8. sive metaph. c. 7. vbi inquit, Nulla harum scilicet dispositionum facit in essentia primi debere esse multitudinem villo modo, nec variationem, Et in hac conclusione omnes recte sentientes de Deo, conueniunt.

Secunda conclusio, licet sint idem realiter cum substantia primi principij, & inter se, tamen distinguuntur formaliter & ratione.

Hanc sic intelligo, distinguuntur ratione, quoniam intellectus aliam rationem format de sapientia Dei, aliam de bonitate, aliam de iustitia, vnde non se inuicem includunt in eodem modo per se. Probatur, cum sint idem realiter, etiam si sunt idem ratione, ergo sunt synonyma, ergo est nugatio dicere, Deus iustus, sapiens, potens.

Nullus autem recte sentiens concedit hanc negationem, ergo distinguuntur formaliter & ratione. Hæc conclusio est de mente Comen. in 12. in cõm. 39. vbi inquit, in eis quæ sunt formæ, non in materia, dispositio & dispositum reducuntur ad vnum in esse id est sunt idem secundum rem, & duo in consideratione id est apud intellectum considerantem, (& infra.) Dispositio & dispositum vnum erunt in prædicatione, quia, scilicet vnum prædicatur de altero identice, & duo in intentione & iam prædicat in eodem comen. quod non significat idem omnibus modis, sicut nomina synonyma, ergo secundum ipsum, distinguuntur ratione modo præexpõsito.

Sed dicit aliquis cum sint idem realiter, quæ est necessitas formandi distinctas rationes de illis. Item dicit, An ista diuersas rationum, proueniat solum ex parte nostri intellectus, vel ex parte diuinae substantiæ.

Item posito quod etiam ex parte diuinae substantiæ, quære si diuina substantia fundans vnam rationem, puta rationem sapientiæ distinguitur à seipsa, vt fundat rationem iustitiæ.

Respondeo ad primum, & dico, quod necessitas illa pro-

y

DVODECIMI METAPHY.

uenit ex perfectione omnimoda & vniuersali diuinæ essentia, quoniam cum sit perfectissima, est sufficientissima ad fundandum distinctas rationes, & illis correspondere.

Prouenit etiam, ex limitatione & debilitate nostri intellectus, eo quod non potest vnico conceptu sufficienter explicare perfectionem diuinam, nisi quodammodo particularizando eam per distinctas rationes.

Respondeo ad secundum, & dico, quod pluralitas rationum quæ formantur de eadem re, prouenit aliquando ex parte intellectus tantum, vt quando comparat idem sibi ipsi dicens, Sortes est Sortes, nã Sortes vt subiectum distinguitur ratione solum, per opus intellectus collatiui, à Sorte vt est prædicatum, aliquando autem res ipsa est fundamentum distinctarum rationum prout diuersimode considerata diuersis rationibus correspondet. Sicut idem punctus diuersimode consideratus fundat rationem principij & finis. Et hæc dicitur distinctio rationis ex parte rei, quam Scotistæ videntur appellare distinctionem ex natura rei.

Ad propositum dico, quod pluralitas rationum quæ formantur de perfectionibus diuinis, prouenit non solum ex parte nostri intellectus, sed etiam ex parte rei, quoniam diuina considerata vt principium intelligendi fundat conceptum intellectus & considerata vt principium volendi, fundat conceptum voluntatis. Idem intellige de aliis perfectionibus.

Respondeo ad tertium, & dico, quod nulla distinctio actualis ponitur in diuina essentia, quantumque correspondeat distinctis conceptibus formatis ab intellectu nostro de diuinis perfectionibus, quoniam cum tali distinctione absolutorum non possemus saluare omnimodam simpliciter diuinæ essentia.

Potest autem dici, distingui à seipsa fundamentaliter & correspondenter. Sicut etiam diximus in lib. 5. agentes de distinctione prædicamentorum, quod sumuntur à distinctis modis essendi, non quidem qui sint actualiter in eadem re, sed correspondent, prout vna res correspondens vni conceptui dicitur habere vnum modum essendi, prout autem correspondet alteri conceptui, habet alium modum, & dedimus exemplum de motu, vt fundat conceptum actionis & passionis.

In his hæc summa opinionis Thomisticae, & Commen. de distinctione diuinarum perfectionum, cum qua, an concordet via Scoti, videbimus in sequentibus.

QVAESTIO XIX.

354

Quantum ad tertium, vt resolute habeatur via Scoti, tria sunt agenda.

Primo, ponentur omnia genera distinctionum, quæ solent esse famosa apud Scotistas.

Secundo, ex eis manifestabimus concordiam vel discordiam inter bea. Thom. & Scorum.

Tertio, vnico verbo soluentur quædam præcipua argumenta Scoti.

Circa genera distinctionum Scotistarum aduerte, quod vt extracti ex tracta. formalitarum Stephani Burlifer, sunt septem.

Prima dicitur distinctio rationis, & est illa, quæ fit per intellectum collatiuum præcise, vt Sortes est Sortes. Nam Sortes in prædicato differt ratione à seipso posito in subiecto. Dico autem præcise, quoniam ibi non accipitur distinctio rationis, quæ proueniat ex parte rei ratiocinabilis, sed quæ est solum ex parte intellectus ratiocinantis. Nam distinctio rationis ex parte rei idem est, quod distinctio ex natura rei. Hæc Stepha.

Secunda dicitur distinctio ex natura rei, & est inter duo extrema, de quibus prædicata contradictoria possunt verificari præter omne opus intellectus, sic distinguuntur totum & partes. Nam totum est constitutum, partes non sunt constitutæ. Partes sunt constituentes, & totum non est constituens. Sic distinguuntur genus & differentia, quoniam genus diuiditur differentis, differentia autem non diuiditur differentiis, ergo de eis verificantur prædicata contradictoria, ex consequenti distinguuntur ex natura rei.

Tertia dicitur distinctio formalis, & est quando aliqua duo non se mutuo includit in primo modo per se, vt passio, & subiectum, actio, & passio, genus & differentia.

Quarta dicitur distinctio realis, quæ est inter quæcumque, quorum vnum potest ab altero separari, vt materia & forma, ad mentem Scoti: subiectum & accidens commune.

Quinta dicitur distinctio essentialis, quæ est inter duas essentias, quæ per aliquam potentiam possunt abinvicem separari, vt Sortes & albedo, & nota quod licet in creatis quæcumque distinguuntur realiter, distinguantur essentialiter, non tamen in Deo secundum theologos, nam hæc est vera, pater & filius distinguuntur realiter, non tamen essentialiter, quoniam distinctio essentialis est per absoluta, quæ non cadit in Deo, cum sit omnino simplex.

DVODECIMI METAPHY.

Sexta dicitur distinctio se totis subiectiue, & est quādo duo extrema sunt distincta realiter, & actu existunt, & tamē nō possunt conuenire in vno aliquo subiecto, vt duo indiuidua eiusdem speciei, & quęcunq; oppositionem habent adinuicē, ita q̄ non possunt eidē simul in esse. Hęc tamen distinctio est alia à distinctiōe reali, quia in illa non requiritur separatio actualis, sed sufficit potēntialis, in hac vero requiritur separatio actualis, vnde anima & corpus non distinguuntur hac distinctiōe, quia conueniunt in vno composito, distinguuntur tamē realiter, quia sunt abinuicē separabilia.

Septima dicitur se totis obiectiue, & est quando duo extrema non conueniunt in aliquo vno conceptu reali quidditatiue, vt duę vltimę differentię, quę sunt primo diuersa, ens & nō ens, & secundum viam Thomist. Deus & creatura, substantia & accidens, quę in nullo conceptu reali vniuoco conueniunt. Hęc est summa distinctiōum secundum mentem Scoti.

Quantum ad concordiam vel discordiam inter Scot. & b. Tho. aduertit, q̄ potius stat in terminis quā in sensu, nam arbitrat̄ Scotus perfectiones diuinas, non distinguit realiter, quoniam sunt abinuicē & à Dei substantia inseparabiles, essentialiter nec aliis distinctiōibus sequentibus, quoniam supponunt distinctiōem realem.

Sed distinguuntur ratione ex parte intellectus, quę est prima species distinctiōis. Quia intellectus de vnaquaq; potest formare proprium conceptum, sed non tantum ratione ex parte intellectus, immo & ex natura rei, quę est species secunda distinctiōis, nam sumptis duabus perfectionibus diuinis puta intellectu & voluntate de eis verificantur predicata cōtradietoria, nam de intellectu verum est dicere, quod intelligit & de voluntate, verum est dicere, quod nō intelligit, ergo distinguuntur ex natura rei, & distinguuntur distinctiōe formali, quę est tertia species distinctiōis, quoniam vna perfectio nō predicatur de alia in r. modo per se formaliter, sed indentice, vnde nec intellectus est voluntas formaliter econuerso.

Hęc est summa opinionis Scoti. Cum qua concordat in sensu vja b. Tho. Nam quando dicit b. Tho. q̄ distinguuntur ratione ex parte intellectus & ex parte rei, comprehendit sub primo distinctiōem rationis secundum Scotum, & sub secundo distinctiōem ex natura rei, & propterea dixit Stephan. quod distinctiō rationis ex parte rei rationabilis, est eadem cum

QVAESTIO XIX.

355

distinctiōe ex natura rei. Patet ergo, quod non differunt in sensu.

Quantum ad solutionem argumentorum Scoti non laborabis, quoniam sicut concludunt quod perfectiones diuinę distinguuntur plus quā ratione ex parte intellectus, sic & nos concedimus, & quando concludunt quod distinguuntur ex natura rei, non concedimus quod distinguuntur ratione ex parte rei, quę equipollere videtur secundum Scotistas, distinctiōi ex natura rei, & sicut tenet Scot. quod distinctiō ex natura sufficit ad verificandum duę contradictoria predicata de eodem, sic nos tenemus sufficere distinctiōem ex parte rei, vnde non alio modo soluit ea.

Nec cures si Cap. in r. dist. 8. q. 4. contra primam conclusionem prolixè immoratur in eorum responsionibus, quoniam predicto verbo transeunt omnia.

Verum quia videtur dubium, quomodo sit possibile, quod sola distinctiō rationis sufficiat ad tollendam contradictionē, ideo pro notitia huius tria dicemus.

Primo reperenda est distinctiō data de distinctiōe rationis. Secundo ponentur duę conclusiones. Tertio soluetur principale argumentum solutum fieri in hoc proposito.

Quantum ad distinctiōem rationis aduertit, quod est duplex. Quędam ex parte intellectus nostri præcise absque correspondētia rei, vt quando intellectus idem comparat sibi ipsi formando propositionem eiusdem de seipso.

Quędam autem est ex parte intellectus & ex parte rei, quę est talis natura, quod est apta nata correspondere distinctis, & aliquando oppositis rationibus, & licet autē actum intellectus hac distinctiōe rationis non ponatur in actu, ponitur tamē in fundamento, scilicet in ipsa re conceptibili, vnde possumus dicere, quod hęc distinctiōe rationis est inchoata in re, cōpleta autem & facta in actu per opus intellectus, & sicut patet de puncto, de quo intellectus format duas rationes, scilicet principij, & finis, & licet hęc rationes non sint actu, nisi per intellectum concipiētem, tamen sunt inchoatę in natura puncti, eo quod est apta correspondere vtrique rationi. Ex hac distinctiōe pono duas conclusiones.

Prima conclusio. Sola distinctiōe rationis primi modi nō est sufficiens ad tollendam contradictionem predicatorū realiū, probatur. Predicata contradictoria realia si de aliquo verifi-

cantur: verificatur ex natura rei, ergo requirunt aliquam distinctionem in tali re ex natura sua, saltem inchoatam, & hæc consequentiam sic probo, quoniam si nulla penitus esset distinctio in tali re, tunc esset affirmatio & negatio eiusdem de eodem omnino, & sic esset formaliter contradictio, & non ablatio contradictionis. Tunc ultra, si talia prædicata realia contradictoria requirunt aliquam distinctionem in tali re ex natura sua, ergo non sufficit distinctio rationis præcisè primo modo. Dixi prædicata contradictoria realia, quoniam quo ad prædicata cōtradictoria intencionalia, sufficit distinctio rationis primo modo. Nam de Sorte vt prædicatur de seipso verum est dicere, quod Sortes est subiectum, & est prædicatū, ergo est subiectum, & non subiectum, quia prædicatum est nō subiectum. Item de tunica & indumento, quæ distinguuntur ratione solum primo modo, verum est dicere. Tunica est generis fœminini, indumentum non est generis fœminini. Hæc autem sunt prædicata contradictoria intencionalia. Quare &c.

Secunda conclusio. Distinctio rationis, secundo modo sufficit ad tollendam contradictionem prædicatorum realium cōtradictoriorum, & maxime in diuinis perfectionibus. Probat sic, si dantur duo entia rationis quorum primum est ens rationis, & secundum se, & quo ad fundamentum suum. Alterum autem licet sit ens rationis, tamen suum fundamentum est ens realissimum, & perfectissimum, secundum potest esse causa primi, eo quod est maioris entitatis ratione sui fundamenti. Sed remotio siue ablatio contradictionis & distinctio rationis secundo modo sunt entia rationis, & ablatio contradictionis est debilius ens rationis, eo quod secundū se est ens rationis, quoniam huiusmodi ablatio contradictionis est negatio contradictionis, negatio autē est ens rationis, ex quarto metaphysicæ, & contradictio in qua talis ablatio fundatur, est etiam ens rationis, quoniam contradictio est oppositio, qui est relatio, que est inter ens, & non ens, quæ non potest esse realis, vt determinauimus quinto metaphysicæ. Distinctio autem rationis secundo modo licet sit ens rationis secundum se: tamen in diuinis fundatur super ens reale perfectissimum, vt in plenitudine infinitæ perfectionis diuinæ substantiæ, vt declaratum est in præcedentibus. ergo distinctio rationis secundo modo, est sufficienter causa remotiois contradictionis. Et aduerte, quod hæc rationem intendebar Cap. in 2. dist. 2. q. 3. artic. 3. ad primū

Aur. ubi dicit, quod distinctio rationis virtualis sufficienter aufert contradictionem, eo quod hæc distinctio est magis actū quam ablatio contradictionis, quæ est purum nihil, negatio enim siue remotio contradictionis est fundata in affirmatione, & negatione, quæ confirmunt contradictionem, negatio autē fundata super negationem debilius fundamentum habet quā distinctio rationis fundata in plenitudine diuinæ perfectionis. Hæc ille. Sed dices, quod hæc ratio in minori continet vnum falsum. Dicit enim negationē cōtradictionis fundari in cōtradictione, hoc nō est verum, quoniam oppositum non fundatur in suo opposito, sed negatio cōtradictionis & contradictio sunt opposita, vt patet. Se habent enim sicut non cōtradicere & contradicere, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quod non intelligimus ly fundari proprie, sicut dicimus accidens fundari in subiecto, quia trahit firmitatem ab eo. Sic enim intelligendo argumentum concluderet. Sed intelligitur ly fundari vt idem est, quod circa aliquid poni, sicut cæcitas ponitur circa visum, & surditas circa auditum. Sic in proposito intelligatur, quod negatio cōtradictionis fundatur in contradictione, id est, ponitur circa contradictionem. Quando autem diximus distinctiois rationis fundari in plenitudine diuinæ substantiæ verificatur vtroque modo. Sed sufficit quod similitudo teneat in secundo modo. Sic dicendo, sicut negatio contradictionis est circa contradictionem, sic distinctio rationis est circa plenitudinem diuinæ substantiæ.

Verum quia illa distinctio rationis fundata in plenitudine diuinæ perfectionis non est actū in re, sed virtualiter tantum, ideo aliqui probant, quod illa distinctio rationis fundamentalis siue virtualis, non est causa sufficienter ablationis contradictionis. Sic igitur arguunt, ex 2. phy. & 5. metaph. de causis, effectus in actu requirit causam in actu, sicut effectus in potentia, causam in potentia. Sed causa quod affirmatio & negatio de aliquo non contradicunt, est distinctio, vel non identitas, existens in illo ex diffinitione elenchi, ergo si actū aufert contradictionem, oportet quod actū & non solum virtualiter sit in tali distinctio, vel non identitas. Sed actū nullo intellectu considerante, istæ duæ sunt veræ in Deo, intellectus intelligit, voluntas non intelligit, ergo inter diuinas perfectiones necesse est dare distinctionem rationis ex parte rei, non solum virtualiter, sed actū, aliter non assignatur sufficienter, causa propter

DVODECIMI METAPHY.

quam actu aufertur contradiçtio, cum illa distinctio secundum te non sit actu in Dei substantia.

Ad hoc dicitur, quod concessio prædicata contradictoria verificari actu de perfectionibus diuinis, causa huius sufficiens est distinctio rationis fundamentalis, vel virtualis, quæ radicatur in diuina essentia, & quando arguitur, quod effectus in actu requirit causam in actu, hoc est verum, quando effectus est realis positivus, si autem effectus sit negatio, sicut est in proposito, quoniam auferre contradictionem est negare contradictionem, dico quod sufficit pro causa illa distinctio virtualis, quæ sufficienter est in actu pro tali effectu, qui est negatio. Ex maxime quia æquipollet distinctioni actuali reperte in perfectionibus creatis, unde sicut in nobis ista duo non contradicunt, intellectus intelligit, voluntas nõ intelligit, quia est distinctio actualis, & non idemtas, inter intellectum creatum, & voluntatem, sic in Deo ista duo non contradicunt, intellectus intelligit, voluntas nõ intelligit, quia inter ea stat distinctio virtualis, æquipollens illi actuali. Hæc de præfenti quaesito dicta fuerint.

Quæstio 20. si primum principium est vigoris infiniti & entitatis infinitæ secundum philosophum.

Ostensum est autem quia non contingit hanc substantiam habere magnitudinem ullam. Textu 41.

In hac quaestione inuestigandum est, si aliqua ratione sumpta à sensatis probari efficaciter potest, primum principium esse vigoris infiniti, vel entitatis infinitæ, & sic procedendum est. Primo declarabitur quid importatur per vigorem infinitum & entitatem infinitam. Secundo quid super hoc senserit Commentator. Tertio quid super hoc senserit Aristotelis. Quarto dato quod Aristot. intenderet attribuire primo princ. infinitatem, non solum durationis, sed etiam vigoris, utrum suæ rationis efficaciter id probent.

Quantum ad primum aduerte, quod apud philosophum infinitus vigor importat virtutem actiuam immediate causatiuam motus, aut actionis, quæ non est limitata ad determinatam velocitatem, sed quacunque data potest in maiorem, & apud Commentatorẽ in hoc libro duodecimo commento qua-

QVAESTIO XX.

dragesimoprimum, dicitur infinitum in qualitate actionis, id est in modo mouendi & agendi, vigor autem finitus importat virtutem actiuam limitatã ad certam velocitatem, ita quod non potest in maiorem & ad determinatum modum agendi, sicut quilibet motor appropriatus orbi, habet determinatam virtutem ad mouendum tanta velocitate, & non maiori. Entitas autem infinita dicit perfectionem intrinsecam ad nullum gradum essendi limitatam, sicut diceremus, esse infinitum illud, quod in se continet omnem gradum essendi, & sapientia infinita, & bonitas infinita, quæ in se cõplectitur omnem gradum sapientie, bonitatis, quæ est & possibilis est esse, non tamen respicit formaliter motum aut actionem, vt principium immediatum, ad differentiam vigoris infiniti.

Quantum ad secundum aduerte, quod apud Cõment. communiter tenetur Comment. tenuisse, non esse in primo principio infinitum vigorem, sed infinitatem durationis; eo quod est æternum, & incorruptibile, & posito quod inter Cõmentat. esset aliqua controuerfia super hoc, tamen Thomista debet tenere determinate hanc fuisse mentem Commentatoris, quoniam beatus Thomas, in octauo physice, in expositione text. 79. id sibi attribuit, & allegat cõmen. 79. in octauo physice, vbi sic inquit Commentator, si posuerimus actionem propriam esse corporis, sequitur quod inest ei potentia infinita.

Si autem posuerimus alicuius non corporis, tunc potentia illius non potest dici finita aut infinita, finitum enim & infinitum solum de corporibus dici possunt, hæc Commentator, & quoniam primum principium est non corpus, ideo secundum Commentatorem, non potest dici potentie aut vigoris infiniti. Expressiorem autem eius sententiam in hoc habemus in secundo celi, cõmen. 63. vbi inquit, & hoc quod dicimus, in hoc est manifestũ ex rebus quas scripsimus de primo motore, iam enim declarauimus illic, quod additio potentie motoris super potentiam moti, non est infinita, nisi in tempore & in æternitate motionis. hæc ille, ex quibus habetur, quod non aliam infinitatem ponit in primo motore, nisi quia mouet continue æternaliter, & quoniam Tand. in 11. metaphys. quæst. 15. conatur rationibus defensare opinionem Comment. ideo in fine huius quaestionis formabo eas & soluam.

Quantum ad tertium aduerte, quod beatus Thomas in expositione text. 79. in octauo physice, & Scotus in septimo quo-

liber. & Albertus in 8. physico. tracta. ult. tenent. philosophum intendisse probare dari in primo motore vigorem infinitum, qui non potest esse nisi in eo, qui sit entitatis & perfectionis infinita, & tenent Auer. de uallo in hoc à mente philosophi, sicut & in positione animæ intellectiua, & quoniam intendo se qui mentem beati Thomæ, adducam principales rationes sumptas ex doctrina philosophi, & defenso eas, contra Commentistas.

Quantum ad quartum dico, quod rationes probantes secundum philosophum infiniti vigorem in primo principio, sunt efficaces ex quibus Prima sic ista, causa effectiua motus infiniti est infinita secundum vigorem. Sed Deus est causa motus infiniti, quia est causa motus cæli, qui est infinitus, cum sit continuus & æternus, secundum philosophum, ergo Deus est infinitus secundum vigorem.

Huic rationi responderetur à quibusdam, quod motus potest esse infinitus dupliciter.

Primo per se, & est respectu mobilis infiniti, in quo si daretur, essent partes signabiles infinitæ, quæ si deberent transire à liquod signum signatum in spacio in quo esset motus, transiret tempore infinito, quoniam partes infinitæ nunquam terminarent transitum suum, & sic conceditur, quod si daretur tale mobile infinitum actu, non posset moueri, nisi à motore infinito secundum vigorem, quoniam cum mobile infinitum actu habere virtutem infinitam resistendi, esset necesse dare virtutem motum infinitam quæ superaret resistenciam infinitam mobilis infiniti. Constat enim quod virtus motus finita non potest super resistenciam infinitam, sed quoniam in rerum natura non datur mobile infinitum actu, ideo non est necesse dari motorem infiniti vigoris.

Secundo dicitur motus infinitus per accidens, & est respectu alienius mobilis finiti, quod per reiterationem super aliquod spaciū, vel circa cætrum mouetur tempore infinito. Talis est motus cæli, quoniam cum cælum sit finitum, ut probatum est in primo cæli motus ipsius non potest esse infinitus per se, verum cum sit continuus, perpetuus secundum philosophum, circa cætrum, & à puncto orientis iterum ad eundem sine quiete media erit infinitus per accidens, id est, per aliud, scilicet per reiterationem partium mobilis finiti, ut est cæli. Et ad causandum talem motum, non requiritur infinitus vigor in motore,

sed sufficit motor incorruptibilis infinitus, secundum durationem.

Vnde negatur maior, rationis factæ de motu infinito per accidens, ut est motus cæli, esset autem vera de motu infinito per se, sed non datur nec potest dari, quoniam repugnat dari corpus mobile infinitum actu, ex 3. phys. & 1. cæli.

Sed hæc solutio nulla est, quoniam ex motu infinito per accidens adhuc ascendimus ad motorem infinitum secundum vigorem, & ad huius probationem præmitto duo.

Primo Deus secundum philosophum est causa prima infinitatis motus, ergo est causa per se, quoniam hæc duo non stant simul, quod sit causa per accidens, & sic causa prima, nam omnis causa per accidens habet causam per se superiorem ex 2. phys.

Secundo cuilibet causæ per se non repugnat assignabilem esse effectum per se, quantum sit ex parte causæ per se, quod si causæ per se assignetur tantum effectus per accidens, non erit assignatio conueniens, quoniam docuit philosophus in 2. phys. in cap. de causis, causæ per se assignandum effectum per se, & causæ per accidens, effectum per accidens, ergo posito quod causæ per se assignetur effectus per accidens, adhuc est assignabilis per se, ne frustretur causalitas per se, ut inuenienti Thesaurum assignatur inuentio Thesauri, ut effectus per accidens, & fossio sepulchri propter defunctum, ut effectus per se.

Ex his arguo sic. Deo qui est prima & per se causa infinitatis motus, ex primo supposito, assignatur motus infinitus per reiterationem, qui est infinitus per accidens, ergo Deo quantum sit ex parte sui, est assignabilis motus infinitus per se. Sed motus infinitus per se requirit motorem infinitum secundum vigorem, ut concessisti, ergo ex motu infinito per accidens, ascendimus ad probandum motorem infinitum, secundum vigorem.

Antecedens pro utroque parte conceditur ab omnibus, qui tenent Deum applicatum primo mobili, ut sunt commentiste, præter Landunum, quem supra reprobauius soluendo rationes suas in questione vndecimoquinta huius libri. Consequentiæ autem patet ex secundo supposito, quoniam cuilibet causæ per se ultra effectum per accidens est assignabilis, quantum sit ex parte causæ effectus per se, aliter vana esset causa per se.

Sed dices, quod ratio hæc non concludit, quoniam tunc e

tantum cause per se est assignabilis effectus per se, quando talis effectus esset possibilis, & quia motus infinitus per se est impossibilis, ideo sufficit assignabilem esse Deo motum infinitum per accidens, ex quo precise non concluditur, nisi motor infinitus secundum durationem.

Sed hoc non debilitat rationem nostram, quoniam licet non possit esse motus infinitus per se, tamen hæc conditionalis est vera, si Deus est causa prima & per se infinitatis motus, ergo quantum sit ex parte Dei, est ei assignabilis motus infinitus per se. Quod autem non assignetur, non est ex defectu primæ causæ, sed ex defectu mobilis infiniti actu, cui repugnat esse, ut probatum est primo cæli.

Sed iterum dices, quod prædicta ratio non concludit, quoniam motus infinitus per accidens dupliciter consideratur.

Primo ut motus infinitus, sic est per accidens, ut ly per accidens determinat infinitum.

Secundo consideratur ut effectus primi motoris, & sic dico quod est eius effectus per se. Nam hæc consequentia non valet, hic motus est infinitus per accidens, ergo est effectus per accidens, quoniam ly per accidens, potest determinare ly infinitum, & non ly effectus. Concedo ergo, quod causæ primæ, & per se assignatur effectus per se, sed iste effectus per se, est motus cæli infinitus per accidens.

Sed hoc non militat, quoniam per primum suppositum, Deus ponitur causa prima & per se infinitatis motus, ergo sibi debet correspondere quantum sit ex se effectus per se in ratione infinitatis, sed motus infinitus per accidens non est effectus per se in ratione infinitatis, ut patet, ergo ultra motum infinitum per accidens, assignabilis est motus infinitus per se quantum sit ex parte mouentis primi. Hoc pro sustentatione primæ rationis dicta sint.

Secunda ratio est philosophi in 8. physice textu 79. ubi sic arguit, nulla virtus infinita est in magnitudine, virtus primi motoris est infinita, ergo non est in magnitudine. Sed minor non potest intelligi de virtute infinita solū duratione, quoniam maior quæ est vniuersalis, esset falsa, nam cæli habet virtutē infinitā in duratione, cum sit incorruptibile, & potest infinito tempore agere in inferiora, & tamē virtus cæli est in magnitudine, cum sit corpus, ergo si maior & minor debent esse verę, oportet intelligere minorem de virtute intensiue infinita.

Huic rationi datur a commentistis duplex responsio. Prima est Iand. in 12. metaphysic. in questione 15. Qui dicit, quod minor intelligenda est de virtute infinita in duratione, & non intensiue. Ad improbationē dicit, quod licet cæli habeat potentiam infinitam agendi secundum durationem, non tamen habet à se, sed à motore suo, philosophus autem sic intendit, nulla virtus infinita ex se est in magnitudine, sed virtus primi motoris est infinita ex se, ergo non est in magnitudine, & sic patet, quod obiectio de cælo nihil valet.

Sed Iandunus conatur defendere Comment. per doctrinam contrariam Comment. Nam secundum ipsum in hoc 12. in comment. 4. in cælo sunt substantia cæli, esse cæli, potentia agendi, & motus, & omnia ista sunt infinita secundum durationem, ex quibus admittit, solum motum esse æternum, & infinitum secundum durationem, ex alio, id est, à motore æterno, quoniam motus est à mouente, & implicat dare motum sine mouente, substantiam autem cæli vult esse à se, vnde inquit, permanentia igitur motus est ex alio, substantia autem, scilicet cæli est à se, & ideo impossibile est inuenire substantiam possibilem ex se, & necessariam ex alio, quod est possibile ex motu, hæc ille, ex quibus sic arguitur, secundum Commentat. substantia cæli est à se, ergo & esse, & potentia agendi, quoniam consequuntur substantiam cæli, sicut esse ignis & potentia calefaciendi consequitur substantiam ignis, & à quocunque est ignis, ab eo est esse & potentia eius agendi, ita quod si ignis esset à se & non ab alio productus, esse & potentia agendi se haberēt similiter.

Cum igitur esse cæli & potentia agendi, sicut & substantia cæli, sint infinita secundum durationem, patet quod potentia siue virtus agendi cæli infinita secundum durationem quæ est in magnitudine, non est ex alio, licet motus eius sit ex alio, nec valet hæc consequentia, motus infinitus duratione est ex motore, ergo virtus actiua cæli est ex motore, sed bene sequitur, quod virtus actiua cæli non exit in actum, nisi ex motore, quoniam cælum non agit ut determinauimus supra nisi per motum. Patet igitur, quod responsio Ianduni est contra Comment.

Secundo responsio est eorum, qui dicunt, quod non fuit intentio philos. probare absolute & vniuersaliter nullā virtutem infinitā in duratione posse esse in magnitudine, sed solum in magnitudine, in qua sit materia, eo quod talis est corruptibilis secundum Commentatorem, & quia secundum Comment. ut

DUODECIMI METAPHY.

visum est in lib. octauo metaphysic. non est materia in celo, ideo nihil prohibet in celo esse virtutem & potentiam agendi infinitam in duratione, & hæc responsio fundatur super illud, quod dicit Commentator in libro duodecimo, in cōment. 41. Sic enim inquit.

Existimatum est enim quod cum diximus, omnis potentia in corpore est finita, non est verum, nisi in corporibus materialibus, generabilibus & corruptibilibus.

Sed hæc responsio etiam quod esset ad mentem Commentator, non est ad mentem philosophi, nam ex quo in libro duodecimo, in tex. trigesimo, probauerat mouens æternum esse immaterialem, sufficere constabat ipsum non posse esse in magnitudine materiali.

Præterea in 8. physic. in tex. vltimo, postquam probauit nullam virtutem infinitam posse esse in magnitudine finita, neque infinita, cōcludit de primo motore sic. Principium autem mouens perpetuum mouet motum, & infinito tempore. Manifestum itaque quod diuisibile est & imparabile, & nullam habens magnitudinem. Ex quibus constat, quod ex quo excludit à primo motore omnem diuisibilitatem & partibilitatem, sua intentio erat negare & excludere ab eo vniuersaliter omnem magnitudinem. Nam non sequitur, virtus infinita non potest esse in magnitudine materiali, ergo est indiuisibilis, quoniam potest responderi, quod si non potest esse in magnitudine materiali, potest tamen esse in ea in qua non est materia, ex consequenti potest esse diuisibilis & partibilis. Patet igitur, quod nec prima, nec secunda responsio valet, & sic stat ratio nostra.

Aliam responsionē allegat Paulus Sone. in 11. libro, in questione 41. & contra eam arguit. Sed vide ad placitum, quoniam nolo in hoc immorari.

Tertia ratio, philosophus in 8. physic. in tex. sic arguit, si virtus infinita esset in magnitudine, moueret in instanti, consequens est impossibile, ergo &c. Antecedens, Tunc quero quomodo in antecedente, accipit virtutem infinitam, nam si dicitur duratione tantum, ergo cum virtus agendi in hæc inferiora, sit in celo infinita duratione, ager in instanti, & sic calefaciet aerem in instanti, producet animalia imperfecta in instanti, quod tamē ad sensum videmus esse falsum, si dicitur secundum vigorem, habeo intencum, quoniam cum attribuat virtutem infinitam, quæ non potest esse in magnitudine, quia moueret in instanti, æ-

QVAESTIO XX.

360

tribuat inquam motori primo, manifestum est, quod intendit de virtute infinita secundum vigorem.

Ad hanc rationem dicunt aliqui cōmentisse, quod vtrique in antecedente quæ est vna conditionalis, intendit de virtute infinita secundum vigorem, & tamen non sequitur, quod illa de facto sit in primo motore, qui est extra magnitudinē, & ratio diuersitatis est. Quia si virtus motiua infinita extensiuè esset in magnitudine, necessario esset infinitum vigore, aliter non posset cōtinuare motum perpetuum, quia nisi esset infinita in vigore, defatigaretur & laxaretur, ex consequenti non posset continue & regulariter & perpetuo mouere, si autem est extra magnitudinem, sufficit quod sit virtus infinita extensiuè, quia ex quo est extra magnitudinem non fatigatur, ex consequenti potest perpetuare continuum regularem. Cum igitur primus motor sit extra magnitudinem, sufficit sibi virtus infinita extensiuè ad causandum motum perpetuum.

Sed hæc responsio non est ad mentem Arist. nam licet in doctrina sua inueniamus, quod necesse est motorem, quo ad virtutem motiuam proportionali potentia passiuè ipsius mobilis proportionem maioris inæqualitatis, vnde dixit in secundo cœli, quod si plures stellæ essent in primo cœlo, aut tardius aut omnino nõ mouerētur, propter defectū proportionis, qui esset inter motorem & motum. Motor enim non mouet, nisi quia potentia eius est maior potentia moti. Tamen non inuenimus causam fatigationis positam ab Arist. nisi quia motor vnitur corpori alterabili, & quia in eo quod mouetur, est principium motus contrarium motui animæ, puta grauitas. Primam causam posuit in 8. physic. assignans rationem, quare anima non mouet animal motu continuo & regulari. Secundam posuit in secundo de cœlo, tex. 3. vbi assignans rationem, quare cœlum dum mouetur, non est in labore & fatigatione, dicit hoc ideo esse, quia non habet alium motum, nisi suum naturalem, qui est circularis, causatus à motore suo æterno, quasi dicat, si cœlum esset mobile alio motu, contrario ei, quo mouetur naturaliter à motore suo æterno, accideret cœlo fatigatio, sicut animali, dum mouetur ab anima sursum, quia est mobile deorsum ex alio principio. Cū igitur vtraque causa deficiat in cœlo, patet quod non esset necesse ponere in magnitudine cœli virtutem infinitam in vigore, vt posset cōtinuare motum perpetuum regularem.

DVODECIMI METAPHY.

Sed iterum instatur, probando quod etiam fatigabitur si ponitur in magnitudine inalterabili, nisi sit virtus infinita in vigore, & arguitur sic, si virtus infinita in duratione esset in magnitudine, moueretur per accidens, sicut mouetur anima per accidens ad motum corporis, si mouetur per accidens, non potest continuare motum vtraque; consequentia ponitur à philosopho in octauo physica, textu 52. Tunc ultra, si non potest continuare motum, ergo fatigatur, dato quod esset in magnitudine etiam inalterabili.

Ad hoc negatur vltima consequentia, nam bene stat, quod non possit perpetuare motum, si motor mouetur per accidens, non quia fatigatur & laxatur, quoniam hæc proprie sumpta sunt via ad corruptionem, quæ non potest esse in cælo, sed quia non esset debita proportio inter motorem & motum, vel quia intrinsece aliter & aliter se haberet ex motu suo per accidens, sicut & anima in animali, quicquid autem aliter & aliter se habet, non potest perpetuare ex se motum, stat igitur ratio tertia in robore suo.

Quarta ratio, probat Deum esse entitatis & perfectionis infinitæ, & hoc de mente philosophi, nam philosophus, vt patet in 5. metaphysic, in capitulo de perfecto, cognouit Deum esse vniuersalissime & absolute perfectum, ergo habere in se omnium perfectiones. Sed istæ sunt infinitæ, ergo est entitatis & perfectionis infinitæ.

Ad hanc rationem dicunt aliqui, quod ex tex. philosophi in 5. metaph de perfecto, non potest concludi, in primo principio esse infinitatem perfectionis simpliciter. Sic enim stat textus philosophi, alia omnino, secundum quod omnino non habent hyperbolem in vnoquoque genere, nec aliquid est extra, hæc philosophus, ex quibus constat, quod loquitur de perfectionibus existentibus in vnoquoque genere, quas dicit esse in primo & vniuersali perfecto, quem dicimus primum motorem, & nulla datur perfectio, quæ nõ sit in eo: sed perfectiones omnium generum quæ actu sunt, nõ sunt infinitæ, immo finitæ, quoniam rerum species finitæ sunt secundum philosophum & veritatem, non potest ergo ex philosopho concludi in Deo alia perfectio, nisi quia eminenter continet perfectiones omnium generum, quæ actu sunt. Constat autem, quod sunt finitæ, quoniam & totum vniuersum finitum est, ergo ex hoc non concluditur perfectio diuina infinita simpliciter.

QVAESTIO XX.

Sed quod hæc solutio non valeat, arguitur sic. Ad hoc quod aliqua perfectio sit in aliquo genere, non solum verum est de ea existere, sed etiam de possibili esse, nam & albedo vt existit, & vt possibilis, est in predicamento qualitaris, nam est in genere ratione suæ quidditatis, quidditas autem abstrahit ab existentia, & non existentia, ergo philosophus loquens de vniuersali perfecto, & dicens omnes perfectiones omnium generum esse in illo, & nullam extra ipsum, intendit, quod in eo eminenter continentur perfectiones omnium generum, tam existentes, quam posibles, ergo illa solutio non valet, sed de nouo sic formatur ratio.

Quod est tota entitas eminenter subsistens, tota entitas diuina ens possibilis, & ens actu, sius creata, siue increata est secundum perfectionem simpliciter infinitum, sed primū principium est talo, secundum philosophum in 5. metaph. cap. de perfecto, modo quo exposuimus, ergo &c.

Maior quidem patet, quoniam si est tota entitas actu & possibilis, ergo tota entitas creata & creabilis est in eo eminenter & tota entitas increata est in eo, sed creata & creabilis & increata sunt quid infiniti simpliciter, quoniam increata nõ habet à quo terminetur, & creata ac creabilis vt est eminenter in eo identificatur increate, ergo est infinitum simpliciter secundum perfectionem.

Alias rationes solent adducere doctores ad idem, sed quoniam non queritur hic quid veritas habeat, sed quid in hoc senserit philosophus, ideo sufficit adduxisse rationes fundatas in doctrina Aristotelis.

Nunc superest soluere rationes Tāduni, quas inducit in lib. 12. q. 15. pro defensione Commen. & sunt tres.

Prima est, si Deus est infiniti vigoris, mouet in instanti, quod est contra naturam motus, vt probatum est in 6. phy. & maxime de motu locali, de quo hic intendimus, consequentia patet, quia vel mouet in non tempore, & sic habetur propositum, vel mouet in tempore, & tunc est proportio temporis motus ad tempus secundum proportionem virtutis ad virtutem, si mouet in tempore quantumcumque paruo, tempus illud haberet proportionem ad tempus, in quo virtus finita mouet, & per consequens esset proportio inter virtutem finitam & infinitam, quod est impossibile, & hæc est ratio Arist. in primo cæli, in tex. 52. probantis, quod non potest esse grauitas infinita nec leuitas.

DUODECIMI METAPHY.

Secunda est, si primum est vigoris infiniti, tunc virtus finita & infinita possent mouere æquali tēpore, quod est falsum, quoniam vt declarati est in 7. phy. virtus maior intensiue producit æqualem effectum in minori tēpore, vel maiorem, & perfectiorem in tempore æquali, consequentia autem sic deducitur cum virtus infiniti vigoris non possit mouere in non tempore, moueat ergo in tempore A. i. in 24. horis, in quo reuoluit totum primum mobile ab eodem pūcto ad idem. Accipiantur virtus finita intensiue, quæ moueat in maiori tēpore, puta in 50. horis, & ei addatur alia virtus, ita quod ex ipsa & ex addita fiat maior virtus, ergo mouebit in minori tempore, quàm in 50. horis. Moueat ergo in 40. horis, addatur alia virtus, ergo mouebit adhuc minori, & sint horæ 30. Addatur iterum alia, ergo mouebit adhuc in minori, & iterum alia, ergo adhuc in minori, ergo non solum in tempore æquali, sed in minori mouebit virtus finita, nam virtus resultans ex talib. additionibus est finita, quoniam ex multis finitis non resultat nisi finitum.

Tertia est, nihil debet poni in philosophia secundum Cōm. in 8. phys. in cōm. 22. nisi quod potest cōvinci ex sensatis, sed primum prin. esse infiniti vigoris, non potest conuinci ex sensatis, quod sic manifestatur, non potest conuinci ex substantia sua, quia illa non cadit sub sensu, nec ex aliquo suo effectu sensibili, nam si ex aliquo eius effectu, maxime ex motu, & tempore, sed ex his non potest conuinci, nam motus & tempus sunt limitata secundum velocitatem. & motus fit successiue, ad hoc autem quod fiat successiue non requiritur virtus infiniti vigoris, immo si esset ab infinito vigore, fieret in instanti, nulla ergo ratione ponendum est à philosopho primum esse vigoris infiniti.

Ad primam & secundam simul respōdemus, & negamus primam consequentiam vtriusque, ad probationes dico, quod supponit falsum, & iam reprobati est supra. in hoc. xij. scilicet quod primum mouens moueat vt applicati primo celo, immo dicimus, quod nec in tempore, nec in instanti mouet immediatē aliquem orbem, & ideo non potest comparari ad virtutem finitam mouentem applicatam alicui orbi & posito casu quod moueret, dico quod moueret in tempore, & non est inconueniens quod æquali tempore moueat quo mouet virtus finita, quia non tota virtute mouet, philosophus autem reputat inconueniens, supponendo quod vtraque tota potentia moueat, & si

QVAESTIO XXI.

364

primum moueret tota potentia, dico quod ex se potest mouere etiam in instanti, sed quod non moueat, est ex repugnantia rei, quia scilicet est contra rationem motus, potentia autem finita non potest mouere in instanti, posito etiam quod non esset repugnantia ex parte motus, & in hoc stat vera differentia, inter virtutem infiniti vigoris, & virtutem finitam.

Ad tertiam dico, quod conuincimur ex effectu sensato, qui est motus infinitus duratione ad mentem philosophi, quoniam nulla virtus finita potest ex se, & propria virtute perpetuare motum, nisi in virtute primi conseruantis & influentis, vnde vt determinabimus infra, secundum mentem philosophi, sicut intelligentia solis habet esse à primo, ita & virtutem motus, & mouet, quia primum cooperatur ei ad motū, licet ergo non conuincamur ex determinata velocitate, quam videmus in primo motu, qui est motus diurnus, ponere infinitum vigorem in primo prin. conuincimur tamē ex infinitate primi motus secundum durationem actu secundum philosophum & possibilibus secundum veritatem.

Alia argumenta adducit Paul. Son. in fauorem Comment. quæ & soluit, quæ etiam adducuntur à Cap. & soluntur conuincuntur, & sunt Aureo. vt videre poteris in Cap. in 1. dist. 43. q. 1. art. 1. contra sextam conclusionem.

Hæc de infinitate primi dicta sunt in quibus saltē dedi occasionem inuestigandi mentem philosophi in hoc, nam apud peritos hoc quæsitum est extremæ difficultatis. Dixi autem inuestigandi mentem philosophi in hoc, quoniam hic non quærimus, quæ sit veritas in hoc, nam id iam determinauimus propter affirmatiua in scientia diuina reuelata.

Questio 21. Si philosophus opinatus est omnes intelligentias esse vigoris infiniti.

IN hac. q. quo ad Cōm. nulla est difficultas, quoniam vt dictum est in q. præcedenti, negat vigorem infinitum, etiam in primo prin. quanto magis in aliis intelligentiis.

Quantum autem ad mentem philosophi, qui secundum b. Tho. & Scot. vt patet, in questione præcedenti, & per rationes fundatas in doctrina sua, ponit in primo principio vigorem infinitum, est magna dubitatio propter dicta philosophi in hoc duodecimo libro.

DVODECIMI METAPHY.

Nam cum in tex. 29. remoueret ab intelligentiis omnino potentiam passiuam, & posuerit eas simplices actus & immateriales, uideretur quod qua ratione primus motor est vigoris infiniti, sint & illa, uel in nullo sit vigor infinitus.

Præterea, postquam in tex. 41. probauit mouens eternum, non esse in magnitudine, eo quod uirtus infinita non est in magnitudine, subsequitur in tex. 42. utrum autem unam ponendum est talem substantiam, aut plures, & quot sunt, &c. ly talem refert qualem supra dixerat, scilicet potentie infinitæ inalterabilem, impassibilem &c. & concludit, quod tot sunt, quot motus celestes, ergo esse uirtutis infinitæ, attribuit non solum primo principi, sed etiam aliis motoribus æternis, aliter text. philosophi non uideretur bene continuari.

Præterea, infra in tex. 43. in fine sic inquit, Palam itaq; quod tot substantias esse, necesse est natura sempiternas, & immobiles secundum se, & sine magnitudine propter prædictam causam. Vbi beatus Thom. exponens inquit, & sine magnitudine propter causam assignatam supra, quia scilicet mouent tempore infinito, & sic per consequens uirtute infinita.

Hæc b. Thom. Ecce quod b. Tho. dicit ad mentem philosophi, omnes intelligentias esse sine magnitudine, quoniam mouent uirtute infinita, ergo uideatur esse secundum philosophum uirtutis infinitæ.

Hæc sunt quæ causant difficultatem, tamen quia non est imputandum philosopho posuisse impossibilia, & sibi contradicentia, ideo intendo declarare, quod philosophus non fuit huius sententiae, quod alie intelligentiæ sint uirtutis infinitæ, sed hæc est proprietas primi principi, & sic procedendum est.

Primo ponetur distinctio de infinito perfectionali. Secundo conclusiones responsiue. Tertio declarabitur, quæ fuerit mens & qui sensus philosophi in prædictis textibus, qui uideatur causare difficultatem in hoc proposito.

Distinctio sit hæc, infinitum secundum perfectionem potest intelligi dupliciter.

Primo quod sit infinitum uniuersaliter, ut pote cõtinens absolute omnem perfectionem actu existentem, & possibilem esse. Sicut dicitur uniuersaliter infinitum secundum quantitatem, quod continet in se omnem quantitatem, secundum omnem dimensionem, ut corpus infinitum, quod in se contineret longitudinem infinitam, lati infinitam, profun. infinitam.

QVAESTIO XXI.

363

Secundo quod sit infinitum partialiter, & esset illud quod secundum unam perfectionem esset infinitum, ut continens in se infinitos gradus illius perfectionis si darentur, uerbi gratia, calor ignis si contineret in se infinitos gradus caloris, dicerentur infinitus partialiter, quoniam licet contineret infinitos gradus caloris, non tamen aliarum qualitarum, sicut linea infinita dicerentur infinita partialiter, quia licet contineret in se omnes partes longitudinis, non tamen aliarum dimensionum, corpus autem si esset infinitum, dicerentur infinitum uniuersaliter, quia contineret omnem dimensionem infinite.

Prima conclusio, nulla est repugnancia, quin possint dari plura infinita partialia modo quo expositum est. Probat, philosophus in 8. phisic. textu. 37. habet pro impossibili, quod sint plura corpora infinita, & ratio secundum Comen. est, quia corpus infinitum extenderetur in infinitum secundum omnes dimensiones, ita quod haberet dimensiones infinitas in omnibus partibus, & sic occuparet omnem locum, & talia plura infinita dari reputat impossibile, ergo a contrario sensu, si ponantur duo infinita, quorum neutrum est infinitum in omnibus partibus sed utrunque est infinitum in altera tantum, puta lines in longitudine, superficies in latitudine, non est impossibile talia plura infinita esse, saltem secundum intellectum. A simili, si sapientia ponitur infinita propria ratione, qua est sapientia, & bonitas infinita propria ratione, qua est bonitas, ita quod neutra sit infinita secundum omnes rationes perfectionales, nunquam ex illa infinitate partiali sequitur impossibilitas existendi talia plura infinita partialia.

Secunda conclusio. Repugnat posse dari plura infinita 1. modo, probatur. De ratione infiniti 1. modo, si est quantitatiuus, est quod contineat omnem dimensionem possibilem dari, ergo non compatitur aliquam dimensionem extra se, ergo repugnat dari aliud infinitum quantitatiuum 1. modo, si autem est infinitum secundum perfectionem, de ratione sua est, quod contineat omnes perfectiones datas, & dabiles, & omnes gradus earum, ergo repugnat posse dari aliud infinitum secundum perfectionem.

Ex hac ergo conclusione sequitur corollaria, nullam intelligentiam esse uigoris & entitatis infinitæ, nam probatum est in quaestio. præcedenti, primum prin. esse tale, & nunc probatum est non posse esse plura talia infinita, ergo non conuenit nisi primo principio.

DVODECIMI METAPHY.

Præterea, cum de ratione infiniti perfectionalis primo modo sit continere omnes perfectiones, & excludere omnes imperfectiones, si intelligentiæ essent infinitæ perfectionaliter, non essent subordinatæ primæ causæ, nec ordinaretur ad eam, nec penderent ab ea, nec mouerent ut assimilentur digniori, quæ tamen omnia sunt contra philosophum, ut magis patebit infra, quando loquemur de causalitate primi, & quomodo est optima in vniuerso, ad quod ordinantur omnia &c. consequentia autem manifesta est, quoniam subordinari, ordinari, & pendere, & mouere, propter dignius consequendum, dicuntur imperfectionem, aut saltem minorem perfectionem, respectu primi, cui ad quod, propter quod, &c.

Nunc respondendum est argumentis adductis ex text. philosophi. Ad primum, quando dicitur, quod philosophus remouit omnem potentiam passiuam ab intelligentiis, & posuit eas actus simplices, conceditur, & cum inferitur, ergo sunt virtutis infinitæ, negatur consequentia, & si probatur sic, ut aliqui probant.

Quod est actus purus non recipiens ut subiectum nec receptum ut in materia, vel in subiecto, est infinitæ perfectionis, sed intelligentiæ secundum philosophum sunt actus puri, non recipiunt, quia non habent potentiam passiuam secundum philosophum, ut declaratum est supra in 96. 11. nec receptus, quia sunt sine magnitudine, ex 12. metaphy. tex. 43. & quia non possunt esse formæ informantes, ut probatum est supra, ergo sunt infinitæ perfectionis, & maior sic probatur.

Quod aliquid componat cum alio, sicut recipiens illud vel sicut receptum in eo, hoc prouenit, quia in ipso ut in vno simplici non est quicquid perfectionis est sui generis, & cuiuslibet alterius, ergo ex opposito, quod aliquid sit actus purus & nullo modo componibile, cum alio, ut recipiens, nec ut receptum, hoc prouenit, quia in se habet omnem perfectionem sui generis & cuiuslibet alterius, & sic est infinitæ perfectionis.

Ad hoc dicitur, quod ille conditiones, scilicet non esse componibile cum alio ut recipiens, nec ut receptum, non complement rationem infiniti perfectionalis, sed ultra hoc requiritur, quod non pendeat ab alio, nec ordinetur ad aliud, nec desideret nobilius, & quoniam ista non verificantur de intelligentiis, ut dictum est, ideo non sequitur quod sint infinitæ perfectionis.

Ad secundum dicitur, quod ly talem refert qualem supra quo ad omnes conditiones possibiles conuenire intelligentiis, sci-

QVAESTIO XXII.

licet mouere semper actu, esse æternas immateriales, sine magnitudine inalterabiles impassibiles, & quoniam esse infinitas perfectionaliter repugnat intelligentiis, ideo non est necesse, quod referat illam conditionem.

Ad tertium, quoniam tota difficultas stat in expositione beati Thomæ, ideo dico, quod ly virtute infinita, potest intelligi dupliciter.

Primo sic, intelligentiæ mouent virtute infinita sibi intrinseca, & hoc est falsum, quia hæc est proprietas primi principij.

Secundo sic, mouent virtute infinita extrinseca, quæ est primo mouente, cuius virtute mouent, non enim intelligentiæ mouent motu æterno ex se, sed quia recipiunt virtutem, sicut & esse à primo principio, ut manifestabitur infra. Sic igitur exponendo & distinguendo potest saluari dictum philosophi & expositio beati Thomæ. Aliiter non video, quomodo effugias, quin secundum philosophum & secundum sensum sibi attributum apparetur à beato Thoma, omnes intelligentiæ sint virtutis infinitæ. Hæc de præsentibus quæstio dicta sint.

Quæstio 22. Si in intelligentiis est ordo nobilitatis iuxta ordinem suorum motibilium secundum situm.

Quod quidem igitur sint substantiæ, & harum quæ prima & secunda secundum ordinem eundem. Tex. 44.

In hac quæstione procedendum est. Primo ponetur conclusio responsiva secundum philosophum. Secundo declarabitur, quomodo nobilitatis gradus inter intelligentias potest considerari in duplici ordine. Tertio mouebuntur & resoluentur duo dubia.

Quantum ad primum sit hæc conclusio responsiva, intelligentia quanto superiori orbi applicatur, tanto nobilior est. Hæc non potest demonstrari ab intellectu nostro à priori, quoniam non cognoscimus separata, nisi ex effectu & motu, unde philosophus ex numero motuum concludit numerum separatorem, probatur ergo sic, nobiliori & virtuosiori instrumento, nobilior mouens applicandum est, sicut & nobiliori corpori nobilior forma, & nobiliori regno perfectior regens.

Sed corporea cælestia sunt instrumenta intelligentiarum

DVODECIMI METAPHY.

mouentium, quod corpora quanto superiora sunt, tanto & nobiliora, ut patet etiam in elementis, quoniam continens est ut actus, & conseruans, respectu contenti, ergo ut inter mobile proprium & suum mouens seruetur debita proportio, conueniens est, ut qualis est ordo secundum superius & inferius sicut inter corpora caelestia, talis sit ordo nobilitatis inter intelligentias applicatas, ita quod quanto superiori orbi applicatur, tanto sit nobilior.

Hae conclusio confirmatur per Commentatorem in duodecimo libro in commento quadragesimo quarto, ubi sic loquitur. Declaratum est ex hoc sermone, substantias aeternas esse plures vna, & quod in eis est prima, scilicet quae omnia mouet, & secunda, & tertia secundum ordinem orbium manifestum est, quod autem illa quae omnia mouet, praecedit omnes, manifestum est valde, omnes enim istum motum maximum intendunt, quapropter prior est omnibus naturaliter, & etiam secundum locum, & secundum magnitudinem, scilicet quod ista substantia videtur esse prior propter prioritatem eius, quod mouetur ab ea secundum locum & magnitudinem in multitudine stellarum & velocitate motus, & omnia ista faciunt eam priorem nobilitate & substantia. Quoniam vero ordinatio istorum mouentium a primo motore, oportet ut sit secundum ordinem stellarum orbium in loco, manifestum est. Prioritas enim illorum in loco & in magnitudine facit eos priores in nobilitate.

Quantum ad secundum aduerte, quod nobilitas intelligentiarum potest considerari in duplici ordine. Primo ut omnes respiciunt primum motorem. Secundo ut vna respicit aliam, puta intelligentia Martis respicit eam, quae est Saturni. Primo ordinatio dicitur a Comment. in eodem commen. 44. praecisa, secunda dicitur non praecisa. Quid autem per praecisam & non praecisam intelligat, extimerur sic accipiendum, ordinatio intelligentiarum, prout respiciunt motorem primum, dicitur praecisa, scilicet essentialis & adaequata causa, ordinis perfectionalis inter eas, eo quod sumitur per propinquitatem maiorem aut minorem ad primum principium. Nam cum ipsum sit perfectissimum & optimum, ad quod omnia ordinantur, ut dicit philosophus infra, illa erit praecise nobilior, quae primo principio est propinquior, quanto autem superior, tanto propinquior, ordinatio vero intelligentiarum, prout vna respicit

QVAESTIO XXII.

365

aliam, puta suam superior em, non est praecisa, id est, non est essentialis & necessaria, quoniam nulla intelligentiarum est mensura alterius simpliciter, & ideo sequens non potest dici perfecta & nobilior pro tanto gradu, ut respicit superior em praecise, sed prout est in tanta propinquitate, ad primum & summum motorem, nam sicut forme intensio, sic perfectio maior & nobilitas aliquid summum respicit.

Quantum ad tertium aduerte, quod contra praedicta duo facta dubia insurgunt. Primum est de Solis intelligentia, & est tale, si secundum nobilitatem mobilium, est ordo nobilitatis in motoribus, ergo cum sphaera Solis & ipsum astrum videatur nobilior, & magnitudine, & lumine, & effectu, in inferioribus eo quod est pater & fons omnis generationis, in inferioribus sibi erit applicata nobilior intelligentia, quam planetis superioribus, non ergo secundum sitam & ordinem mobilium est ordo in intelligentis secundum nobilitatem, & aduerte quod hoc dubium tangit Comment. in hoc. 12. in commen. 44. & b. Tho. exponens tex. 44. & in 2. caeli, in lect. 28.

Ad hoc dubium secundum Comment. difficile est respondere, nam in libro duodecimo in commento quadragesimo quarto respondens inquit, ordinatio quidem earum adinuicem secundum nobilitatem possibile est scire ex dictis ab antiquis, habentibus curam de actionibus earum in entibus verbi gratia. Quoniam dant Soli vitam, & Saturno res fixas, ordinatio igitur earum a primo est praecisa, ordinatio vero earum adinuicem non est praecisa, & forte melius est illud, quod intendebat Aristot. scilicet quod ordo earum sit secundum ordinem eorum, id est, suorum mobilium in loco. Hae Comment. ex quibus possumus hoc factum elicere, quod ut comparantur ad primum motorem, quanto superiores, tanto nobiliores, quia illi propinquiore, ut autem comparantur adinuicem diuersa ratione possunt reputari nobiliores, & minus nobiles, verbi gratia. Quia Saturno attribuit stabilitas, & fixio rei inesse, Soli autem viuificatio, Saturnus ratione fixationis erit nobilior. Sol autem ratione viuificationis. Tu tamen aduerte, quod Comment. in li. 2. de caelo, in commen. 78. tenens, quod Sol sit supra Mercurium & Venerem, attribuit ei proprium motum velociorem quam Mercurio, & Veneri, & hoc propter maiorem abundantiam potentiae & virtutis. Hic autem in 12. loquitur secundum sitam assignatum a philosopho, ut quod sit immediate supra lunam.

DVODECIMI METAPHY.

Ad idem dubium secundum doctrinam beati Thomæ in hoc duodecimo, in expositione textus quadragesimoquarti, & in secunda de celo, lect. 18. responderi possumus duplici via.

Primo supponendo secundum Aristot. quod sol sit supra lūdam immediate, dicitur quod planeta quanto superior, tanto nobilior, quia vniuersaliorem effectum habet, vt videre poteris in expositione beati Thomæ, vbi supra. vnde licet Sol habeat effectum super inferiora magis manifestum, non tamen vniuersaliorem, ideo non est nobilior planetis superioribus, & per consequens nec intelligentia illi applicata.

Secundo supponendo quod Sol in 4. celo, vt Moderni astronomi tenent, dicit b. Tho. in 2. cæli, lect. 18. quod Sol optime ordinatus est in medio planetarum habens tres supra se. Saturnum, Iouem, Martem, & tres infra se. Venerem, Mercurium, Lunam, cuius ratio est, quia sicut supra sphaera ex sua magnitudine & multiplicitate stellarum deputatur super permanentiam, & vniuersaliores effectus causando in his inferioribus, & hac de causa deseruiunt octauæ sphaeræ tres superiores planetæ, ita de causando vniuersalem transmutationem rerum generabilium & corruptibilium, ordinatur Sol propter suam magnitudinem & luminositatem, ideo proportionaliter sibi deseruiunt tres inferiores planetæ. Tu tamen aduerte, quod ex hac secunda assignatione non habetur, quod sol sit nobilior omnibus planetis simpliciter sed tantum tribus inferioribus, ideo conceditur, quod planeta quanto superiores, tanto nobiliores, iuxta primam assignationem, & per consequens intelligentia eis applicata, licet aliqua ratione & diueria possint dici magis & minus nobiles, vt declarauimus secundum Comment.

Hæc dicta sunt secundum philosophum, verum apud astronomos, nobilissimus inter planetas creditur Sol, ex maxima potentia, quam declarat in mundo inferiori, per accessum & recessum, vnde dicitur pater hominum, & sic non videntur concordare philosophi & astronomi, in assignanda gradualitate nobilitatis, inter planetas & eorum intelligentias. Tu vero si aliqualem concordantiam desideras, vide in commento Theoricæ planetarum composito per Franciscum Capuanum, in commento Theoricæ Solis, in questione, qua disputat de eccentricis contra Commentatorem, respondens ad sextum argumentum Augrois, vbi incipit sic, sed quæ harum opinionum verior sit &c.

QVÆSTIO XXII.

366

Secundum dubium est de applicatione intelligentiæ, quam habet cum suo orbe, nam quia conclusum est, quod intelligentiæ se habent in nobilitate gradualiter secundum ordinem situationem suorum mobilium, eo quod eis vt propriis instrumentis applicentur, ideo merito dubitatur de tali applicatione, & si cum ea potest seruari immobilitas intelligentiæ intrinseca, & secundum substantiam, ita quod non sit necesse eam moueri substantialiter per se, nec per accidens, ad motum sui orbis. Vt igitur hoc dubium resoluator, dicendum est primo, quid sit hæc applicatio, secundo declarabitur, quomodo cum illa saluatur immobilitas intelligentiæ.

Quantum ad primum aduerte, quod hæc applicatio importat contractum virtuales, quo intelligentia vnitur orbi virtualiter, & quo continet, orbem virtualiter vigorando ipsum, & influendo in illum, pro quo aduerte, quod ex assistentia intelligentiæ mouentis cum orbe proprio confortatur, & fit vigorosus, vt valeat agere & influere in hæc inferiora.

Hæc autem confortatio provenit ex eo quod orbis recipit virtutem sibi impressam & influxam à sua intelligentiæ sibi copulata virtualiter, & non sicut, cum sit non quanta.

Sed aduerte, quod huiusmodi virtus quæ est vt quedam forma actiua, quæ cælum redditur potes ad agendum in hæc inferiora, ultra suas virtutes connaturales, potest dupliciter considerari.

Primo quod recipiatur ab intelligentia influente in ipso celo, secundum esse fixum & permanentem, modo quo recipitur virtus attractiua in magne.

Secundo in esse quasi transeunte & in fieri, modo quo causatur lumen in aere, quod non permanet subrastrato luminoso.

Primo modo non potest causari prædicta virtus ab intelligentia mouente in orbe suo, quoniam apud philosophum, vt declarat in septimo libro metaphysicæ contra Platonem, forma abstracta non inducit per seipsam aliam formam, aut qualitatem in corpore, subintelligit secundum esse fixum & permanentem.

Secundo autem modo bene potest causari, quoniam quandiu cælum est sub motu, se habet vt instrumentum motum à principali agente, quod transeunter recipit virtutem ab agente, vnde sequitur secundum philosophum, quod si cælum quiesceret, nihil reciperet ab intelligentiæ, nec seruaretur copula virtualis inter intelligentiam & orbem, & aduerte quod nescientes hanc distinctionem de receptione formæ per modum permanentis,

DVODECIMI METAPHY.

& per modum fieri, negauerunt celum motum aliquid virtutis recipere immediate ab intelligentia, quorum argumenta solua infra.

Quantum ad secundum aduerte, quod hæc copula virtualis potest imaginari fieri tribus modis.

Primo quod applicetur virtualiter omnibus partibus cæli æque primo influendo & causando motum in omnibus partibus immediate.

Secundo quod applicetur vni soli parti determinate quam nunquam deserat, & per eam primo moti moueat rotam cæli, eo quod omnes partes cæli sunt continæ & solidæ, & vna mota omnes mouentur. Continuum enim solidum est, quod ad motum vnius partis totum mouetur. Tertio quod nulli determinari parti semper fiat applicate, sed omnibus successiue se applicet: ita quod, sicut figulus tangit successiue omnes partes sue rotæ, & per successiuum contactum continuat motum rotæ stans extra rotam, & ab aliquo situ, puta à dextris incipiens mouere, eodem modo intellige præcise de intelligentia respectu sui orbis.

Primus modus non admittitur, quoniam non possemus assignare à qua parte incipit motus cæli, & sic non possemus seruare differentias locales esse realiter in cælo, quod est contra philosophum in 2. cæli, vbi assignat dextrum in illa parte, à qua incipit motus.

Secundus etiam modus non admittitur, quoniam si applicatur tantum vni parti, & eam nunquam deserit, ergo rotatur simul cum illa, & sic mouetur per accidens ad motum sui orbis, quod non est consonum doctrinæ Aristotelis. Nam licet in octauo phisic. in text. 52. teneat, quod motores planetarum mouentur per accidens, non tamen intrinsece secundum suam substantiam, vt mouetur anima ad motum animalis, sed extrinsece, id est, quia orbis planetarum mouentur ad motum primi mobilis motu raptus.

Tertius modus videtur conuenientior & admittitur, quoniam per ipsum seruamus immobilitatem intrinsecam intelligentiæ, & per se & per accidens, & seruamus differentias locales realiter esse in cælo, vt diffuse tractauimus in questionibus nostris in 2. de cælo. Tenendum est ergo, hanc applicationem fieri 3. modo, quoniam ad hunc modum nullum sequitur inconueniens, & est conuenientior in via philosophi, qui

QVAESTIO XXII.

369

non concedit intelligentiam copulari suo orbi mere voluntarie, sed quasi naturaliter, eo quod arbitratur perfectionem eius pendere ex motu, vt supra declarauimus, & ideo sic debet copulari cælo, quod possint continuare & perpetuare motum. Non possent autem, si secundum substantiam suam mouerentur per accidens, vt patet in 8. phisic. text. 52. ergo non applicantur se vni parti præcise, quam nunquam deserant, sed aliis & aliis successiue existentes extra cælum quantum ad situm, quoniam cum sint incorporeæ, non determinantur situ, tangentes tamen actu virtuali cæli partes, successiue, & à parte orientali tantum incipit earum tactus, & influxus, & motus, vt patet in octauo phisic. text. 84. Sic nunc occurrit dicendum, Verumtamē hanc materiam ludico perdifficilem, quoniam multum elongatur à sensatis.

Nunc superest soluere argumenta quorundam negantium intelligentiam imprimere virtutem in cælo, secundum esse transiens, & arguit primo sic, si illa virtus imprimitur in cælo per modum transeuntis, ergo videtur in cælo habere solum esse intentionale. Sed hoc est falsum, quoniam non esset qualitas actiua in cælo. Intentiones enim cum sint entia rationes non sunt principia agendi.

Ad hoc dicitur, quod intentionale sumi potest tribus modis.

Primo vt est ens rationis, sicut intentio generis & speciei, & hoc modo illa qualitas non est intentionalis.

Secundo pro specie causata ab obiecto, vt species coloris recepta in medio, & in oculo, & dicitur intentio, quia non denominatur nec habet esse naturale in eo in quo recipitur. Nec hoc modo qualitas illa impressa ab intelligentia in cælo intentionalis, quoniam secundum situm esse reale, prout sibi competit, recipitur in cælo, & non est inconueniens, quod denominet cæli, saltem eo modo quo rubor ex verecundia denominatur, subiectum licet denominationem sicut & qualitatem non apprehendamus, nisi in confuso.

Tertio, omnia fixa recepta per modum transeuntis potest dici intentio, ad differentiam formæ receptæ per modum permanentis, vt virtus impressa lapidi à proficiente, que non permanet in lapide, nisi quandiu est in motu, dicitur intentio & hoc tertio modo illa qualitas potest dici intentio, & ad argumentum nego quia possit esse qualitas actiua, probatio autem procedit de intentione primo modo.

DUODECIMI METAPHY.

Secundo sic, si est qualitas actiua, ergo habet contrarium, quoniam actiua respicit passiuam, ut sibi oppositam, sed in coelo non sunt qualitates contrariae, ex i. coeli, ergo &c.

Ad hoc dicitur non esse verum vniuersaliter, quod qualitas actiua habeat contrariam, sed tantum verificatur in qualitatibus elementaribus, quae sunt principia alterationum, concedo tamen, quod ut actiua respicit passiuum subiectum receptiuum, & sic dico, quod haec qualitas respicit coelum ut receptiuum sui, & motus causati ab intelligentia, mediante hac qualitate impressa.

Tertio sic, si datur talis qualitas, ergo continetur in aliquo genere qualitatis, quod non potest assignari, nam constat quod non est in quarto genere, cum non sit forma, aut figura, circa quantitatem, nec est in tertio genere, quoniam non est passio nec passibilis qualitas, nam in tertio genere non ponuntur nisi qualitates subiectae sensui, aut quae inferunt passionem sensui. Nec in secundo, quoniam naturalis potentia est inseparabilis, haec autem cum secundum se recipiatur per modum transeuntis, separabilis est. Nec in primo genere, quoniam in eo videtur poni solum qualitates, quae sunt principia actionum immanentium, ut in praedicamento exemplificat philosophus.

Ad hoc dicitur quod est in primo genere, & continetur sub dispositione, quoniam per eam disponitur & actuatur coelum ad agendum per motum in haec inferiora.

Ad probationem nego, quod in eo ponantur tantum, quae sunt principia actionum immanentium, immo dico, quod omnis qualitas ut disponens suum subiectum ad agendum sive actione immanente, sive transeunte, ut sic potest dici dispositio.

Vnde philosophus in praedicamento qualitatis exemplificat in primo genere de calore & siccitate, ex quo sequitur, quod non inueniunt eandem qualitatem sub diuersa ratione poni in primo & in tertio genere, sicut calor, ut est disponens & actiuans subiectum ad calefaciendum, est in primo genere, ut autem inferat passionem sensui, est in tertio genere. Haec de praesenti quaestio dicta sint.

Quaestio 23. Si est necesse ponere eccentricos & epiciclos.

Eudoxus quidem igitur Solem & Lunam. Textu 45.

QVAESTIO XXIII.

368

In hac quaestione aduerte, quod difficultas cadit ex hoc, quia sensu deprehendimus planetas, modis sub zodiaco aliquando esse velociores, aliquando tardiores, & videntur declinare aliquando ad septentrionem, aliquando ad meridiem, & videtur aliquando distantiores a terra, aliquando proximiores, & quoniam huiusmodi irregularitates videntur non posse stare cum motu vniuersali, quia attribuitur coelo, ideo astronomi laborauerunt in assignandis causis harum irregularitatum, & tandem moderni, & Hyparcus & Ptolomaeus determinauerunt huiusmodi difficultatem expositionem eccentrici & epicicli. Ut igitur de hoc habeatur aliquis resolutio, sic procedendum est.

Primo declarandum quid sit eccentricus & epiciclus.

Secundo quid circa hoc senserit beatus Thomas & Comment.

Tertio determinabitur quaestio secundum mentem Ptolomei.

Quarto soluentur praecipuae rationes quae solent induci ad destruentibus eccentricos & epiciclos.

Quantum ad primum aduerte, quod apud astronomum circulus eccentricus notificatur per concentricum suum oppositum, sicut obliquum notificatur per rectum, est autem concentricus circulus, qui diuidens coelum & terram in duas partes aequales, habet centrum suum cum centro terrae, eccentricus autem est, qui licet diuidat terram in duas partes, tamen habet centrum suum extra centrum terrae, epiciclus est circulus paruus in circumferentia differentis, per cuius circumferentiam deferretur corpus planetae, & centrum epicicli semper deferretur in circumferentia deferentis. Haec quidem iam tibi nota sunt, ut principia, in ultimo capite, in tractatu de sphaera, ideo vide per te ipsum.

Quantum ad secundum quo ad beatum Thomam aduerte, quod in secundo coeli, lect. 17. recitat opinionem de concentricis, quae fuit Calipi & Eudoxi, & opinionem de eccentricis, quae prius videtur fuisse Pythagorae, nunc autem est communiter modernorum, sed in illis neutram reprobat, ideo videtur pitrus medijs, in libro autem duodecimo metaph. lect. 7. super tox. 46. videtur tenere contra modernos, & arguit, ut videre poteris, quod tenere eccentricos & epiciclos, contradicit his, quae sunt demonstrata per philosophum in scientia naturali, & maxime in lib. de coelo. Non enim omnis motus naturalis erit a medio, vel ad medium, vel circa medium, &c. ut declarabitur, quando formabimus rationes Commentat. contra Ptol.

DVODECIMI METAPHY.

mum, nam virtualiter rationes beati Thomae, contra modernos sunt etiam rationes Comment.

Quantum ad Comment. patet mens sua in 12. lib. metaph. commen. 45. ubi intendens impugnare Ptolomaeum, antequam incipiat arguere contra eum, inquit. Eccentricum enim & epicyclum dicere est extra naturam. Epicyclus autem impossibile est, ut sic omnino. Deinde incipit arguere, ut apparebit in parte ultima quaestionis.

Quantum ad tertium, intendo determinare quaesitum secundum viam Ptolomaei, quoniam per ipsum rationabilius saluatur apparentes irregulariter supra nominatae. Nec in hoc reprobamus directe Aristot. quoniam ut patet in 12. metaph. in tex. 45. non loquitur de his, secundum propriam perferuationem, sed remittit se ad mathematicos, & dicit illam sectam sequendam, quae rationabilius loquitur, unde inquit, illa vero persuaderi à quaerentibus, si quid videatur praeter modo dicta. Amare quidem utrosque, persuaderi vero à certioribus. Si igitur declarabimus opinionem Ptolomaei esse rationabiliorem, non erimus contra mentem philosophi. Quod autem ipse recitat opinionem Calipi, & Eudoxi, & iuxta eam assignat numerum intelligentiarum ideo fuit, quoniam tempore suo nondum celebrata & firmata fuerat opinio de eccentricis. Intendens igitur determinare quaesitum iuxta viam Ptolomaei, probo duplici ratione dari eccentricos & epicyclos.

Prima ratio sumitur à Ptolomaeo in 5. dictione almagesti, cap. 14. si non dantur eccentrici, ergo planetae semper apparebunt aequae distantes à terra, & eorum diametri visibiles semper erunt eiusdem quantitatis, sed hoc est falsum, quoniam ad sensum deprehenditur planeta quandoque remotior, quandoque propinquior terrae, & hoc communiter conceditur. Consequentia autem probatur, quoniam omnes circuli concentrici ex quo non habent centrum extra centrum terrae, secundum omnes partes aequae distant à terra, ergo si differens corpus planetarum est concentricum, erit planeta semper aequae distans & aequae propinquans terrae.

Ut ergo seruemus maiorem & minorem distantiam à terra in stellis erraticis, & praecipue in Sole, & Luna, ponendi sunt eccentrici.

Secunda ratio sumitur à Ptolomaeo in dictione tertia almagesti, c. 3. Planetae & omne corpus caeleste regulariter mouentur

QVAESTIO XXIII.

tur, ut probatum est in 8. phil. Tunc sic deprehenditur quod Sol in medietate zodiaci ab ariete ad finem virginis longiori tempore moratur, quam in alia medietate, à principio librae ad finem piscium, ergo in prima medietate zodiaci, maior portio de suo orbe intercipitur, quam in reliqua medietate, ergo linea secans zodiacum in duas medietates, ex consequenti transiens per centrum mundi, secabit circulum Solis differentem in partes inaequales, quare centrum differentis Solis differentem in partes aliud à centro mundi, & sic differens Solis est eccentricus.

Quantum ad quartum adverte, quod praecipuae rationes destruentium eccentricos, & maxime Comment. sunt quinque.

Prima, dicatur eccentricus, caelum non mouetur solum circa medium, sed à medio ad medium, quod est contra philosophum 1. caeli tex. 5. probatur consequentia: quoniam eccentricus secundum unam partem magis recedit à centro mundi, ergo planeta pro illa parte mouetur à medio, & secundum aliam partem minus recedit, immo propinquat centro mundi, ergo pro illa parte planeta mouetur ad medium.

Ad hoc dicitur quod non est contra philosophum, ponere caelum moueri à medio ad medium, dummodo totum moueatur circa medium, & ratione eccentrici non moueatur à medio ad medium per lineam rectam, hoc enim est proprium corpori graui & leui, quando autem mouetur per eccentricum differentem per eleuationem & depressionem respectu centri mundi non mouetur per lineam rectam, sed circulearem, ideo non est contra intentionem Arist.

Secunda, si datur eccentricus, caelum non est perfecte sphaericum, quod est contra philosophum in primo caeli, tex. 32. consequentia patet, quoniam eccentricus secundum unam partem est magis grossus, siue magis spissus, & secundum aliam est minus, ergo eccentricus non est perfecte sphaericus.

Ad hoc dicitur, quod perfecta sphaericitas sumitur ex aequa distantia centri à tota circumferentia, & quoniam talis distantia seruatur in eccentrico, respectu proprii centri, ideo ut sic est perfecte sphaericus, quod autem non sit aequae grossus per totum, non derogat perfectae sphaericitati, unde negatur vltima consequentia.

Tertia, si datur eccentricus, datur vacuum, aut corporum penetratio, quod est contra philosophum in 4. phys. Consequentia probatur.

DVODECIMI METAPHY.

Cum in eccentrico sit pars grossa, & pars tenuis, sequitur quod quando pars grossa peruenit suo motu ad locum partis tenuis, aut subintrabit sphaeram circumdantem, aut locus in quo erat pars tenuis, non replebatur ab ea & sic iuxta primum dabitur corporum penetratio, & iuxta secundum dabitur vacuum. Ad hoc dicitur, quod supponit falsum, imaginatur enim quod pars grossa praecise habeat occupare locum partis subtilis, & pars subtilis praecise habeat occupare locum partis grossae, si enim sic esset, profecto sequerentur inconuenientia dicta.

Sed non sic est, immo pars grossa supremi ita mouetur proportionaliter, quod nunquam separatur a parte subtili infimi, & pars grossa infimi nunquam separatur a subtili supremi, & ideo non sequuntur dicta inconuenientia.

Quarta, idem est locus totius & partis ex 4. phy. Sed centrum mundi est locus totius caeli, quoniam ex 4. phy. non locatur nisi per centrum, cum extra caelum totum id est vltimam sphaeram non sit corpus circumdans, ergo centrum mundi est locus eccentrici, qui est pars caeli. Sed repugnat centrum eccentrici esse centrum mundi, ergo repugnat dari eccentricum.

Ad hoc dicitur, quod in via nostra haec ratio nullam habet apparentiam: nam b. Thomas negat eandem & nos in 4. physicae, determinauimus contra Commentato. de locatione vltimae sphaerae, ubi sustinemus, quod est in loco non per centrum, sed per partes.

Quinta, si datur eccentricus, datur alia terra ex consequenti alius mundus, quod repugnat philosopho in 1. caeli tex. 76. & in 12. meta. tex. 49. Consequencia sic deducitur. Omnis sphaera caelestis vertitur circa centrum, quare, aut vertitur circa centrum mundi, quod est centrum huius terrae nostrae, aut circa aliud centrum, non primo, quia repugnat eccentrico habere centrum cum centro mundi, tunc enim eccentricus, esset concentricum quod implicat, ergo secundo. Sed non datur aliud centrum, nisi datur alia terra circumdans centrum, circa quod girat sphaera caelestis eccentrica.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem conceditur, quod omnis sphaera caelestis vertitur circa centrum, concentrica quidem circa centrum mundi, eccentrica autem circa aliud centrum, non quod sit alterius terrae, sed signabile in terra nostra, respectu cuius vna pars eccentrici magis distat a circumferentia terrae, alia pars magis propinquat, respectu autem co-

QVAESTIO XXIII.

370

centrici seruetur per totum aqua distantia, & cum arguitur, quod non datur aliud centrum, nisi datur alia terra, haec neganda est. Ista sunt praecipuae rationes destruendum eccentricos.

Et tu aduerte, quod haec quaestio requirit hominem eruditum in theorica planetarum, aliter non intelliget sensum Calipi, nec Eudoxi nec Commen. nec Peolomaei. Haec de praesenti quaestio dicta sint sunt.

Quaestio 24. Si in separatis possunt esse plura indiuidua sub eadem specie.

Quaecunque vero sunt numero multa, habent materiam text. 49. Vbi inquit Comment. & iam declaratum est, quod principium caeli non habet materiam.

IN hac quaestione duo pertractanda sunt. Primo si in abstractis de mente philosophi potest saluari pluralitas indiuiduorum eiusdem speciei specialissima.

Secundoposito quod non, inuestigandum est, cum intelligitiae sint quaedam indiuidua, eo quod mouentur & operantur, & intelligunt, tales autem actiones sunt singularium, quoniam ex doctrina philosophi, actiones sunt suppositorum, ex proemio primi metaphy. per quid indiuiduantur, ex quo non habent materiam in qua, nec ex qua, nec quantitatem, cum sint extra magnitudinem.

Quantum ad primum aduerte quod est antiqua discrepantia in hoc inter b. Thom. & Scot. & quoniam hoc dubium ventilatum est apud theologum in 2. sen. di. 3. ne confundantur scilicet, intendo hic procedere pure metaphy. & ex principiis philosophi. Sic ergo procedetur.

Primo ponitur conclusio negatiua, & probabitur defendenda contra Scot. Secundo soluentur praecipua argumenta tenentium partem affirmatiuam.

Tertio incidenter declarabitur si b. Thom. in aliquo sensu concederet partem affirmatiuam.

Conclusio sit haec, secundum principia philosophi, non possunt esse plura distincta solo numero sub eadem specie in entibus abstractis. Hanc sic manifesto ad mentem philosophi.

Nam in lib. 12. in tex. 49. intendens probare, quod est tantum unum caelum, id est vnus mundus sic arguit, si plures sunt mun-

DVODECIMI METAPHY.

di, quilibet habet suum primum principium, id est primum motorem, sed non possunt esse plures primi motores, quoniam essent specie vnum & distincti numero, sed hoc est impossibile, quoniam quæ sunt numero multa, & vnum specie, habent materiam.

Sed primus motor non habet materiam, est enim endelechia, ergo non possunt esse plures primi motores. Hæc est ratio philosophi, ex qua sequitur, quod cum in entibus abstractis non sit materia, non possunt esse plura numero in eadem specie.

Hanc rationem conatur Ant. And. in 5. meta. q. 5. soluere per distinctionem materie, cuius imaginationem adduximus in 5. lib. in q. 14. & illic videbis clare, quod credit principium distinctionis numeralis sub eadem specie, non esse materiam partem compositi, sed differentiam individualement, quam vocat materiam totius, & dicit, quod philosophus de hac materia intendit in 5. metaph. tex. 12. cum dicit, vnum numero sunt quorum est materia vna, & in lib. 12. in tex. 49. cum dicit quæcunque sunt numero multa, habent materiam, & quoniam primus motor non habet materiam, id est talem differentiam individualement, ideo concludit non posse esse plures primos motores, & quia intelligentiæ cum non sint entitatis, nec perfectionis infinitæ, sunt in genere & in specie, habent suas differentias individuales quas philosophus vocat materiam, ideo non inconuenit intelligentias plures esse eiusdem speciei.

Hæc est solutio Ant. And. sed quod philosophus intendat de materia quæ est pars compositi, & non alio modo, iam declaratum inuenies in lib. 5. in q. 14. vide tu illic, ne idem inutiliter replicemus.

Tu tamē aduerte, quod Sco. in 2. dist. 3. q. 8. ad primum, considerans philosophum in hoc lib. 12. in tex. 49. non posse interpretari, nisi de materia, quæ est pars compositi, tandem negat philosophum, & dicit ipsum non tenendum à theologo, nec à vero philosopho, & sic inquit, Rationabilius est ergo theologo discordanti à philosopho in principio propter quod tenet aliquam conclusionem, consequenter discordare in conclusione, quam errare cum eo, Hæc ille.

Quia ergo non acceptat principium philosophi ad hanc conclusionem. Quod est hoc. Quæcunque sunt plura numero, habent materiam, ideo metaph. loquendo non est disputandum cum eo, sed relinquendus est à peripateticis in hoc.

QVAESTIO XXIII.

371

Alias rationes adducunt Thomist. ad hanc conclusionem, & præcipue Paul. Sonc. in lib. 12. q. 52. quas videre poteris, ego autem extimo, quod stando præcise in principiis Aristo. si ratio quam adduximus non concludit, alia non concludunt ideo non lo multiplicare rationes.

Quantum ad secundum aduerte, quod tenentes partem affirmatiuam multipliciter arguunt. Sed eorum fortiora argumenta sunt quatuor.

Primo omnis quidditas quantum sit ex se, est comunicabilis quidditas intelligentiæ siue quidditas abstracta, est quidditas, ergo est comunicabilis, tunc ultra, vel est comunicabilis in plura supposita tantum, stante identitate quidditatis, vel in plura numero, cum distinctione quidditatis, non primo, quia hoc est proprium quidditatis infinitæ secundum theologum, ergo 2. modo, ergo quidditas abstracta potest multiplicari numeraliter, stante identitate specifica. Minor quidem nota est.

Maior autem sic probatur, si quidditati vt quidditas est, repugnat comunicari, vel hoc est ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis, non primo, quia quidditas infinita, quæ est quidditas diuina, cum sit perfectissima, non esset comunicabilis, non secundo, quia quidditas rerum generabilium, cum sit imperfecta, non esset comunicabilis.

Ad hoc dicitur, quod stando in terminis metaph. maior est falsa accepta in sensu metaphysico, qui est, quod omnis quidditas vniuersalis siue specifica sit comunicabilis pluribus distinctis numero, siue pluribus indiuiduis, in quæ diuiditur illa natura specifica ita quod multiplicatur realiter in suis indiuiduis.

Ad probationem dico, quod si aliqua natura specifica est incommunicabilis in plura indiuidua, est propter perfectionem suam, & quia caret principi, quo multiplicatur indiuidua, id est materia, & cum arguitur de quidditate infinita, dico quod illa comunicabilitas non est in plura indiuidua, & de ea sola hic intendimus.

Præterea metaphysicus negaret comunicabilitatem quidditatis diuinæ in plura supposita.

Præterea, negaret quidditatem diuinam esse naturam vniuersalem siue specificam, vnde patet quod dicta ratio apud metaphysicum non solum non concludit, sed nec partem habet apparentiam.

Secundo sic, si non possunt esse plures intelligentiæ in eadē

DVODECIMI METAPHY.

specio, hoc est, quia cum intelligentia sit forma, id est, actus, necesse est quod inter eas sit distinctio formalis, quae est distinctio specifica. Sed haec ratio non valet, quia non omnis distinctio inter duas formas est formalis, sed sufficit, quod sit formalis vel formarum, & quidem licet quando est formalis sit specifica, non tamen quando est formarum, unde inter albedinem nivis, & albedinem parietis, est distinctio formarum, sed non formalis, ideo non distinguuntur specie, sic in proposito, duae intelligentiae eiusdem speciei distinguerentur distinctione formarum, sed non formalis.

Ad hoc dicitur, quod illa est ratio, & in abstractis non datur distinctio formarum, nisi sit formalis, & in materialibus non datur distinctio formarum sine distinctione formalis, nisi ratione materiae, aut subiecti, aut quantitatis, & quia in abstractis non datur aliquid istorum, ideo quaecunque distinctio est in eis, est formalis, ex consequenti specifica.

Tertio sic. Quod potest intelligi sub ratione vniuersali, est plurificabile in plura. Sed omnis natura specifica siue abstracta siue materialis est intelligibilis sub ratione vniuersali, ergo &c. Maior patet, quia de ratione naturae specificae non est singularitas, alia species non esset species, sed singularare vel individuum. Maior autem probatur ex ratione vniuersali, nam vniuersale est, quod potest esse in multis, & dici de multis.

Ad hoc dicitur, quod maior non est vera, quando intelligitur sub ratione vniuersali solum ex parte nostri intellectus, & non ex se, & ad minorem dico, quod non est vera de natura specifica abstracta, nisi respectu intellectus nostri, qui intelligit abstracta modo materialitatem. Nam natura intelligentiae A intelligitur ab intelligentia B, intelligitur ut de se haec, & non sub ratione vniuersali. Ad probationem minoris dico, quod licet de ratione speciei ut speciei est, non sit singularitas, tamen non inconuenit, quod aliqua naturam specificam qualis est natura abstracta consequatur ex se singularitas, ita quod ex se sit haec, quia caret principio intrinseco multiplicatio.

Quarto Porphyrius diffiniuit speciem per esse praedicabilem de multis, ergo plurificabilis est in multa. Cum igitur diffinitio conueniat omni diffinito, verificabitur etiam in separatis.

Ad hoc dico, ut Herue. in secunda distinctione tertia quaestione, secunda ad primum, quod diffinitio Porphyrij non da-

QVAESTIO XXIII.

374

tur de specie absolute, ut se extendit ad separata & sensibilia, sed ut est in sensibilibus, quae sunt nobis magis nota, quoniam in illis inuenimus principium materiale, quo possunt multiplicari individua stante unitate specifica.

Quantum ad tertium, scilicet verum h. Tho. concederet in aliquo sensu partem affirmatiua. Respondetur, quod non stando praecise in doctrina Aristot. loquendo autem absolute, & secundum veritatem, dico quod non concederet partem affirmatiua stante hoc ordine, quem nunc videmus in rebus, ex quo agnoscimus principium plurificandi individua sub eadem specie, esse materiam, vel subiectum receptionum, verum quia secundum veritatem licet id negaret Aristot. posset Deus alium ordinem statuere in rebus, ideo dico, quod non implicat contradictionem, abstracta multiplicari in eadem specie, & si tu inuenieris h. Tho. dicentem, quod non est hoc possibile, nec a Deo factibile, intelliges non absolute, sed stante hoc ordine vniuersi, ita quod apud ipsum non implicat contradictionem.

Patet autem hanc fuisse mentem suam in tracta. de unitate intellectus contra Auero. nam formant Auero. talem rationem. Omne quod multiplicatur sub eadem specie est materiale, sed intellectus secundum Aristot. non est materialis, sed separatus, ex tertio de anima ergo non potest multiplicari, ergo est vnus omnium hominum, & dicitur quod Deus non potest facere distinctos intellectus eiusdem speciei in distinctis hominibus, quia implicat contradictionem, nam habere materiam qua multiplicentur intellectus, & eos esse formas separatas implicat contradictionem.

Huic autem rationi respondet beatus Thomas inquit, valde ruditer argumentantur, ad ostendendum Deum non posse multiplicare intellectus eiusdem speciei, credentes id implicare contradictionem. Dato enim quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret quod intellectum multiplicari, implicaret contradictionem, nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa. nunc grano non habet ex sua natura, quod sit sursum, tamen graue esse sursum non implicat contradictionem, sic ergo si intellectus naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet causam naturalem suae multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis.

Hæc beatus Thomas ex quibus patet, quod non reputat cōtradictionem, separata à materia posse multiplicari in eadem specie, & quando tenet partem negatiuam, intendit impossibilitatem ex defectu causæ naturalis tantum, quæ est materia.

Quantum ad secundam partem quesiti, procedendo via Tho. quæ negat heccharitates, & ponit principium indiuiduationis materiam, & quantitatem, modo quo determinauimus in lib. 7. constat, quod intelligentiæ quæ sunt immateriales & extra omnem magnitudinem, non indiuiduantur per materia, nec per quantitatem, inuestigandum est ergo, per quid indiuiduantur. Pro cuius noticia dico tria.

Primo dico, quod quantum ad nostrum modum intelligendi, quo intelligimus simplicia & abstracta potius negatiue quàm affirmatiue, sicut patet de puncto, quem apprehendimus negatione partis, & de unitate quam apprehendimus negatione diuisionis, non propter quam intelligentia est indiuidua, est duplex negatio, scilicet non esse diuisam in seipsa, nec multiplicabilem secundum seipsam, vt diximus in prima parte huius quesiti, & esse diuisam à qualibet alia, in hoc autem quod dico diuisam, includitur negatio.

Quod enim est diuisum ab aliquo, non est illud, & quod hæc sit ratio indiuiduandi secundum nostrum modum intelligendi, probatur sic, eodem secundum nostrum intellectum est aliquid vnum numero & indiuiduum, quoniam esse idem nuvero, & esse indiuiduum conuertuntur in genere substantiæ, sed duplici negatione apprehenditur aliquid esse vnum numero, scilicet per esse indiuisum in se, & diuisum ab alio, ergo duplici negatione apprehendimus intelligentiam esse indiuiduum.

Secundo dico, quod hæc duplex negatio non potest esse prima ratio indiuiduationis in intelligentia ex parte rei, probatur. Pura negatio non potest esse primum distinctiuum inter duo positiua, licet enim possit esse primum distinctiuum inter duo negatiua, vt inter duas priuationes vel inter negatiuum & positiuum, vt inter priuationem & habitum, non tamen inter positiuum & positiuum, immo negatio qua negatur vnum positiuum ab alio, oportet fundari super aliquod positiuum, per quod distinguitur ab alio positiuo, vt ideo Sortes non est lapis, quia est homo, & quod dico de distinctiuo intellige de principio constitutiuo, eodem enim res constituitur & ab alio

distinguitur, ergo pura negatio non potest esse primum constitutiuum & distinctiuum indiuiduale vnius intelligentiæ ab alia.

Tertio dico, quod prima ratio indiuiduationis conuenit intelligentiæ ex seipsa, ita quod per seipsam & non per aliquod contrahens est hæc. Hanc sententiam esse de mente beati Thomæ manifestabitur, deinde ratione probabitur.

Quod sic de mente b. Tho. patet sic, nam in 1. par. q. 3. artic. 3. sic ait. In his igitur quæ non sunt composita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam hanc indiuidualem, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet quod ipsæ formæ sint supposita substantia. Item in quest. 13. artic. 9. sic inquit, formæ quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, sed per seipsas, quia scilicet sunt formæ subsistentes, id est, non in alio receptæ, si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis, non possent communicari, nec re nec ratione. Item in 2. senten. dist. 3. quest. 1. artic. 2. sic dicit, incommunicabilitas quæ est idem cum indiuiduatione est in homine, ex hoc quod natura sua est recepta in fundamento materiæ, & per materiam determinatur, sed in intelligentia ex se vel in se determinata est ex hoc, quod in aliquo sicut forma determinabilis recipi non potest, & ex hoc ipso satis incommunicabilis est. Hæc beatus Thomas.

Ratione autem ab aliquibus probatur sic, intelligentia eo est formaliter incommunicabilis & indiuidua, quo est formaliter immaterialis & incorporea, sed seipsa est immaterialis & incorporea, quia esse immateriale & incorporeum inconueniunt ei in primo modo, deinde per se, ergo est seipsa incommunicabilis & indiuidua.

Sed aduerte, quod hæc ratio non concludit, nisi sustineris vt nos in quinto determinauimus, quod principia indiuidualia apud metaphysicū, est sola materia & quantitas, & non heccharitas, nam Scotus negaret maiorem huius rationis, dicens quod intelligentia ex alio est incorporea, quia scilicet est extra omnem magnitudinem, & ex alio est immaterialis, quia scilicet non componitur ex materia & forma, & ex alio est indiuidua, quia scilicet habet in se talem differentiam indiuidualem, quam dicunt Scotistæ heccharitatem.

Probatur igitur propositū, ratione sumpta ex Aristotele, in octauo libro metaphysicæ, textu decimosexto, & arguitur sic,

DUODECIMI METAPHY.

ex eo intelligitur est individua, quo est ens aliquod, & vnum aliquod: sed statim seipsa nullo alio expectato est ens aliquod, & vnum aliquod, ergo seipsa & nullo alio expectato est individua, maior parer, quoniam esse individuum, & esse, ens aliquod, & vnum aliquod, id est, signarum idem sunt, minor autem est philosophi in octavo metaphysicæ, textu decimo sexto, ubi ponens differentiam inter materialia & immaterialia quomodo sunt vnum, dicit. Quæcumque non habent materiam nec intellectualem nec sensibilem, statim quidem vnum aliquod est vnumquodque (& paucis interpositis inquit). Quapropter non est aliqua causa alia, vnum essendi vlli eorum, neque essendi ens aliquod, statim enim vnumquodque ens aliquod & vnum aliquod. Hæc de presenti quaestio dicta sunt.

Quaestio 25. Si Deus de mente philosophi intelligit tantum seipsum, an aliquid extra, & quid in hoc sentiat Comment.

Amplius autem siue Intellectus sit sua substantia, siue intelligentia, quid intelligit, aut enim seipsum, aut alteram aliquid. Text. 51.

In hac quaestione aduerte, quod Gregorius tenet vnam viam extremam, & beatus Thomas, aliam circa mentem philosophi, & similiter circa mentem Commentatoris, beatus Thomas attribuit sibi vnum & Ioannes Baco, aliud, & quoniam intendo sustinere beatum Thomam, ad sensum, quem attribuit philosopho, & quem attribuit Commentatori, ideo sic procedemus. Primo ponitur opinio Gregorij. Secundo opinio beati Thomæ. Tertio opinio Ioannis Baco, pro sensu Commentatoris. Quarto opinio beati Thomæ, & sustentabitur.

Quantum ad opinionem Gregorij, circa sensum philosophi aduerte, quod in primo sententia dist. 35, & 36, quaest. 1, artic. 1. in principio ponit tres conclusiones, quas dicit esse de mente philosophi. Quarum tertia est talis. Deus nihil extra se intelligit omnino, & nulla facta distinctione neque primarie neque secundarie probat eam sex rationibus sumptis ex textu philosophi, quas per te ipsum videre poteris. Deinde infra in eodem loco, probans oppositum contra philosophum deducit ipsum ad contradictionem, adducens eius dictum in lib. de bona fortuna, ubi philosophus attribuit Deo notitiam eius, quod est & quod

QUAESTIO XXV.

374

fuit, postremo soluit omnes rationes quas formauerat ex dictis philosophi.

Verum quia non decet ita viliter sentire de philosopho, quod in hac nobili quaestione ita tripliciter sibiipsum contradicat, ideo sequendam puto viam b. Tho. in hoc. Tu igitur aduerte, quod in hoc libro 12. in expositione text. 52. Ibi, considerandum est autem quod philosophus, &c. b. Thom. interpretatur mentem philosophi cum tali distinctione. Aliquid potest intelligi dupliciter. Primo in seipso, id est, per propriam speciem, vel per propriam suam essentiam. Sicut quando intelligo lapidem per propriam speciem lapidis, & intelligentia intelligit seipsam per propriam essentiam. Secundo aliquid intelligitur in altero intellectu, ut quando intelligo effectum in causa intellecta, & intelligo partem in toto intellectu, sicut quando video Socratem in speculo viso. Intentio b. Thomæ est attribuere philosopho, quod loquendo de intelligere primo modo, arbitrat philosophus, & vere, quod Deus tantum seipsum in seipso, id est, per suam essentiam intelligit, nam si aliud intelligeret per seipsum, id est, per propriam speciem vel essentiam obiecti cogniti, sua intellectio dependeret à specie, vel essentia rei cognita, & sic perficeretur ex alio, & in hoc sensu concludunt omnes rationes philosophi, quibus probat, quod nihil extra se cognoscit, loquendo autem de intelligere secundo modo, Deus intelligit alia à se, non in se ipsis, sed ut contenta & representata in essentia, & conueniens est sentire, quod philosophus fuerit huius opinionis. Quod sic manifestatur, philosophus concedit, quod Deus se ipsum perfectissime intelligit, ergo intelligit omne contentum in se ipso, aliter non se perfectissime intelligeret.

Sed in Deo continentur perfectiones omnium rerum, scilicet, quæ sunt, ex 5. metaph. capit. de perfecto, ergo intelligit perfectiones omnium rerum existentium. Si perfectiones omnium rerum, ergo & res, quoniam perfectio includit habitudinem ad id cuius est perfectio, ergo si intelligit perfectionem, quæ est in homine, ex eo, quod eminenter est in Deo, intelligit ipsum hominem & sic de aliis.

Tu ergo sustinebis per distinctionem datam philosophi contra Gregor. & rationes philosophi non militent contra hanc determinationem. Nam quando dicit philosophus, quod intellectio est perfectio intelligentis, non est verum, nisi quando

DVODECIMI METAPHY.

res in seipſa intelligitur, & eſt principale obiectum intelligentiſ, & quando dicit philoſophus, quod Deus vileſceret, non eſt verum, niſi intelligeret vile per ſeipſum, ſi autem vt repreſentatur in alio, puta in principali obiecto, ex hoc non vileſcit. Patet igitur quomodo ſecundū philoſophum, Deus intelligit tantum ſeipſum, & non tantum ſeipſum diuerſa ratione, & hęc nulla ſequitur contradicō in doctrinam philoſophi.

Pro opinione Commentar. aduerte, quod vnum clarum eſt apud ipſum, ſcilicet quod Deus non ſolum ſcit ſeipſum, ſed & alia à ſe, vt patet in hoc 12. in comment. 52. vbi ſic habetur, & veritas eſt, quod primum ſcit omnia ſecundū quod ſcit ſe tantum ſcientia in eſſe, quod eſt cauſa eorum eſſe, verbi gratia, Qui ſcit calorem ignis tantum, non dicitur neſcire naturam caloris exiſtentis in reliquis calidis, ſed eſt ille qui ſcit naturā caloris ſecundū quod eſt calor, & ſimiliter prius ſcit naturam entis in eo quod eſt ens ſimpliciter, q̄ eſt ipſum, hęc Commēt.

Aliud autem eſt dubium ſcilicet vtrum ſecundū Comment. Deus intelligat alia à ſe quo ad prædicata vniuerſalia tantum, puta in quantum ſunt entia ſubſtantia, vel accidens, & an etiam quo ad prædicata ſpecifica, & individualia, quibus res ſpecificè & individualiter diuiduantur, & circa hoc dubium inuenio duas vias reſpondendi, vna eſt quam ſequitur Ioan. Bacho. Alteram ſequitur b. Thomi.

Aduerte igitur, quod Ioan. Bacho. in primo ſent. in diſt. 39. in quæſtione 1. examinans commentum 51. huius 12. libri attribuit Commentator.

Primo quod Deus nihil intelligit extra ſe immediate ſcilicet acquirendo ſcientiam ab eo, & hoc clarum eſt, quia dicimus intellectus vileſceret, & perſiceretur aliquo extrinſeco.

Secundo quod Deus intelligit in ſeipſo omnia que habent eſſe extra Deum, ſecundum quod ſunt in eſſentia Dei vniue, & non ſunt aliud ab eſſentia ſua, & hoc ſic manifeſtatur, ſi omnia intellecta noſtra eſſent idem cum intellectu noſtro, intelligens ſe intelligeret omnia illa, ſed intellectus diuinus intelligit ſe eſſentialiter, & alia entia ſecundū quod ſunt eminētèr & perfectionaliter in Deo, non ſunt aliud ab intellectu diuino, ergo intelligendo ſe intelligit omnia, vt ſunt vniue in Deo.

Tertio quod Deus non cognoscit alia à ſe, tranſeundo à cognitione ſuiipſius ad cognitionem aliorum, vt ſunt in ſeipſis, vt credit Themiftius, ſed ex hoc, quod cognoscit ſeipſum in

QVAESTIO XXVI.

375

ſeipſo, & cognoscit ſe continere alia, & quod eſt cauſa eſſe eorum, nam Comment. intēdit quod Deus nihil intelligit extra ſe tanquam obiectum terminans actum intelligendi, & tanquam obiectum ſpeculatum & intellectum, vt videretur dicere Themiftius, ſed quod intelligit omnia in ſeipſo, ita quod intelligendo ſe comprehenſiue intelligit alia.

Quarto quod Deus cognoscens alia in ſeipſo, non ſolum cognoscit ea, quo ad eſſe quod habent in Deo, ſed quo ad eſſe quod habent in propriis naturis, ex conſequenti cognoscit ea diſtincte & omnibus modis quibus cognoscibilia ſunt. Quod ſic manifeſtatur. Dicit Comēntator, qui ſcit calorem ignis tantum, non dicitur neſcire naturam caloris exiſtentis in reliquis calidis, ſed iſte eſt qui ſcit naturā caloris ſecundū quod eſt calor.

Tunc arguo ſic, ſi aliquis ſciret calorem per eſſentiam ſcilicet ignis tantum, id eſt, ſi aliquis ſciret calorē, ex eo quod ſcit naturam ignis tantum, id eſt, & non alio modo, perfecta tamen comprehenſione, ſciret omnia calida omnibus modis quibus ſunt calida, quia ad oppoſitum, non comprehenderet perfecte calorem.

Igitur à ſimili, ſi primum ens ſcit ſe tantum, quod eſt ens per eſſentiam, & comprehenſiue omne ens, ſequitur quod ſcit omnia entia omnibus modis, quibus ſunt entia, ſed cognoscere omnia entia omnibus modis quibus ſunt entia, eſt cognoscere ea diſtincte & ſecundū ſua eſſe propria, ergo Deus intelligendo ſe tantum, comprehenſiue, excluſo omni alio obiecto terminante eius cognitionem, cognoscit omnia diſtincte, vt ſunt in ſeipſis, & in propoſito iudicandum eſt de diuino intellectu, ſicut ſi intellectus noſter comprehenderet perfectiſſime prima principia, & ſemper indefectibiliter ſtare ea ſpeculando, & non tranſferret ſe à ſpeculatione principiorum, ad ſpeculandum conſiſſiones in ſeipſis, tunc clarum eſt, quod perfectiſſime cōprehendendo prima principia etiam perfectiſſime aduante & ſimplici apprehenſione comprehenderet omnes conſiſſiones contentas in primis principijs, ſic dicendum eſt per omnia de diuino intellectu.

Hęc fuit imaginatio Ioan. Bacho. quam credit attribuentiam Comment. & quidem in primo & in ſecundo & in tertio dicto, nō manifeſte diſcordat à beato Thoma, ſed in quarto, nā beatus Thomas in prima parte quæſtione decimaquarta, artic. ſexto, & in primo ſentēt. diſtinctione trigefima quinta quæſtio-

DVODECIMI METAPHY.

ne prima, articulo secundo attribuit Commentatori, quod posuerit Deum non cognoscere alia à se, nisi in communi, scilicet in quantum sunt entia, Ioan. Bacho. autem vult, quod cognoscat secundum Comment. alia à se distincte, & omnibus modis quibus cognoscibilia sunt, & sic patet, quod non cōcordat in quarto dicto, & quidem licet gratia exercitij sustineri possit imaginatio Ioan. Bacho. tamen plurimum extorquet sensum & verba Comment. & si attendamus ad exemplum adductum à Comment. videtur b. Thom. rectius sentire, nam exemplum de calore multum cogit, sic enim videtur velle Comment. arguere, sicut se habet cognoscens primum calidum, ad cognitionem reliquorum calidorum, sic cognoscens primum ens, ad cognitionem aliorum entium. Sed cognoscens primum calidum cognoscit omnia calida, sub ratione qua sunt calida, ergo cognoscens primum ens, cognoscit omnia entia, sub ratione qua sunt entia.

Hæc fuit similitudo Comment. Tunc sic. Sed cognoscens omnia calida, ut calida, non necessario cognoscit ea, quo ad prædicata propria, & specifica, & individualia, puta an tale calidum sit homo vel lapis, vel hæc aqua, accidit enim calido esse lapidem, vel aquam, ergo cognoscens omnia entia ut entia non necessario cognoscit ea, ut talia entia, puta ut homo vel capra, accidit enim enti quod sit homo, vel capra, ergo ex hoc quod Deus cognoscit se primum ens, & per se ipsum omnia entia, ut entia, non sequitur, quod cognoscat ea distincte & omnibus modis ut cognoscibilia sunt, ergo sensus quem attribuit beatus Thomas Commentatori, videtur magis consonans, quam sensus Iohannis Bachonis.

Hic disentiendum esset, si Deus intelligit alia à se solum eminenter, & an etiam terminatiue, verum quia est questum magis Theologicum, quam metaphysicum, & id iam determinavi in lectura primi tractatus primæ partis beati Thomæ, ideo non est hic immorandum. Hæc de præsentis questio dicta sint.

Questio 16. Si in abstractis sunt idem intellectus intellectio & res intellecta.

Aur in quibusdam scientia res est (& infra) non altero igitur existente intellectu & intellectu quecumque non materiã habent. Tex. 51.

QVAESTIO XXVI.

376

In hac questione autequam deueniamus ad decisionem aduertere, quod philosophus in toto textu quinquagesimo primo, vsque in finem libri non amplius loquitur de abstractis in genere, sed de primo principio, de quo constat, quod cum sua intellectio, sit sua substantia, & tantum seipsam per seipsam intelligat, primo sequitur, quod in eo intellectus & intellectio, & res primo intellecta sunt idem, nec est instantia de intellectis extra se, que diximus in questione præcedenti esse consecutiue, & secundario intellecta, quoniam non intelligit ea per seipsa, sed in essentia sua, prout adunata & sine compositione continentur in ea, ideo vere possumus dicere, quod essentia diuina, est suum totum intelligibile diuinum, quoniam omne intelligibile à Deo, vel est essentia Dei, vel contentum in eius essentia, sicut in vniuersalissimo perfecto continentur particulares perfectiones, verum quia philosophus assumit ad probandum, quod in primo principio idem sunt intellectus, res intellecta & intelligentia, id est, actus intelligendi, hanc vniuersalem: non altero igitur existente eo quod intelligitur & intellectu quecumque non materiam habent, ideo merito dubitatur, si in omnibus intelligentiis tria prædicta sunt idem.

Ad euentiam igitur huius, duo principaliter agenda sunt.

Primo quid in hoc senserit philosophus & Commentar.

Secundo quid tenendum secundum veritatem.

Quantum ad mentem philosophi & Commentar. quatuor consideranda sunt.

Primo, si tenendum intelligentiam esse suam intellectum.

Secundo si est sua intellectio.

Tertio si est suum obiectum intellectum, ita quod primo seipsam intelligat.

Quarto quando intelligit seipsam, an intelligat se per essentiam suam, an per speciem mediam representantem sufficienter ipsas naturam.

Quantum ad primum & secundum, & tertium, respondendo simul, & non recedendo à determinatione, quam fecimus supra in questione vndecima huius libri dico, quod ut verba philosophi sonant, tenendum est, quod sint idem.

Nam si secundum philosophum distinguerentur realiter, facerent compositionem in intelligentia, quo admissio, sequitur, quod in ea esset potentia passiva, & aliquid loco materiæ

DVODECIMI METAPHY.

quoniam in omni composito realiter, dantur plura, quorum unum est vt potentia receptiua, alteru vt forma, vt patet tam in compositione ex his quam in compositione cum his, & maxime in genere substantia, vt presertim me à compositione, qua componitur linea ex partibus suis.

Cum igitur philosophus in hoc 12. in text. 29. & 30. negauerit vniuersaliter potentiam passiuam ab intelligentiis, vt declarauimus supra in questione vndecima, negat ex consequenti distinctionem realem horum trium.

Quod autem Commentor id expresse teneat, patet in hoc 12. in commento 51. vbi ponens differentiam inter intellectum nostrum & intellectum abstractum, sic inquit. essentia intellectus non est eadem cum intelligere, quod est actio intellectus in nobis. & intellectum in nobis, non est idem quod intelligere omnibus modis. & causa in hoc est, quia intellectum in nobis est aliud ab intelligentia, in eis autem quae sunt non in materia. contingit vt intellectum, & intellectus, & actio intellectus, sint idem.

Quantum ad quartum scilicet an intelligentia intelligat se per seipsam, an per speciem mediam. Dico secundum principia philosophi, quae considerata sunt in 3. de anima, circa intellectum & actum intelligendi, necesse est, quod intelligat se per substantiam suam, ita quod substantia sua semper sit praesens intellectui, vt obiectum suum primo intelligibile, & sit ei vt forma intelligibilis, & ratio intelligendi.

Et ratio quidem huius est, quia iam determinatum est in intelligentia secundum philosophum, nullam esse compositionem realem. Constat autem, quod species media faceret compositionem, & actuaret intellectum intelligentiae.

Praeterea in tota doctrina philosophi non inuenimus necessitatem ponendi speciem, nisi quando obiectum est intelligibile in potentia, & est natura materialis, & necesse est vt fiat intelligibile actu per intellectum agentem. Hae autem non habent locum in intelligentia, vt patet. Quare &c.

Sed diceo. Admisso quod philosophus teneat quamlibet intelligentiam intelligere seipsam per suam propriam substantiam, queritur, quid teneat, quando vna intelligentia intelligit aliam.

An per speciem, an per substantiam intelligentis, an per substantiam intellectae?

Respon

QVAESTIO XXVI.

377

Respondetur in eo quod vna intelligentia intelligat aliam potest fieri duplex comparatio.

Primo comparando inferiorem superiori, vt intelligentiam lunae intelligentiae solis.

Secundo comparando superiorem inferiori, ex his aduerte tria, primo loquendo secundum principia philosophi, qui non concedit species intelligibiles, nisi pro intellectione rerum materialium, eo quod non sunt intelligibilia actu, nec intelligentia superiori cognoscit inferiorem, nec e conuerso per speciem intelligibilem mediam. Dico 2. quod intelligentia inferior cognoscit superiorem per essentiam superioris, quae copulatur intellectui intelligentiae inferioris, vt forma intelligibilis actu, & hoc potest sic declarari, intelligentia inferior intelligit superiorem, aut per essentiam propriam, aut per essentiam superioris.

Non per essentiam propriam, quonia cum conueniant tantum in genere, & differant specie, species inferior non est sufficienter representatiua speciei superioris, sicut equus non sufficienter representat leonem, ergo essentia intelligentiae inferioris non est sufficienter forma representatiua intelligentiae superioris, ex quo sequitur, quod si intelligentia superior cognosceretur per essentiam inferioris, illa cognitio esset tantum quo ad praedicata communia, in quibus conueniunt, & non quo ad praedicata specifica, & sic sua cognitio esset confusa, & imperfecta.

Dico 3. quod descendendo superior cognoscit inferiorem per essentiam superioris: nam illa sufficienter representat inferiorem, sicut actus perfectior imperfectum, vnde sicut per calorem vt 10. cognosco calorem vt 8. & per rationale cognosco sensitium, & non e conuerso, quoniam rationale continet omnem perfectionem, quae est in sensitiuo, & plus, & non e conuerso, ita dicendum est de intelligentia superiori respectu inferioris, cum differant specie, & contineat inferiorem & adhuc amplius, nam se habent rerum species, vt numeri, ex 8. metaph. sic dicendum est quo ad doctrinam philosophi.

Quantum ad secundum principale, scilicet quid dicendum secundum veritatem, iuxta illa quatuor praeposita, aduerte, quod veritas est, omnes intelligentias esse productas, & in nullo ente productio, actio sua est substantia sua, vt dictum est in questione 11. huius libri, ideo constat, quod intelligentiis non est

bb

DVODECIMI METAPHY.

idem suam intelligere, & eius intellectus, siue ipsa substantia intelligentia, vtrum autem intelligentia sit sua potentia intellectiua, relinquo discutiendum in 3. de anima, est enim antiqua discrepantia circa hoc inter b. Tho. & Scotum.

Quantum autem ad obiectum, an sit idem cum intelligentia, dico quod quantum ad obiectum parziale proximum est idem.

Hoc enim est sua essentia, quantum autem ad obiectum ad-
quatum, non est idem, quoniam illud est ens in quantum ens, constat autem quod non est idem conuertibiliter cum intelligentia, quoniam intelligentia esset omne ens.

Quantum vero ad modum quo intelligunt seipsas, & vna intelligit aliam, dico quod suas proprias essentias intelligunt per seipsas, vna autem intelligit aliam per speciem intelligibilem, non quidem causam ab essentia intelligentia, sed con-
sequentialem & comproductam in intellectu eius a primo principio, siue comproducit calor, quando producit ignis.

Sed in his non immoror, quoniam magis ad Theologum quam ad metaphysicum spectant, & precipue, quoniam de speciebus intelligibilibus discutiendum est in 3. de anima, plures enim famosi doctores huiusmodi species negant. Hæc de præ-
senti quarto dicta sunt.

Questio 27. Si omnia sunt ordinata & prouisa
a primo principio.

Omnia vero coordinata sunt aequaliter,
sed non similiter. Tex. 52.

IN hac q. tria consideranda sunt. Primo quis circa hoc senserunt philosophi primi. Secundo quid senserit philosophus & Commen. Tertio quid tenendum secundum veritatem.

Quantum ad primum aduerte, quod Democritus & Zeno, & plures antiqui negabant omnem ordinem rerum in finem, negabant enim causam finalem, quos improbat philosophus in 1. phys. tex. 77. vsque ad tex. 87. ex hoc autem quod negat finem, negant ex consequenti ordinem rerum in finem, ergo & prouidentiam, siue curam & sollicitudinem auferunt omnino a primo principio.

Nam vt declarabimus infra, prouidentia & sollicitudo inclu-
dit ordinem rerum in finem per determinata media, & hanc

QVAESTIO XXVII.

378

opinionem antiquorum remoratur, & improbat philosophus in 12. metaph. text. vlt. quasi in fine, cum dicit. Alij inconnexam ipsius vniuersi substantiam faciunt, nihil enim alia alij confert aut ens, aut non ens, & principia multa, entia vero nolunt male disponi.

Et intendit philosophus quod hæc opinio facit naturam vni-
uersi, siue ordine intrinseco & extrinseco, intrinseco quidem, quia ponit vnam partem non conferre alteri, siue existat siue non, extrinseco autem ponit plura prima principia, ex conse-
quenti auferit ordinem rerum ad vnum primum principium, & quoniam entia nolunt male disponi, ideo hæc opinio falsa est.

Quantum ad secundum aduerte, quod Arist. & Commen. in hoc proposito breuissime se expediunt, nec est facile videre, quid intendatur.

Tu tamen aduerte, quo ad philosophum duo excipiuntur ex
tex. 52. huius libri.

Primum est, quod omnia ordinata sunt ad vnum primum, sicut ordinantur partes exercitus ad primum ducem. Sic enim inquit. Ad vnum quidem omnia coordinata sunt.

Secundum est, quod non omnia sunt aequaliter & similiter ordinata & curata ab illo primo principio, quia sicut in vna familia sunt instituti diuersi ordines a domino domus, sic & in vniuerso diuersimode curantur partes vniuersi a primo princi-
pio nam dominus domus, ita curat filios, quod omnes eorum actiones ordinat sub lege, ita quod non licet eis viuere vt volunt, sed vt ordinatum est a patre.

Servos autem ita curat, & bestias, quod de paucis actionibus eorum videtur habere sollicitudinem, & dummodo seruis de domui, de reliquis non curat, sed agunt vt contingit. Applicas autem similitudinem familie, ad partes vniuersi, videtur velle comparare substantias separatas & corpora celestia filijs domini, quoniam vt inquit Commen. interpretans dictum philosophi, actiones corporum celestium in communicatione eorū adinuicem in constitutione mundi sunt sicut actiones liberorū in constitutione domus.

Quemadmodum enim liberi non licentiantur ad facien-
dum omnia que appetunt de actionibus.

Sed omnes actiones eorum sunt propter iuramentum eorum adinuicem, ita est de corporibus celestibus, ea autem que sua in hoc mundo inferiori comparat seruis & bestias, quorū



DVODECIMI METAPHY.

non omnes actiones intentæ & curatæ sunt à domino domus, sed solum illæ quæ veiles sunt bonæ familiz, puta quod famulus bene & fideliter ministrer in domo, quod equus bene deferat, quod canis bene custodiat.

Quod autem famulus sit lusor, vel blasphemus, est præter intentionem domini domus, nec de hoc nõ curat. Sic opinatur Arist. de qualibet specie huius mundi inferioris, ex consequenti opinatur primũ non curare omnes humanos actus, eo quod in hoc non consideravit hominum excellentiam supra bestias. Sed in hoc non est audiendus, quoniam & sacrificia, & diuinus cultus nihil proficeret homini, & ideo Arist. quasi hoc impium aduertens, aliter sentire visus est in 10. ethic. cap. x. vbi inquit.

Qui secundum mentem operatur, & eam colit, & optime dispositus est, amicissimus Diis videtur esse.

Nam si Diis curam aliquando habent humanarum rerum, vt extimatur & creditur, rationabile est eos gaudere optimo & cognatissimo, tale huiusmodi vero mens est, & amantibus illam maxime honorantibus; fauere, & quam rerum sibi charissimarum curatoribus, & recte ac bene agentibus.

Quod autem hæc omnia sapienti maxime competant, non est obscurum.

Amicissimum ergo deorum eundemque felicissimum esse decens est. itaque & hoc modo sapiens vtique erit maxime felix, hæc philosophus.

A Commen. autem habemus duo. Primum est, quod omnia entia habent ordinem inter se, & ordinata sunt ad vnum, id est ad primum principem, sed non similiter & æqualiter, sicut videtur etiam in ordine familiz ad dominum domus, vnde in comen. 52. huius libri sic habetur, bonum existit in hoc toto id est in vniuerso vtroque modo scilicet propter ordinem, & propter illud propter quod est ordo, scilicet primum principi. & omnia quæ sunt sub primo prin. non æqualiter habent ordinem.

Hæc enim quidem perfectum habent ordinem, ita quod nihil admisceatur eis per accidens, sicut est de corporibus celestibus.

Hæc autem ita quod inuenitur in eis priuatio ordinis per accidens, & sunt ea quæ sunt sub corporibus celestibus, & hoc valde simile est ei, quod continetur in vna domo continente seruos & liberos &c.

QVAESTIO XXVII.

Secundum est, quod Deus habet sollicitudinem de quolibet indiuiduo, sed non quantum ad omnes actiones, quæ sunt proprie indiuiduo, sed quantum ad illas, in quibus communicat cum aliis indiuiduis suæ speciei, puta sollicitudinem habet de hoc equo, & de hoc homine, in quantum generent sibi simile, quoniam per hanc actionem conseruantur species rerum inferiorum, & quod hæc fuerit opinio sua, patet in comen. 37. huius lib. vbi sic inquit. Ex hoc videtur Deum habere curam circa omnia entia.

Dicentes autem, quod Deus sollicitus est circa vnumquodque indiuiduum aliqualiter verum est, & aliqualiter nõ: quia nulum indiuiduum habet dispositionem propriam, nisi illa dispositio inueniatur in aliquo modo illius speciei.

Et hoc igitur modo verum est Deum sollicitari circa indiuidua, sollicitudo autem circa indiuidua tali modo, quod nullus habeat communicationem cum eo, hoc nõ est fas bonitati diuinæ.

Tu tamen aduerte quod ipse Commen. verius loquitur de hac sollicitudine circa genus humanum propter excellentiam suam in lib. 10. ethic. super c. 10. vbi sic inquit. & si quidem cura sit Deo de hominibus, vt creditur, & vt debitum est, & sic quidem Deus gaudens de eo, qui est melior, tunc gaudet de eo, qui nititur ei assimilari valde, & hic est intellectus.

Dignum est ergo, vt benefaciat eis, qui amant ipsum plus, & vt honorificet eos, & visitet ipsos, sicut est dispositio amici cum amico suo, & eo quod actio eorum est actio nobilis sana.

Hæc & nõ plura possumus habere ex doctrina philosophi & Commen. in hoc proposito, quæ quantum deficientia sint, examinanda sunt à theologo, & nos iam cõpleuimus hoc in lect. primi tract. primæ part. b. Tho. Quæ hic inferenda non sunt, ne confundamus negotium metaphysicum.

Quantum ad tertium. Quid dicendum & tenendum secundum veritatem, ac veram philosophiam aduerte primo quid dicat sollicitudo quam solemus appellare prouidentiam, & applicare quid dicat prouidentia Dei, deinde vnica ratione probabitur, quod secundum veritatem, Deus prouidet omnibus superioribus & inferioribus in vniuersali & in singulari, ita quod curat quascunque indiuiduorum actiones.

Vt igitur scias, quid sit prouidentia aduerte, quod in principe instituente ciuitatem & rempubli. hæc quatuor ordinatæ inueniuntur.

DVODECIMI METAPHY.

Primo inest sibi volueltas, qua vult, & determinat instituere civitatem.

Secundo inest sibi excogitatio, quales partes debeant esse integrantes civitatem, puta quod sint nobiles, & doctores, & iudices, & mercatores, & milites, & agricolæ, quæ partes concurrunt ad perficiendum bonum civitatis, & hæc excogitatio dicitur dispositio vnde & ordo partium in toto dicitur dispositio, & architector excogitans ac ordinans partes proportionaliter in ædificio dicitur sapiens dispositor.

Tertio inest sibi excogitatio & ordinatio, quæ media opportuna cuilibet parti civitatis conferenda sint, ut per ipsa operentur opera sibi debita, & consequantur finem, ad quem unaquæque pars ordinata est, puta quod doctores habeant modum studendi, milites arma, mercatores merces, agricolæ iumenta, & hæc excogitatio ac ordinatio mediocris, dicitur providentia, vnde & quibus incubit hæc in civitate ministrare, dicuntur prouidentes.

Quarto inest sibi actualis collatio mediocris, & motio partium, sic ordinarum in proprium finem, iuxta media unicuique parti collata, & hæc dicitur gubernatio.

Ex quibus patet, quod providentia supponit volitionem finis, & dispositionem partium ordinarum ad finem, & quod ipse proprie est circa media conferenda cuilibet parti, ut consequatur finem. Prouidentia igitur absolute sumpta, est excogitatio intellectus de mediis conferendis naturæ ordinatæ in finem, ut finem consequatur, in Deo autem prouidentia, est excogitatio diuini intellectus, de mediis conferendis unicuique naturæ, quibus finem suum consequatur.

Declarato quid sit prouidentia, probatur vnica ratione quod inest Deo, quo ad omnia entia in vniuersali & in singulari singulariter, & arguitur sic, Deus est primum & vniuersalissimū agens, ergo sua causalitas se extendit ad omne ens producibile, ita quod non potest existere, nisi per ipsum, & est agens per intellectum & voluntatem, ergo in quolibet ente intendit finem, ergo media ad finem, aliter vane intenderet finem.

Sed Deus est causa omnis entis, non solum in vniuersali & secundum speciem, sed etiam secundum individua, ut magis declarabitur in questione sequenti, ergo respectu cuiuscunque entis, etiam singularis, & singulariter, intedit media ad finem, & per consequens prouidet omni enti in singulari.

QVAESTIO XXVIII. 380

Antecedens primæ consequentiæ probabitur in questione sequenti, consequentia autem patet, quoniam primum ens quod est, & primum agens est causa omnis entis, ut declaratum est etiam in secundo metaphysicæ.

Antecedens secundæ consequentiæ iam declaratum est supra in questione decima huius libri, consequentia autem patet, quoniam si non intenderet finem, nõ ageret secundum intellectum & voluntatem.

Agens enim per intellectum & voluntatem agit à proposito, agens autem à proposito intendit finem, ex secundo physicæ.

Hæc multa argumenta soluenda essent, quæ potius spectant ad theologum, quam ad metaphysicum, ideo non est in his immorandum, ne scientiæ confundantur. Hæc de præfenti questione dicta sunt.

Questio 18. Si primum principium est causa effectiua omnium entium.

Vnus ergo princeps. Textu vltimo.

Pro vltima consideratione de primo principio, quantum spectat ad metaphysicum, tria de eo restant discutenda. Primo causalitas sua. Secundo vnitas. Tertio necessitas inesse, & de his tribus formabimus tres vltimas questiones metaphysicæ.

Circa causalitatem primi principij aduerte, quod omnes recte cogitantes de Deo, negant sibi causalitatem materis, propter potencialitatem eius, Deus autem est purissimus actus excludens omnem potentiam passiuam, negat & causalitatem formæ informantis, eo quod illa est pars ex consequenti imperfecta, & incompleta in natura sua, & si dicatur prima forma, exponendum est metaphysicæ, id est, primus actus, cum nullo tamen faciens compositionem. Attribuunt autem sibi causalitatem finis excellentissimo modo, quoniam omnia modo suo desiderant ipsum, & gratia illius agunt quæcumque agunt, vnde philosophus in textu trigésimo sexto huius duodecimæ, dixit, quod mouet ut amatum & desideratum, quod est propriū finis. De causalitate autem effectiua respectu cuiuscunque entis non est concordia vniuersalis, & ideo in hac questione intendendo immorari circa hoc, & tria consideranda sunt. Primo quid dicendum secundum Aristot. Secundo quid secundum Comment. Tertio quid secundum veritatem.

DVODECIMI METAPHY.

Quantum ad Aristot. aduerte secundum b. Tho. vt declaratur infra sensus philosophi non est sensus Commentat. ideo de mente philosophi & Comment. separatim agendum est. alij autem vt Sco. & Her. & Ioan. Bacho. & Greg. tenent philosophum & Comment. concordet, ita, quod qui tenent philosophum concedere Deum esse vere causam productiuam omnium, tenent idem de Commentat. similiter dicunt qui tenent partem negatiuam.

Nos igitur sequentes viam b. Thom. ponimus hanc conclusionem de mente philosophi, sed non de mente Commentat. cuius opinionem erroneam, manifestabimus infra. Aristot. tenet, Deum esse causam productiuam omnium. Hanc sic manifestamus. Aristot. tenet, Deum esse causam productiuam omnium corruptibilem & incorruptibilem, ergo &c. consequentia nota quia omne ens corruptibile, vel incorruptibile.

Antecedens pro prima parte probatur, entia corruptibilia non semper habet esse, ergo per aliquam causam tendunt ad esse. Hanc autem causam posuit philosophus in text. 33. huius lib. esse primum cælum motum motu diurno, & planetas motu sub obliquo circulo. Sed Deus mouet primum cælum immediate secundum Comment. vel mediate secundum b. Tho. vt visum est supra, in q. 15. & motu primi cæli mouentur alia corpora cælestia, ergo Deus est causa prima & vniuersalis productiuam per motum cæli omnium inferiorum corruptibilem. Pro secunda autem parte, id est, quo ad incorruptibilia, est maior difficultas, & ideo probandum particulariter ex doctrina philosophi, & sustinenda sunt dicta sua.

Tu igitur aduerte, quod in doctrina philosophi inueniuntur præcipue tria loca, ex quibus concludemus propositum.

Primum est in 8. phy. in text. 15. vbi reprehendes & Empe. & Democri. qui putabant nulli rei sempiternæ assignandam esse causam, sed tantum his, quæ de nouo incipiunt esse, sic ait contra eos. Quod autem in omnibus non recte, & enim trigonum semper habet duobus rectis æquales angulos, sed tamen est perpetuitatis huiusmodi altera causa. Hæc philosophus ex quibus patet, vt inquit b. Tho. exponens quod intentio philosophi fuit, esse aliqua semper entia vt corpora cælestia & substantias separatas, & tamen haberent causam sui esse, quæ non potest assignari nisi primum principium.

Sed aduerte, quod Greg. in 1. dist. 1. q. 1. artic. 7. dat huic dicto

QVAESTIO XXVIII. 381

duplicem responcionem, primo dicit, quod philosophus intendit de complexis, quæ sunt sempiternæ veritatis, & sunt conclusiones demonstrabiles, & ideo exemplificat de hoc complexo demonstrabili. Triangulus habet tres. Hic autem querimus de incomplexis æternis & incorruptilibus, vt de cælo & de intelligentiis.

Sed hæc responsio est contra intentionem philosophi, nam illic intendit arguere contra Emped. qui non assignabat causam quare lis & amicitia semper causant motum alternatim æqualibus temporibus, & dicit philosophus, quod non potest Empedo. excusari in hoc, quali id quod est semper non habeat causam, & licet exemplificet de complexo, tamen intendit etiam de incompleto, vt de motu æterno, aliter ratio philosophi contra Emped. nulla esset. Posset enim negare hanc consequentiam. Complexum æternum habet causam, ergo & incompleto.

Secundo responder Greg. Dato quod philosophus intendet etiam de incompleto, hæc consequentia non valet. Hoc incompleto habet causam, ergo habet causam effectiuam, sufficit enim quod habeat causam sualem, & sic philosophus concedit entia incorruptibilia habere primum principium pro causa finali.

Sed hæc responsio est etiam contra mentem philosophi in dicto textu. nam licet dicta consequentia non sit formalis, valet tamen in præsentī materia. Nam si complexum quod est conclusio demonstrationis, vt Trigonum habet tres, habet causam, habet causam effectiuam, quoniam præmissæ ex quibus deducitur conclusio, sunt causæ efficientes conclusionis, ex secundo physice.

Item si loquamur de incompleto, vt de motu æterno non continuo, sed per interpositionem quietis, vt dicebat Emped. adhuc patet, quod philosophus intendit de causa efficiente, petens quæ causa mouebat litem & amicitiam ad causandum motum æternum interpolatum. Patet igitur, quod philosophus intendebat de causa effectiuam rei incompleto, & non tantum complexæ.

Sed forte dices, quod æternum est duplex, scilicet successiuum vt motus cæli secundum philosophum, & permanens vt intelligentia, & cælum.

Motus quidem cæli habet causam efficientem æternam,

DVODECIMI METAPHY.

quoniam est à mouente aeterno, eo quod motus de necessitate includit mouens, vt dicit Commentator, in hoc libro duodecimo, in commento quadragesimo primo, aeternum vero permanens non habet causam effectiuam, quoniam si aeternum est, semper est, si semper est, non indiget causa deducete illud ad esse. Philosophus autem in octauo physica, in textu praedicto intendit de aeterno successiuo, qualis est motus aeternus, siue continuus, siue interpolatus de quo conceditur, quod habet causam effectiuam secundum philosophum, scilicet intelligentiam aeternam mouentem.

Sed haec instantia non concludit, quoniam licet philosophus intendat scire causam effectiuam de motu aeterno per interpolationem, tamen ad improbandum Emped. & Democr. assumit hanc vniuersalem. Omnino enim existimare principium hoc esse sufficiens, quod semper aut est sic, aut sit, non recte se habet opinari, id est, non est recta opinio existimare aliquod esse principium, & causam, & non habere causam, quia semper est aut semper sit. Quod quidem dictum potest applicari ad aeternum permanens, & successiuum, cum loquatur vniuersaliter, cuius signum est, quod philosophus applicat ad triangulum habentem tres, quem constat computari inter permanentia & non inter successiua.

Secundum dictum est in 2. metaphysic. text. 4. vbi sic habetur, vnumquodque vero maxime ipsum aliorum dicitur, secundum quod & in aliis est vniuersalis, puta ignis calidissimus & enim est causa aliis hic caloris, quare & verissimum, quod posterioribus est causa vt sint vera, &c.

Concessum est autem Deum esse maxime ens & maxime verum, ergo est causa omnium aliorum, quod sint entia, & sint vera.

Ad hoc respondet Greg. vbi supra conceditur, quod Deus vt est maximum ens, est causa omnium entium, sed negatur hae consequentia, ergo est causa effectiua.

Haec responsio non est ad mentem philosophi. Nam comparat primum ens primo calido in vniuersali causalitate. Sed constat, quod primum calidum est causa effectiua omnis caloris, ergo primum & maxime ens est causa effectiua omnis entis, aliter comparatio nulla esset. Praeterea, non potest dici, vt dicunt Comment. quod philosophus intendit primum ens esse causam finalem, & conseruatiuam omnium entium, quia in illo rex, nul-

QVAESTIO XXVIII.

382

la est mentio de causa finali, & praeterea, si Deus est causa conseruatiua, est etiam causa effectiua, & hanc consequentiam probabo infra, quando pertractabitur, quid tenendum sit secundum veritatem.

Tertium dictum est in quinto metaphysic. cap. de necessario, vbi sic habetur. Horum quidem itaque altera causa essendi necessaria, horum autem nulla, sed propter hanc alia sunt ex necessitate. Tunc sic, nullum est ens necessarium, nisi ens incorruptibile, ergo si secundum philosophum aliqua entia necessaria habent causam, illa sunt entia incorruptibilia, vt caelum & intelligentia, nulla autem causa potest sibi assignari nisi Deus, ergo & cetera.

Ad hoc respondet Greg. vbi supra, quod philosophus loquitur de necessariis complexis, quae sunt conclusiones demonstrabiles, quarum causae sunt principia complexa, vt causa huius, homo est risibilis est haec, homo est rationalis, & quod philosophus intendat de necessariis complexis demonstrabilibus, patet in eodem cap. nam ante dictum allegatum praemiserat. Amplius demonstratio necessariorum est, &c.

Sed quod haec responsio non valeat, declaro sic, licet philosophus in illo cap. mentionem faciat de necessariis complexis non tamen sinit solum in illis, quoniam intendit etiam de incomplexis, quod quaedam habeant causam & quaedam non. Nam postquam dixit, quod horum quidem, itaque altera causa &c. statim subsequitur. Quare primum & proprie necessarium quidem simplex est, haec ille. Quod vniuersaliter exponitur de prima causa quae est Deus, quoniam esse primum necesse esse, & absolute simplex, sunt proprietates suae.

Cum ergo philosophus post dictum nostrum allegatum faciat mentionem de necessario incompleto, signum est mentem suam fuisse, quando assignat causam necessariorum, quod vult intelligere de complexo & incompleto necessario.

Nec valet si dicatur, quod philosophus intendit per simplex primum, simplex quod est causa & est illud in quod resoluitur primum principium complexum scilicet. Impossibile est idem simul esse & non esse, resoluitur in hoc primum complexum, ens est ens, vt omnes dicunt, & maxime Antonius Andreas in quarto metaphysic. quaestione quinta.

Et hoc etiam videtur innotere Comment. in 5. metaphysic. comment. 6. Dicit enim quod aliquando terminus medius erit



DVODECIMI METAPHY.

causa rei, scilicet conclusionis, & tunc res erit necessaria vel possibilis per aliud, id est, per terminum medium. Aliquando autem terminus medius non erit causa rei, & tunc res erit per se necessaria vel possibilis. Ex quibus verbis apparet, quod philosophus & Comment. intellexerunt de complexis.

Hoc inquam non valet, quia est contra philosophum & Comment. ibidem. Dicit enim philosophus quod si primum per se necessarium non esset simplex contingeret aliter se habere, quia esset compositum, & tunc tale contingit aliter se habere, & per consequens non esset necessarium, & non dicit, quod resolveretur in aliquod primum composito, ut arguens imaginatur, & Comment. ibi declarat, quod si tale primum necessarium per se non esset simplex, esset compositum ex materia & forma, & per consequens substantia sua mutaretur diuersis modis.

Ex quibus patet, quod tam philosophus quam Comment. intelligunt de principio primo incompleto, id est, de Deo, & non de primo complexo, in quod resoluitur primum principium complexum.

Sed dicit Greg. ubi supra. Concesso, quod philosophus intendit de necessario complexo & incompleto, non valet hæc consequentia, necessarium incompleto habet causam, ergo habet causam effectiuam.

Contra. probo consequentiam valere in hoc proposito. Ceterum est enim secundum philosophum, quod intelligentie non habent causam materialem, cum sint sine omni materia ex text. trigesimo huius lib. nec formalem, cum sint simplices forme, nec forme est forma, ergo superest, quod habeant finalem & effectiuam, vel finalem tantum. Si primo modo, haberetur intentum. Si secundo modo, adhuc haberetur intentum, quoniam infra probabitur, quod omne habens causam finalem, habet causa efficienstem.

Quantum ad sensum Comment. dico, quod fuit in hoc errore nullo modo dari creationem, neque cum nouitate essendi, neque sine nouitate, ut declarat Gregorius in 2. dist. prima questione prima articulo primo.

Et iam manifestauimus id supra in questione 7. huius libri. Cum ergo constat, quod entia incorruptibilia ut celum & intelligentie non sunt producibilia productione physica, quoniam secundum Comment. ut declaratum est in octauo libro huius

QVAESTIO XXVIII.

383

scientie, materia que supponitur productioni physice, non est in celo, nec secundum veritatem est in intelligentis, si non conceditur creationem, patet quod secundum eum sunt improducta, & sic Deus non est causa effectiua incorruptibilium. Ad confirmationem huius, vide in hoc duodecimo libro in comment. 41. ubi arguens contra Alex. dicit, impossibile est enim, ut idem sit possibile inesse ex substantia sua, & recipiat ex alio necessarium esse, nisi esset possibile, quod natura eius transmutaretur. Motum autem possibile est ut sit necessarius ex alio & possibilis ex se, & causa in hoc est, quod habet esse à motore. Si igitur motus iste fuerit æternus, necesse est ut fiat à motore, non moto omnino, neque essentialiter, neque accidentaliter.

Permanencia igitur motus est ex alio, substantia autem scilicet cæli & motoris ex se, & ideo impossibile est inuenire substantiam possibilem ex se, necessariam ex alio, quod est possibile in motu. Hæc Comment. ex quibus constat, quod non vult concedere, aliquod ens præter motum posse habere esse necessarium ex alio, ita quod omne ens permanens habens esse ab alio, est ens possibile, id est, potes esse & non esse. Accipit enim ly possibile, pro contingenti, & non pro possibili altero. Nam ut determinauimus in libro 9. possibile alterum non opponitur necessario, immo de eo prædicatur, ut declarauimus illic. Tenet igitur Comment. fuisse huius erroneæ sententiæ. Nec in hoc sequeris Scot. nec Cap. nec Her. nec Paulum Sonc. qui arbitrantur Comment. sentire oppositum, fundantes se supra quædam dicta eius, que de facili exponentur infra.

Quid autem b. Tho. sentiat de Comment. dico, quod arbitratur ipsum sibi ipsi contradicere. Nam ut refert b. Thomas in octauo physice, lectur. 21. in libro duodecimo metaphysice, in comment. 41. tenet contra Alex. quod celum non habet esse perpetuum ab altero, licet motus eius sit perpetuus ex altero, in libro autem de substantia orbis tenet oppositum, nam beatus Thomas in 8. physice, lect. 21. arguens contra Commentar. sic dicit, vade & ipse Commentat. in libro de substantia orbis confitetur, quod Deus est causa cæli, non solum quantum ad motum eius, sed etiam quantum ad substantiam ipsius, quod non est nisi quia ab eo habet esse, non autem habet esse ab eo, nisi perpetuum. Hæc beatus Thomas. Cum igitur sibi contradicat, ut ei b. Thomas imponit, relinquendus est, ut incertus, & potius tenens partem negatiuam, quam affirmatiuam.



DVODECIMI METAPHY.

Nec obstat, quod quedam dicta Comment. videntur sonare oppositum, inter quæ recitantur.

Primum est in libro de substantia orbis, vbi inquit, & cum ignorauerunt quidam hoc esse de opinionibus Aristotel. dixerunt, ipsum scilicet Arist. non dicere causam agentem totum, sed tantum causam mouentem, & illud fuit valde absurdum, & non est dubium in hoc, quod agens ipsum est mouens ipsum, hæc Comment.

Ad hoc dicunt commentiste, quod agens sumitur dupliciter.

Primo proprie, & est illud, quod deducit rem ad esse, & est principium vnde motus, & vt sic est causa distincta contra alia tria genera, & dicitur proprie causa efficiens.

Secundo improprie & similitudinarie, & sic verificatur de materia, & forma, & sine. Nam ferrum agit gladium durum, quoniam per ipsum gladius est durus, & anima facit animatum, & lucrum facit mercatorem.

Nam animatum est per animam, & mercator est propter lucrum, in proposito Commentator accipit agens, secundo modo, & non primo modo, quod patet ex eo quod dicit in quarto, cæli, commen. primo. Dicit enim quod res æternæ non habent agens, nisi secundum similitudinem, & si habuerint aliquid quod est agens, non erit, nisi in quantum est forma illa & conseruans ipsum.

Secundum est in secundo metaphysic. commen. 4. vbi inquit Comment. omnia entia non acquirunt esse & veritatem nisi à prima causa.

Ad hoc dicunt comentiste, sensum fuisse Commentar. quod eum prima causa continet motum primi cæli, est enim secundum Comment. applicata primo cælo, vt declaratum est supra, conseruat primum cælum in esse, qui avt inquit in libro de substantia orbis. si motus cæli destrueretur, cælum ipsum destrueretur, & si destrueretur motus primi cæli, destrueretur motus inferiorum orbium, ex consequenti mundus, ex quo verificatur, quod datur continuationis motus cæli, dat esse aliis entibus, quia est causa quod perseverent in esse, & vt sic dicuntur acquirere esse omnia entia à prima causa, non productiue, sed conseruatiue, eo quod nisi continuaret motum cæli, omnia entia desinerent esse, & totaliter vniuersum destrueretur secundum opinionem Commentatoris, licet falsam, non ergo ex dicto allegato potest concludi Commentatorem

QVAESTIO XXVIII.

384

tenere, Deum esse causam vere productiuam omnium entium.

Alia solent dicta eius allegari in hoc proposito, quæ non sunt multum euidencia, ideo partranseo.

Quantum ad rei veritatem inuestigandum est, si aliqua ratio naturali efficaci potest probari, Deum esse causam productiuam omnium entium quocumque modo habeant esse, & hic inuenio duas sententias.

Prima est beati Thomæ, cui concordat Scotus & Hertie. isti tenent partem affirmatiuam. Alia est Gregorij, qui in secundo sentent. distinctio. prima, questio. secunda. art. secundo tenet partem negatiuam, intendens igitur sequi partem affirmatiuam formabo aliquas rationes & defensabo contra Gregori. Deinde soluam quedam argumenta, quæ videntur fauere parti negatiue.

Prima ratio, omne ens extra primum, dependet essentialiter à primo. Sed non dependeret à primo, nisi causeretur ab eo. Sed non causeretur à primo, nisi produceretur ab eo. Ergo omne ens extra primum producitur à primo.

Prima propositio sic probatur, si aliquid aliud à primo non dependeret essentialiter ab eo, non esset pertinens ad vniuersum, quia vnitatis vniuersi stat in hoc, quod omnia alia à prima habent ordinem ad primum, ex duodecimo metaphysic. textu quinquagesimo primo, quicquid autem habet ordinem essentialem ad primum, dependet ab eo, ergo omne ens extra primum dependet essentialiter à primo.

Secunda autem propositio, sic probatur, si non causeretur ab eo, à se & ex se esset necesse esse, ergo sibi non repugnaret esse quocumque alio circumscripto, etiam si circumscriberetur primum, & tunc sequitur, quod non penderet essentialiter à primo, quod contradicit primæ propositioni. Quod autem sequatur, patet, quia non repugnat rem esse, sine omni eo quod non est causa sua.

Huic rationi respondens Gregorius vbi supra, concedit primam & secundam propositionem, sed negat tertiam, scilicet sed non causeretur ab eo, nisi produceretur.

Hanc negat & dicit, quod sufficit vt causetur ab eo, vt à sine, quod magis propria dicitur esse ad primum, vel propter primum, quam à primo.

Sed contra, concedit Gregorius omne ens esse dependens essentialiter à primo, & non esse necesse ex se, tunc sic, ergo est



DVODECIMI METAPHY.

necesse esse ex alio, scilicet ex quo pendet, ergo non potest non esse ex alio, ergo in se consideratum potest non esse, & hanc ultimam consequentiam sic probo. Quia in se consideratum circumscripito quocunque alio à quo pender, vel potest non esse, vel non potest non esse. Patet divisio, quoniam est per prædicata contradictoria, ergo necesse est vnam partem esse veram. Si conceditur prima pars, ergo est possibile non esse, & de omni tali concedit Greg. quod habet causam productiuam. Si conceditur secunda, ergo est necesse esse ex se, quod Gregorius negat, & est falsum, quoniam vt probabitur infra, est tantum vnum necesse esse ex se, consequentia autem patet, quoniam idem est, non posse non esse, circumscripito quocunque à quo dependet, & non posse non esse ex se, sed necesse esse ex se, & non posse non esse ex se æquipollent, ergo Gregorius non potest sustinere, Omne ens extra primum, dependere essentialiter à primo, & non causari effectiue ab eo.

Secunda ratio, quæ sumitur ab Herueo in 2. quolib. in questione 1. formatur sic. Omne quod sibi derelictum est non ens, est effectiue productum.

Sed omnia præter primum principium & quod est ultimus finis omnium sibi derelicta, sunt non ens, ergo sunt effectiue producta à primo.

Maior patet, quia si ex se est non ens, indiget causa qua ducatur ad esse, duci autem ad esse est produci.

Minor autem probatur. Quia si per impossibile remouetur ultimus finis, aut aliqua remanent entia, aut non, non potest dici primum, quia non dependerent essentialiter ab ultimo sine cuius oppositum probatum est in ratione precedenti, ergo secundum, & per consequens sibi derelicta sunt non entia.

Huic rationi respondet Greg. dicens, maiorem non esse veram æquipollentem isti. Omne ens quod si aliud non esset ipsum non esset, est effectiue productum. Dicit quod hæc est vera, si illud aliud sit possibile non esse.

Nunc autem ipsum primum ad cuius non esse, quodlibet aliud non esset, non est possibile non esse, si vero illud aliud non sit possibile non esse, maior non habet euidenciam.

Sed Greg. non considerauit eorum sensum & processum Heruei, nam Herueus vbi supra, adducit hanc responsionem Greg. & declarat nullam esse ex veritate conditionalis, secundum quam procedere intendit Herueus in hac ratione.

Intendit

QVAESTIO XXVIII.

Intendit enim quod dato quod sit impossibile, Deum non esse, & sit impossibile cælum & intelligentiam non esse, hæc tamen est vera, si Deus non esset, cælum non esset, ex qua illatione manifestatur, quod si per impossibile, cælum relinqueretur sibi, esset non ens, ergo signum est, quod acquirit esse effectiue ab alio, vnde dicit Her. & bene, quod responsio data à Gregor. videtur procedere ex ignorantia logica.

Tertia ratio, quæ etiam est Heruei. Omne quod habet causam finalem, habet causam efficientem, quia causalitas finis est id, cuius gratia aliquid fit. Sed omne ens præter primum habet causam finalem, ex duodecimo metaphysicæ, textu 51. ergo &c. Si igitur entia plura essent improducta, non omnia haberent causam finalem, quod repugnat philosopho & veritati.

Huic rationi respondet Gregor. quod habet minorem efficaciam, quàm præcedens eo quod maior est falsa, & quod additur de causalitate cause finalis, scilicet quod est id cuius gratia aliquid fit, est falsum.

Sed hæc responsio, est voluntaria & contra philosophum. Constat enim quod in 5. metaphysicæ, in capitulo de causa, designauit causam finalem ex hoc, quod est illud gratia cuius aliquid fit, ergo male dicit Gregor. id esse falsum, secundum philosophum. Tunc sic. Omne quod habet causam finalem, habet id cuius gratia factum est. Sed cælum & intelligentiæ secundum te habet causam finalem, non solum quo ad motum, sed etiam quo ad esse ipsarum, quoniam dicit Gregor. quod conceditur eas esse dependentes secundum esse à prima causa, vt à fine, ergo cælum & intelligentiæ habet illud cuius gratia factæ sunt, & sic includunt causam productiuam ex eo, quod habent causam finalem.

Vltimo aduerte, quod licet contra hanc determinationem fiant plura argumenta, quæ videre poteris in Herueo in quolib. 2. in questione prima, quæ videntur fundari in doctrina philosophi, tamen nullum videtur difficilius, quàm illud quod fundatur in 2. metaphysicæ in textu quarto, vbi inquit philosophus. Quare semper existentium principia esse verissima, necesse est, non enim quandoque vera, quandoque non vera, nec illis, causa aliqua vt sint, sed illa aliis, ex his vltimis verbis habetur, quod principia corporum cælestium, quæ sunt intelligentiæ, non habent causam aliquam vt sint, ergo non sunt producta à prima causa.

cc



DUODECIMI METAPHY.

Ad hoc dicunt aliqui præcipue Ioan. Bach. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 4. quod philosophus non intendit negare, quod intelligentiæ acquirant esse ab alto, & quod habeant causam vt sint, sed quod illa causa non potest dici efficiens proprie. Arbitratur enim quod efficiens proprie sit illud, quod extrahit aliquid de potentia subiectiua vel materiæ ad actum, quoniam prima causa non abstrahit intelligentiæ de tali potentia, eo quod nõ habent materiã, ideo non proprie dicitur efficiens respectu earum, si autem sumatur potentia pro non repugnantia ad esse, potest dici largo efficiens, eo quod ex se non habent esse, sed trahuntur ad esse à prima causa, & vt sic non negaret philosophus, quis habeant causam vt sint, quoniam iam præmiserat, quod maxime ens est causa omnis entis.

Sed si aduertis, isti decipiuntur in hoc, quod credunt apud philosophum omnem efficientiam esse physicam, quæ profecto requirit potètiã subiectiuam, verum apud philosophum & secundum veritatem datur etiam efficiencia metaphysica, quæ non est per motum nec mutationem physicam, cuius signum est, quod philosophus in 9. metaphysicæ text. 1. dicit, quod potentia & actus sunt in plus, quàm eorum, quæ dicuntur secundum motum solum, si quid ergo concludunt sic dicentes, hoc tantum concludunt, quod prima causa non est efficiens physicum, sed metaphysicum. Melius est ergo, vt exponas dictum philosophi, vt iam exposuimus in 2. lib. metaph. q. 4. Vbi adduximus tres responsiones. Hæc dicta sint pro præsentis quæstio.

Quæstio 29. Si est tantum vnus Deus, ita quod non possint esse plures.

Vnus ergo princeps. Textu vltimo.

IN hac quæstione pro suprema resolutione aduerte, quod hæc conclusio, est tantum vnus Deus, vno modo est demonstrata, in alio non. Nam si supponatur & acceptetur, quod ly Deus significat ens eminentissimum, quo maius nec dari potest, quod est entitatis perfectionis & vigoris infiniti, quod est vniuersalis causa productiua omnium, sicut vniuersalis ad quam omnia ordinantur, vt inter ea sit ordo & connexio, propter alijubio acceptatis his eminentiis pluribus rationibus demonstratur veritas Dei, implicat enim dari plura eorã absolute optima, quæ sint infinita intensiue, & primæ causæ vniuersales omnium entium totales & eiusdem ordinis, vnde & rationes

QVAESTIO XXIX.

b. Tho. in prima parte, quæst. 11. artic. 3. & Scoti in prima dist. 2. quæst. 3. quas adducit Ant. And. in libro 12. metaphysicæ. quæst. vlt. apud intellectum recte dispositum efficaciter concludunt intentum, admissis prædictis eminentiis, si autem tales eminentiæ non acceptantur, vt sufficienter probatur in quæstionibus superioribus, vbi actum est de infinito primi, & de sua vniuersali causalitate effectiua respectu omnium entium, non video, quomodo prædicta conclusio sit demonstrata, nec possit demonstrari. Non enim implicat dari duo prima, quæ sunt æque perfecta, sicut perfectionis, & eiusdem speciei, præcipue si nõ sustineris, quod sola materia est ratio multiplicandi indiuidua sub eadẽ specie, & quod sint illa duo prima, vt duæ primæ causæ partiales concordēs ex natura sua ad productionem cuiuscunque effectus, & ideo quia Comment. negat infinitum vigorem, & vniuersalem causalitatem productiuam omnium entium conuenire primo principio, truncat viam ex sua nequitia probandi vnum verum Deum. Nec obstat, quod ille ponit tantum vnum primum motorem amatum & desideratum totius vniuersi, bonum ad quem ordinantur omnia, quoniam ille motor, remotis prædictis eminentis, non est vere Deus. Omnes enim recte sentientes de Deo, concipiunt, quod Deus est id quo maius dari nec cogitari potest. Constat autem, quod quocunque finito secundum entitatem, & potentiam, & intellectum, & voluntatem, maius cogitari potest. Quare &c.

Et quoniam Ioan. Bach. in 1. dist. 1. quæst. 1. tenet supradictas eminentias, non esse demonstratas de Deo, ideo declinans ad errorem Auerr. soluit omnes rationes philosophorum & Scoti, quæ partim sunt b. Tho. Tu igitur si vis efficaciter probare Dei vnitatem sustinebis in Deo infinitatem vigoris, vt supra in q. 20. & efficientiam vniuersalem respectu omnium entium, vt in q. præcedenti, & tunc aduertes solutiones Ioan. Bach. nullas esse. Scito tamen, quod effectus inordinatus quo feruntur commentibus pro Comment. obstruit hanc viam veritatis.

Aduerto vltimo, quod ipse Ioan. Bach. vbi supra, postquam soluit, rationes probantes Dei vnitatem, sumptas ex Scot. & ex b. Tho. suadens sibi quod sit altioris ingenij, quàm prænominati, format vnicam rationem, ad probandum Dei vnitatem, quæ talis est. Quod est tota entitas eminenter subsistens, tota entitatis dico, ens & possibilis actu, siue creata, siue increata, est numero tantum vnum. Primum est huiusmodi, ergo est tantum

DVODECIMI METAPHY.

vnū numero, Maior patet. Quia si est tota entitas ens & possibilis, quocumque modo, tunc nihil quo quomodo potest esse extra ipsam, & sic erit infinitum: quia infinitum simpliciter est extra quod nihil est, neque de facto, neque de possibili, vt omnes antiqui diffiniēbant in 3. phy. tex. 62.

Sed nō potest esse, nisi vnū, quod sit simpliciter infinitum, vt saepe concessum est. Minorem autem sic probat, quo ad creatā, quia qua ratione est eminenter hec entitas creata, ens, & demonstrata possibilis, eadem ratione & quolibet alia. Sed certū est etiam secundum philosophos, quod primum est eminenter quolibet signata entitas creata, tam ens quā possibilis fore, ergo est quolibet.

Quo ad increata sic probat, certum est enim quod si imaginentur plura entia increata numero plura, nō ita possunt imaginari, quod quaedam sint actu, quaedam possibilia esse, quoniam in perpetuis non differt esse & posse. 3. physic. text. 32. Igitur si vnū primum inter increata non sit tota entitas eminenter subsistens omnium increatorum imaginatorum, oportet quod iam sic de facto, quod est falsum & impossibile, quoniam si illud non sit tota entitas eminenter aliorum, oportet, quod quolibet tale sit ens per seipsum, & tamen talia sine plura, quae differant realiter ab aliis entibus absolutis, saltem realitatibus suis, sicut dicitur de duobus animalibus intellectiuis, quia aliter esset compositio cum eis.

Sed si sunt plura entia differentia seipsis, & realitatibus suis, illa erunt in inuicem independentia, & sic nō seruabitur ordo omnium entium ad vnū, quod tota natura abhorret, vt patet in 12. lib. metaph. tex. vi. vbi dicit Arist. quod entia nolunt male disponi, & pluralitas principatum inordinatorum mala, vnus ergo princeps, & loquitur philosophus de veritate numerali, qui principatus ad personam, & non ad speciem pertinet.

Hæc fuit ratio præcipua sua, quam dicit esse demonstrationem philosophi. Sed si aduertis, non concludit, nisi in virtute huius, quod primum sit infinitum entitatis simpliciter, & ad huius probationem assumit, quod est concessum apud philosophos, quod primum principium est eminenter omnis entitas signata, tam ens quā possibilis fore. Sed hoc secundum ipsum non est clarum, immo & ipse hoc negauit, respondens Aureolo in eadem questione ad tertium.

Præterea, in sui probatione, vt vides, allegauit diffinitionem

QVAESTIO XXX.

389

datam ab antiquis de infinito, quam philosophus reprobat in eodem loco, scilicet in 3. physic. in tex. 62. vbi inquit. Accidit contrarium esse infinitum, quā sicut dicunt, scilicet antiqui, non enim cuius nihil est extra, sed cuius semper est aliquid extra, hoc infinitum est, ergo nec ratio sua est fortior aliis, & ideo vt vanus, & quasi negans diuinas eminentias, quarum cognitio est nobis veluti inferior à natura, est relinquendus. Hæc de præfenti questione dicta sint.

Questio 30. Si solum primum principium est ens necessarium, ita quod omne ens productum sit ens contingens.

Vnus ergo princeps. Textu ultimo.

IN hac questione agendum est de necessitate primi, quem dicimus Deum, & Auic. appellat ipsum necesse, aduerte igitur antequam deueniamus ad resolutionē, quod supponimus omne ens aliud à Deo esse productiue à Deo, ita quod est vere effectus eius, & tūc quaeritur, si enti quod habet esse ab alio repugnat necessitas elendi. Sic igitur procedendum est. Primo declarabitur quid Auic. & Comment. senserint in hoc. Secundo quomodo b. Tho. in aliquo tenet cum Comment. & in aliquo non. Tertio quomodo via b. Tho. continet veritatem. Quarto quomodo Scotus & sequentes eum nihil concludunt contra b. Tho. Qui Scotus sequitur viam Auic.

Circa mentem Auic. aduerte quod diuidit ens vt ens, in necessarium & possibile, necessarium ponit tantū vnū, quod appellat necesse esse, quod est primum principium, eo quod nullam causam habet, & est omnino independentis, habens ex se esse, & nullo modo non esse, & de hoc vno necesse esse pertractat in 2. lib. suæ metaph. cap. 2. & 3. Possibile autem existim omne ens productum, eo quod habet esse ab alio, & sibi derelictum quocumq; alio circumscripro non habet esse, ex consequenti est non ens ex se, ergo possibile vt dicatur possibile, quod ex se non habet esse, & potest esse per aliud, & quia intelligentiæ & cœli, & animæ eorum sunt productæ, vt tenet ipse in lib. 9. suæ metaph. cap. 4. ideo locat ea inter possibilia, & breuiter secundum ipsum non datur ens productum siue materiale, siue immateriale, quod sit necesse esse, ex consequenti, solum primum principium est necesse esse.

DVODECIMI METAPHY.

Circa mentem Auer. aduerte, quod vt videre poteris in lib. 12. metaph. cōmen. 41. de quo plenam fecimus mentionem in q. 28. huius li. tenet necessarium esse duplex quoddam ex se quoddam ex alio. De eo quod est ex alio ponit exemplum de motu cœli quem dicit esse necessarium, & tamē est ex alio; id est à motore, eo quod motui contrariatur quies, & ideo motus in se est possibilis non esse per quietem oppositam. Si ergo debet esse necessarius, habebit hoc ab altero, id est à motore æterno omnino immobili, & sine discontinuatione mouēte. Necessarium ex se ponit ens permans, & substantiam incorruptilem, vt intelligentiam & cœlum, ita quod secundum ipsum repugnat, substantiam aliquam esse possibilem ex se, & necessariam ex alio. Arbitratur enim in prædicto comment. quod natura possibilis & transmutaretur in naturam necessariam, quod est falsum & impossibile, quoniam repugnat vnum oppositum transmutari in aliud oppositum, sed corrupto calido sic frigidum, & liquidum transit in frigidum, sed corrupto calido sic frigidum, & quod hæc fuerit opinio sua, vide in cōmen. 41. huius li. ab eo loco vbi incipit, Et ideo non est verum aliquid possibile esse ex se, vsque ibi, Omnis igitur potentia mouens &c.

Quantum ad secundum, scilicet quomodo b. Tho. concordat cum Comment. aduerte, quod concordat in conclusione, scilicet quod aliquid productum ab alio est necessarium sicut exemplificat de motu cœli. Non tamen concordat in extensione conclusionis, quoniam Comment. tenet eam verificari solum de ente successiuo, vt de motu cœli & tempore. Sed b. Tho. tenet eam verificari & in ente successiuo & in ente permanenti incorruptibili, vt in cœlo & intelligentia, ita quod licet habent esse ab alio, & non habeant esse ex se, tamen possunt dici necessaria, quod non concedit Auicē. si autem Comment. teneat cœlum & intelligentiam esse effectiue à primo principio, cum secundum peripateticos sint entia necessaria, eo quod sunt incorruptibilia & æterna, tunc b. Tho. & Comment. concordarent in conclusione, & in extensione conclusionis. Sed iam supra in q. 28. huius lib. manifestauimus, quod Comment. non concedit causam productiuam omnium entium, ideo b. Tho. non in toto concordat cum illo, licet magis laudet opinionem Comment. quam Auicē. in questione de potentia Dei, quest. 6. arti. 3. vbi vtraque pertractat.

Quantum ad tertium scilicet quomodo opinio b. Tho. con-

QVAESTIO XXX.

388

tineat veritatem, & sic peripatetica, magis quam opinio Scoti aduerte, quod in vno sensu vera est, in alio non. Ideo vt videatur rei veritas, propono quatuor distinctiones, deinde formabo conclusiones responsiuas cum probationibus suis absolute & succincte.

Prima distinctio est de possibili, possibile dicitur dupliciter.

Primo aliquid est possibile per potentiam intrinsecam actiuam, vel passiuam. Actiuam vt possibile est homini ambulare, ex eo quod habet potentiam progressiuam, passiuam, vt possibile est hominem mori, ex eo quod habet materiam subiectā priuationi.

Secundo aliquid dicitur possibile, non per potentiam intrinsecam, sed per non repugnantiam, vel ad quod non sequitur impossibile, vel quod non implicat contradictionem, vt possibile est esse duos soles, vel duas lunas, eo quod si ponantur, nulla sequitur repugnantia. Primum dicitur possibile reale. Secundum possibile logicum.

Secunda distinctio est de impossibili, impossibile dicitur dupliciter. Primo per carentiam vel defectum potentiae actiuæ vel passiuæ. Actiuæ, vt impossibile est talpam videre, passiuæ, vt impossibile est cœlum vel intelligentiam corrumpi. Secundo aliquid dicitur impossibile propter repugnantiam terminorum, tunc enim sequitur contradictio, vt impossibile est hominem esse alium, esset enim rationale & non rationale.

Tercia distinctio est de necesse, necesse est duplex, scilicet absolute & conditionate, necesse absolute sumitur à causa intrinseca, vt à forma vel materia. A forma, vt necesse est hominem esse rationalem. A materia, vt necesse est elementarium esse corruptibile. Conditionate sumitur ab efficiente vel à fine, ab efficiente, vt necesse est lapidem sursum proiectum ascendere. A fine, vt necesse est hominem volentem viuere, respirare. Sed necessitatem conditionatam dimittamus, quoniam nos deseruit nobis.

Quarta distinctio, necesse absolute est duplex, quoddam per causam intrinsecam tantum, vt cœlum esse incorruptibile, eo quod non habet principium intrinsecum, quod possit non esse. Quoddam per causam intrinsecam, scilicet per essentiam suam, & per habitudinem terminorum, ita quod, si non esset, sequeretur conditio, & est illud cuius esse non dependet ab alio, immo suum esse est de ratione sua, & hoc modo solum primum prin-

DUODECIMI METAPHY.

Apertum est necesse esse, quoniam dum dico Deus est, ly est, est de ratione sua, quoniam nullum extraneum est in Deo, unde si dico, Deus non est, est implicatio contradictionis, quoniam esse & non esse attribuitur Deo. Nam in subiecto implicatur esse, cum Deus sit suum esse, & ex predicato negato attribuitur non esse, unde sicut ista, homo est animal, est necessaria ex habitu dine terminorum, ita & ista, Deus est.

Prima conclusio, intelligentiam desinere esse vel non esse, est possibile secundo modo, sed non primo modo. Dico secundo modo, quoniam non sequitur contradictio, si ponatur desinere esse. Potest enim non conservari à Deo, quo non conservante desinet esse. Dico, sed non primo modo, quoniam cum sint simplices formæ, non habent potentiam passivam intrinsecam, nec materiam, qua possint desinere esse, ergo illas desinere, non est possibile primo modo.

Secunda conclusio, intelligentias desinere esse, est impossibile primo modo, sed non secundo modo. Dico primo modo, quoniam non habent principium intrinsecum suæ definitionis, cui careant materia ex qua, & in qua. Dico sed non secundo modo, quoniam si desinat esse, non sequitur contradictio, ut prius dictum est, ergo eas desinere esse, non est impossibile secundo modo.

Tertia conclusio, intelligentias esse, est necesse absolute primo modo, quia non possunt non esse per causam intrinsecam, nec per naturam suam, quæ caret omni principio intrinseco corruptionis, cum sint simplices actus.

Quarta conclusio, intelligentias esse, non est necesse absolute secundo modo, id est, ex habitu dine terminorum, quoniam si ponantur non esse, vel non conservari, nulla sequitur contradictio.

Quinta conclusio, Deum esse, est necesse esse primo & secundo modo, patet primo modo, quoniam est actus purus, ergo non habet principium intrinsecum corruptionis, patet secundo modo, quoniam esse, est de ratione Dei, unde ut diximus, sicut ista, homo est animal, est necessaria, ex habitu dine terminorum, ita & ista, Deus est.

Sexta conclusio, solus Deus est necesse esse absolute secundo modo, loquendo de incomplexis, quoniam solus habet esse esse, & est penitus independens, ergo per nullam causam intrinsecam, nec extrinsecam potest non esse, & hoc est illud necesse

QVAESTIO XXX.

389

esse, quod probat esse tantum unum, & non posse plurificari.

Quantum ad quartum scilicet ad opinionem Scoti, adverte, quod in 1. dist. 8. q. 4. in ratione ad secundum argumentum in fine quaestionis, tenet cum Avicena, quod ens productum non potest dividi in necessarium & possibile, immo quod omne productum est ens possibile & contingens, quia ex se non habet esse, & potest desinere esse, si sibi relinquatur, sequentes autem Scot. conantur pluribus modis arguere contra determinationem factam pro via b. Tho. Præcipue aut sic arguunt. Quod in se est impossibile, nulli potentiae est possibile, alioquin impossibile fieret possibile. Sed si substantiae abstractae non sunt possibiles, non esse in se, sequitur, quod sint impossibiles non esse in se, equipollent enim non possibile & impossibile, per nullam ergo potentiam poterunt non esse, siue intrinsecam siue extrinsecam, quod est falsum, & repugnans determinationi factae.

Ad hoc patet tibi solutio, si sciueris applicare distinctiones suprapositas, probat enim solū, quod substantiae abstractae sunt possibiles secundo modo, & non primo modo, cum quo stat, quod sunt necesse esse absolute primo modo, iuxta tertiam conclusionem suprapositam, unde quando arguitur.

Quod in se est impossibile, nulli potentiae est possibile, hæc non est vera, nisi de impossibili secundo modo, & quando arguitur, quod possibile fieret impossibile, negatur, sed bene conceditur, quod possibile secundo modo, est impossibile primo modo, quæ non repugnant, quoniam non sunt respectu eiusdem modi. Omnia alia argumenta transeunt eiusdem distinctionibus, ideo nolo immorari.

Sed dices. Quare b. Tho. non cõcedit substantias abstractas si sunt productae à primo, quod sunt entia possibilis, & non necessaria, ex quo concedit, quod sunt possibilis non esse, secundo modo.

Respondetur, apud peripateticum, res productae sortiuntur modum necessarium vel contingentem essendi, non à causa prima & remota, sed à causa proxima, siue extrinseca, & ideo res quarum principia intrinseca sunt incorruptibilia, ut cœlū, vel quarum natura est simplex, & immaterialis, ut intelligentiæ, merito dicuntur entia necessaria in se absolute primo modo. Res autem quarum principia intrinseca sunt opposito modo, ut puta quia habent materiam cum privatione, siue sit ma-



DVODECIMI METAPHY.

teria prima, vt in compositis substantialibus inferioribus, siue
sic materia secunda, que dicitur subiectum, vt in compositis acci-
dentalibus, merito dicitur entia non necessaria, sed possibilis.

Concludimus ergo, quod licet sint multa entia necessaria in
se, quia tamen sunt possibilis per potetiam extrinsecam, ideo
solum primum principium, est omnino & excellentissi-
ma necesse esse, & nullo modo possibile, a quo, in
quo, ad quod, propter quod, est quicquid
est, quod honoramus, & extolli-
mus sub nomine Dei ma-
ximi & gloriosi per æ-
ternū. Amen.

*Explicunt questiones metaphysicales ordinatae per Reue-
rendum magistrum Chrysostomum Iauel. Canapi-
cium, ord. præd. & philosophiæ ac diuinæ scientiæ
doctorem, scriptæ manu propria, & per
eundem reuise Cremonæ 1532.
die 20. Ianuarij.*

am

m

Series chartarum.

† † † a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z.
A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,
aa bb cc.

Omnes sunt quaterniones.

LVGDVNI

Excudebat Bartholomæus Poncetus.

1552.

m



M

M

M

M



m

a

a

ma: r



a

T
viam

[Faint, mostly illegible handwriting]
aman

Sanctus
Pater

antonna saguer

